



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Liber Quartus. Amor pascens, sive de sanctissimo Eucharistiæ  
Sacramento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)



nem S. Thomas q. 72. a. 10. esse dicit, quia hoc Sacramentum exhibetur hominibus ad robur pugne spiritualis. Sicut autem aliquis, de novo natus, indiget instructore, in his que pertinent ad conversationem vite... ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, à quibus instruuntur de his que pertinent ad modum certaminis.

106 2°. Preceptum illud, ex communi sensu Doctorum, graviter obligare.

107 3°. Adhibendos non esse duos, unum & unam, sicut in Baptismo, sed unum pro masculis, unam pro feminis, cap. non plures, & cap. in Catechismo de Consecr. dist. 4. circa que Tridentinum nihil

innovavit, sicut pro Patris Baptismi.

4°. Patrum Confirmationis, ex consuetudine Ecclesie, esse debere distinctum à Patris Baptismi. Si tamen necessitas id exigat, secundum allatos canones, adhiberi posse eundem.

5°. Patrum Confirmationis debere esse confirmatum. Aliàs graviter peccaret, nec spiritualement cognationem contraheret, cap. in baptismo de Consecr. dist. 4.

6°. verum Patrum (sicut & confirmantem) spiritualement contrahere cognationem cum confirmato, confirmatique patre & matre. Tridentinum sess. 24. c. 2. de reform.

## LIBER QUARTUS. AMOR PASCENS.

Sive

### DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

**S**I nec Angelicis, nec humanis mentibus satis extolli, imò ne concipi quidem valeat ineffabilis dilectio charitatis, quæ Deus, per Incarnationis mysterium, fieri dignatus est homo; non minor profectò, imò quadantenus ineffabilior est dilectio, quæ per divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, quasi Incarnationis extensionem (sic enim à Sanctis appellatur) fieri dignatus est cæca vermium, dum factus est cibus hominum. O stupendam divini amoris erga nos dilectionem! ò prodigiosam charitatem! In priori quidem mysterio, prodigiosa est circa nos divinæ pietatis dignatio, quæ ad liberandum susceptorum hominem, non exhorruit purissimæ Virginis uterum: At, sicut extensione, sic prodigio major in hoc Sacramento apparet divini amoris dignatio, quæ ad pascendum hominem, Baptismo regeneratum, & cælestis militiæ armis confirmatione munitum, divinam naturam, non cum una dumtaxat copulat natura humana (prout in Incarnationis mysterio) sed cum unoquoque homine, tam arctè intimæque unionis, quæ arctior & intimior (infra hypostaticam) excogitari nequeat (qui enim manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, ait ipse, & ego in eo;) nec in unius Virginis purissimum descendit uterum, sed in foetidissimum tot millium, tamque vilium & imperfectorum hominum stomachum. O ineffabile prodigium amoris! ò altitudo! ò latitudo! ò longitudo! ò profunditas charitatis! quàm incomprehensibiles sunt excessus illius, & investigabiles viæ ejus! Da, charitas Deus, ut de tam prodigiosæ charitatis Sacramento in veritate tractem, & charitate.

#### CAPUT I.

Divinissimi Eucharistiæ Sacramenti multiplex nomen, definitio, institutio.

**D**icendum (ait Doctor Angelicus q. 73. a. 4) quod hoc Sacramentum habet triplicem significationem. Unam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemorativum Dominicæ Passionis, quæ fuit verum sacrificium: & secundum hoc nominatur SACRIFICIUM. Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet Ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregan-

tur per hoc Sacramentum: & secundum hoc nominatur COMMUNIO vel SYNAXIS. Dicit enim Damascenus 4. lib. de fid. orthodox. c. 14. quod dicitur communio, quia communicamus per ipsum Christo, & quia participamus de ejus carne, & deitate, & quia communicamus ad invicem per eam. Tertiam significationem habet respectu futuræ, in quantum scilicet hoc Sacramentum est præfigurativum fructus Dei, quæ erit in patria. Et secundum hoc dicitur VIATICUM: quia hæc præbet nobis viam illuc perveniendi. Et secundum hoc etiam dicitur EUCHARISTIA, id est bona gratia. Quia gratia Dei, vita æterna, ut dicitur Rom. 6. Dicitur etiam in Græco METALEPSIS, id est assumptio: quia, ut Damascenus dicit, per hoc Filii deitatem assumimus.

Aliis placet, quod Eucharistia, secundum nominis ethymon, propriè idem sit quod gratitudo, seu gratiarum actio. Et optimè congruit huic mysterio: utpote quod Christus gratis actus, sive gratias agens instituit; & quia Sacramenti hujus oblatio summa est, Deoque acceptissima pro divinis beneficiis, maxime principalioribus, gratiarum actio: eò quod utique eorum sit commemoratio, juxta illud: Memoriam fecit mirabilium suorum.

Denique à Catechismo Romano Sacramentum etiam pacis & unitatis dicitur, ut intelligeremus, quia indigni sunt Christiano nomine, qui inimicitias exercent; odiæque, assidua & discordias, ut teterrimas fidelium pestes, omnino exterminandas esse: cum præsertim quotidiano Religionis nostræ sacrificio nihil nos studiosius servare, quàm pacem & charitatem proficiamus.

De Eucharistia itaque (cum & Sacramentum sit & sacrificium) primo loco tractabimus ut Sacramentum est, deinde ut sacrificium. Est igitur Eucharistia Sacramentum corporis & sanguinis Christi, ut verborum Consecrationis, realiter præsentium sub speciebus panis & vini, ad spiritualement animarum refectionem divinitus institutum. In illa definitione nihil desiderari potest. non materia, non forma, non causa efficiens, non finis. non explicatio realis præteritæ Dominicæ corporis & sanguinis. Tameñ brevior exactiorque foret definitio hæc: Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini. Illud quippe Sacramentum duobus, non pluribus, intrinsecè constituitur, sive ut ex Augustino, in libro Sen-



entiarum Prosperi, dicitur can. *hoc est de Consecr. dist. 2. hoc Sacramentum duobus constat, visibili elementorum specie (id est speciebus panis & vini) & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine.*

- 6 Proinde nec solum Christi corpus & sanguis, nec sola panis & vini species, sunt Eucharistia Sacramentum, sed utrumque simul, sive compositum ex utrisque. Sic enim verificatur doctrina Patrum proximè allata: *hoc Sacramentum duobus constat, &c. sive re terrenâ constat & divinâ.* Sicut & comparatio, quâ Eucharistiam assimilant Verbo incarnato, quod sicut non est sola persona Verbi, nec sola natura humana, sed utrumque simul. Ita similiter, &c.
- 7 Deinde solis speciebus non conveniunt, quæ SS. Patres affirmant de hoc Sacramento, quòd utriusque sit animæ cibus, quòd latræ cultu sit adorandum, quòd hisce verbis Domini conficatur: *Hoc est corpus meum, &c.*
- 8 Aliunde soli corpori sanguinique Christi non convenit, quod Tridentinum sess. 13. can. 1. ait: *in SS. Eucharistia Sacramento contineri verè realiter & substantialiter corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi.* Nec solum corpus sanguinique Christi sunt sensibile signum. Quod est de ratione Sacramenti.
- 9 Utrumque ergo est de intrinseca ratione hujus Sacramenti, & utrumque simul, sive compositum ex utroque, est venerabile Eucharistia Sacramentum. Quod ratione dictarum specierum, est sensibile signum. Ratione verò corporis sanguinique Christi, latræ est adorandum. Ad quod necesse non est quòd totum, quo Sacramentum hoc constituitur intrinsecè, ex se dignum sit latræ. Cum non omne quo Christus intrinsecè constituitur tale sit (neque enim natura humana ex se talis est): totum nihilominus Christum latræ veneramus. Eò quòd totum aliquid eo ipso latræ venerabile sit, quò aliqua ejus pars cultum istum meretur.
- 10 Dicuntur quidem species *Sacramentum tantum*: sed non hoc sensu, quòd in eis solis adæquata hujus Sacramenti ratio consistat, sed quòd ratio signi sensibilis ab illis solis defumatur, & per illas corpori sanguinique Christi communicetur. Sic etiam corpus Christi esse dicitur in hoc Sacramento, sicut pars dicitur esse in toto, à quo adæquate non distinguitur.
- 11 Hinc patet quo sensu Theologi in hoc Sacramento tria considerent, *id quod est Sacramentum tantum, id quod duntaxat res est Sacramenti, id quod simul est Sacramentum, & res Sacramenti.* Illud est *Sacramentum tantum*, quod ibi significat rem quamdam occultam sacram, atque ab alia re ibi non significatur, ut dictæ species. *Illud duntaxat res est Sacramenti*, quod ita est res significata per Sacramentum, ut aliam rem non significet, ut gratia, Christi corpus mysticum, quod est Ecclesia. *Illud simul est Sacramentum, & res Sacramenti*, quod per Sacramentum, dictas utique species significatur, remque aliam significat, ut corpus Christi verum, quod per speciem panis significatur, significatque gratiam, & dictum corpus mysticum.
- 12 Quædonam hoc Sacramentum (Sacramento- rum omnium excellentissimum) à Christo Domino institutum sit? obcurum non est. In ultima namque coena institutum esse constat ex Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Sed & Paulus 1. Cor. 11. contestatur: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, &c.*

## CAPUT II.

*Eucharistia unicum est totale Sacramentum specie morali. Unicum etiam vel plura numero moraliter censeri potest, secundum aliam, & aliam considerationem.*

**T**Ametsi physicè loquendo, varia specie distin-  
cta inveniuntur in hoc Sacramento, imò & moraliter plura partialia, cibus videlicet & potus (quam ob causam Ecclesia in quadam postcomunione canit: *Purificent nos Sacramenta que sumptimus*); est tamen unicum totale Sacramentum specie morali. Quia unicam moraliter convivium, sive unica adæquata refectio spiritualis, quæ ex cibo & potu integratur, & per species panis & vini significatur. Et hæc (Paulo teste) fideles omnes unum sunt, unius hujusce Sacramenti participatione: *unus panis, & unum corpus sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Tametsi enim ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrant (ait d. Thomas q. 73. a. 2.) *scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundum illud Joan. 6. caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: inde hoc Sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter & perfectivè.

Quoad numericam unitatem Card. de Lugo 14 ait in omnibus altaribus unicum numero esse Sacramentum, moraliter loquendo in ratione convivii, pro omnibus fidelibus instituti. Quod eo modo est unicum numero moraliter, quo Assue- rus numero singulari fecisse dicitur grande convivium... *centum & octoginta diebus.*

Valdeque contrà, cum aliis, censet tot esse nu-  
mero Sacramenta, quòd species. Quia Eucharistia Sacramentum est quoddam accidentale compositum, in quo species (inquit) importantur in recto, Christi corpus in obliquo. Composita verò accidentalia multiplicentur multiplicatione recti.

Verùm hæc ratio non est Theologicæ confide-  
rationis, sed Philosophicæ; nec de ea Doctores conveniunt. Cum Waldensis noster de Sacram. Euchar. c. 21. contrà sustineat, hoc Sacramentum esse *verum Christi Corpus in recto, sub forma panis quam convocat in obliquo.* Et concunant quotquot (cum Sylvio) aiunt, hoc Sacramentum esse *verum Christi corpus, & sanguinem, quatenus sub visibilibus panis & vini speciebus existunt.*

Quidquid sit de Philosophicâ ista consideratio-  
ne (cujus hic modica habenda est ratio) S. Thomas in verbis n. 13. relatis, & cum eo veteres Theologi passim, unitatem & multiplicatam hujusce Sacramenti unice petere videntur ex ordine ad unicam vel plures refectioes spirituales, sive unicum vel plura convivia. Secundum quam proinde considerationem, centum particule consecratæ simul ab uno eodemque homine sumptæ unicum sunt Sacramentum: quia sumptæ per modum unius ejusdemque refectiois. Centum verò particule consecratæ, centum personis distributæ, centum sunt numero Sacramenta: quia centum sunt numero refectioes spirituales.

Considerandum tamen hoc Sacramentum, non 18  
in ratione particularis refectiois cujusque particu-  
laris hominis, sed in ratione convivii pro omni-  
bus instituti; sicut censeri potest unum numero moraliter convivium, à tempore suæ institutionis usque ad finem mundi duraturum (eo ferè modo, quo supradictum Assue-ri convivium) ita & unicum numero moraliter Sacramentum. Nec opus est hac de re (quæ magni non est momenti in consideratione morali) plura addere.



## CAPUT III.

*Sanctissima Eucharistia est verum nove Legis Sacramentum.*

<sup>19</sup> **H**æc veritas definita est à tribus Conciliis Lateranensi, Florentino, & Tridentino. Constat insuper ex eo quod nihil ei desit ad rationem Sacramenti. Species namque panis & vini, per consecrationis verba determinatæ, sunt sensibile signum corporis & sanguinis Christi sub se contenti, tamquam spiritualis cibi & potus animam reficientis, iudque gratiâ replentis, juxta illud Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

<sup>20</sup> Dixi, per consecrationis verba determinatæ. Non quod verba consecrationis forma sint intrinsicè constitutiva hujus Sacramenti; sed quod necessaria sint ad Sacramentum hoc conficiendum, specieque illas determinandas, ad significandam sub se contentiam corporis & sanguinis Christi. Oportet enim Christi corpus fieri sensibile per species, per easque tamquam per signum sensibile significari. Non significatur autem per species secundum se præcisè consideratas, cum ad illud significandum ex se præcisè non sint determinatæ. Ad illud ergo significandum oportet eas determinari per verba consecrationis; quæ cum practica sint, sive efficientia quod significant: dum Sacerdos in persona Christi dicit: *hoc est corpus meum*, sensus est: *hoc contentum sub his speciebus, est corpus meum*. Sicque species istæ, per consecrationis verba determinatæ, significant, & sub se continent Christi corpus, & sanguinem.

<sup>21</sup> Si ita est (inquis) quare non dicis verba consecrationis esse formam intrinsicè constitutivam hujus Sacramenti: cum Florentinum dicat, omnia Sacramenta rebus perfici, & verbis; rebus ut materiâ, verbis ut formâ? Respondeo rationem esse duplicem. Prima est, quia hoc Sacramentum id habet præ reliquis speciale, quod habeat esse permanentem, non transiens & successivum; ideoque id habet speciale præ reliquis, quod non consistat in verbis, non habentibus nisi esse fluxum, & successivum. Aliàs foret simpliciter transiens, sicut Baptismus & Confirmatio. Quorum licet materia remota sit permanentem, aqua scilicet & chrylina: quia tamen forma intrinsicè illa constitutus habet esse transiens, verba utique, sunt simpliciter Sacramenta transientia.

<sup>22</sup> Secunda ratio est quia consecrationis verba sunt causa efficiens hoc Sacramentum, ut Florentinum dicit in instructione Armenorum. Causa verò efficiens Sacramentum esse nequit forma intrinsicè constitutiva illius. Cum causa efficiens adæquatè distincta sit ab effectu suo. Et propterea Florentinum non dixit, omnia Sacramenta constare, sed perfici rebus, & verbis.

## CAPUT IV.

*Sanctissima Eucharistia Sacramentum in re stabili & permanente consistit, ante sumptionem existente, non in ipsa sumptione & usu.*

<sup>23</sup> **I**ta etiam veritas est de fide, utpote contra Lutheranos & Calvinistas à Tridentino definita sess. 13. cap. 3. & can. 4.

Et probatur primò argumento, quo Tridentinum utitur, citato cap. 3. *Illud in ea (Eucharistiâ) excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur. At in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est.* Eu Catholica v. Tom. III.

ritas, quam asserimus. Sequitur probatio illius: *Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præberet.* Erat ergo Christi corpus antequam sumptio illius esset & usus.

Quin imò erat antequam singulis porrigeret. <sup>24</sup> Neque enim simul omnibus & singulis porrexit, sed successivè, primò v. g. Petro, deinde cæteris, uni post alium. Et quidquid de eo sit, porrectio non est ipsa sumptio, sed sumptione anterior.

Nec refert quod porrectio ad usum dirigatur. <sup>25</sup> Quia ipsa quoque consecratio ad usum dirigitur. Nec semper sumit is cui porrigitur, sed porrectio plerumque est absque usu, etque ordinariè anterior usu. Si ergo jam erat corpus Christi, dum Christus illud porrexit, erat ante usum, totiesque est absque usu, quoties is cui porrigitur, non utitur.

Secundò probatur, quia (ut Tridentinum pro- <sup>26</sup> sequitur) *semper hæc fides in Ecclesia fuit, statim post consecrationem (quæ anterior est usu) veram Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis & vini specie, unâ cum ipsius anima & divinitate existere, ut utique sacrorum Christi verborum, quæ cum ne momento quidem falsa sint, ne momento quidem sunt absque veritate corporis sanguinisque Domini, adeoque statim atque eorum prolatio terminatur; Christi corpus & sanguis ibi ponitur, uti Patres omnes cap. 10. & seqq. proferendi testantur.*

Nec dicas cum Illyrico, Christum ante sumptionem, consecratoria verba, *hoc est corpus meum*, non protulisse; sed panem prius discipulis dedisse, quam verba illa proferret, uti probare nititur, ex Matth. 26. *Accipit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, dedisque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.*

Cavillatur enim Illyricus. Quia non ordo, sed sensus verborum (quæ habentur apud Matthæum) spectandus est: cum (Augustino teste, de consensu Evangelistarum l. 2. cap. 39. & 44.) Evangelistæ non semper res ipsas eo narrent ordine, quo gestæ sunt, ut videre licet apud Marcum, verba consecratoria calicis narrantem post calicis sumptionem: *Et accepit calicem, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex eo omnes, & ait illis: hic est sanguis novi Testamenti, &c.* Nec tamen dici potest, Apostolos porrectum sibi à Christo calicem bibisse, priusquam consecrasset, dicens: *hic est sanguis meus, &c.* Siquidem pronomen demonstrativum *hic* demonstrat aliquid præsens ad sensum, qualiter præsens non est, quod jam potatum est.

Sensus verò verborum Christi cogit ut dicamus, <sup>28</sup> verba consecrationis à Christo prolata fuisse, priusquam cibum illum & potum discipulis porrigeret. Verba namque illa continent rationem, cur debuerit comedi cibus ille, & bibi ille potus, ut patet ex Matth. 26. ubi additur particula causalis, cum dicitur: *hic est enim sanguis meus.* Prius autem debuit ratio illa à Domino explicari, & etiam percipi ab audientibus, quam eis daretur cibus ille comedendus, & potus bibendus; nimirum ut scirent quid acciperent (inquit Bellarminus l. 4. de Sacram. Euchar. c. 2.) cibumque illum ac potum à vulgari cibo potuque discernent.

Sicut ergo in narratione Marci, sic in narratione Matthæi est hysteron proteron, uti amplius ostenditur ex 1. Cor. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne participatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Hæc enim aperte Paulus indicat, panem prius consecrari, mutarique in corpus Christi, quam frangatur & distribuatur: dicit enim id quod frangitur, non futurum esse, sed jam esse corpus Christi.



30 Et idipsum confirmatur ex eo quod Christus non solum iussit accipere & manducare, sed etiam facere quod fecit, id est convertere & transubstantiare panem in corpus iuum, & vinum in sanguinem sicut ipse fecit (prout infra demonstrabitur;) hoc (inquam) iussit, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui conversio & transubstantiatio panis in corpus Christi non est sumptio, nec usus corporis Christi, nec certe verba, quibus fit illa conversio, significant usum, sed aliquid permanens.

31 Quid plura? dato, non concessio quod verba objecta ex Matthæo probent Christum dixisse, *hoc est corpus meum*, postquam accepit panem, dediditque discipulis suis: saltem non probant Christum verba illa non dixisse, priusquam illum discipuli manducarent. Nihil ergo faciunt ad intentionem Adversariorum. Si enim Christus illa dixerit ante manducationem, live ante usum & sumptionem, verè dixit. Verè ergo Christi corpus ibi fuit ante manducationem, &c. Et nonne prius est in quorem in calice esse, quam ex calice bibi. Jam petat Ilyricus à Chrysolomo (ad citatum Apoc. stoli locum) *quid est in calice? quod (inquit) ex latere Christi fluxit, sanguis utique Christi.* Ergo Christi sanguis in calice est, priusquam ex calice bibatur.

32 Tertio idipsum probatur ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ à temporibus Apostolorum, Eucharistiam live in privatis domibus, live in fœdis ædibus, temper asservavit, servatam adoravit, atque ad infirmos derivavit, ut testes sunt vel ipsi antiquissimi Patres, Iustus Martyr Apolog. 2. dicens: *Pot. Sacramenta peracta, Eucharistia conquevit deferri ad alienos.* Irenæus epist. ad Victorem (apud Eusebium l. 5. hist. c. 24.) *Eucharistiam ad alios mitti.* Tertullianus l. 2. ad uxorem, *domum deportari.* Cyprianus serm. de lapsis narrat, mulierem cum arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente fuisse deterritam, ne auderet attingere. Aliud miraculum narrat ibidem Cyprianus: cum in os puellæ infantis, abentibus parentibus, Gentilis Magistratus, de vino sacrificii idololorum aliquid intrudisset, revertitque parentibus, Diaconus vinum consecratum de more, infundere vellet, restitit ipsa, calicemque rejectit; *perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis injudicavit.* Tunc loquitur inquit *Et vomitus: in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit, sanctificatus in Domini sanguine potus de politis visceribus erupit; tanta est potestas Domini, tanta majestas.* Dionysius Alexandrinus epist. ad Fabium Antioch. (apud Eusebium lib. 6. c. 36.) narrat Sacerdotem, præ ægritudine incedere non valentem, puero Eucharistia exiguam partem dedisse, præcipiendo, ut eam modestam in os senis Serapionis infunderet. Basiliius epist. 189. ad Cæsarium Patricium, *quoniam per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessario, Sacerdote, vel Ministro non presente, propriis manibus percipere communionem; non est nisi super vacanteum, ut demonstretur, illam rem non esse graviter & iniquè ferendam. Eo quod inveterata consuetudo hoc ipsum se ipsa confirmatum dederat. Nam & illi omnes, qui per eremos vitam Monasticam instituunt, ubi copia non suppetit Sacerdotis, cum habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandria autem & per Ægyptum uniusquisque etiam de plebe, ut plurimum habet domi sue communionem. Nam cum semel Sacerdos sacrificium peragat, & distribuatur, qui susceperit illud integrum, & quotidie de illa sumperit, quam à dante accepit Sacerdote, credere debet... se eandem suscipere, & percipere.* Nazanzenus in laudem Gorgoniæ, sororis suæ, testatur, eam

*insepelâ nocte ad altare procumbentem, ibi Christum in Eucharistia presentem adorasse, statimque liberatam se à morbo sensisse.* Cyrillus Alexandrinus epist. ad Calosyrium: *Aliquos esse audio, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem juvare dicunt, si quid ex ea fiat reliquum in aliam diem. Insanunt verò, qui hæc asserunt (audiunt hæretici) neque enim alteratur Christus, neque sanctorum ejus corpus immutatur; sed benedictionis vis & facultas, & vivificans gratia perpetua in illo existit.*

At (inquit Calvinus) in eo Patres audiendi non sunt. Quia errant. At (iudicio Patrum) insaniit Calvinus. Et reverà insaniit, cum ipsos erroris arguit, in eo in quo testatur Ecclesiæ fidem & praxim sui temporis. Non aliud ipsi tenuerunt & crederunt, nisi quod Ecclesiæ tenuit & credit, de cuius inerrabilitate Christus nos certos fecit, dicens, quod porta inferi non prevalebunt adversus eam.

Et quo (questo) argumento Lutherani & Calvinista probant in eo errasse Patres, errasse Ecclesiæ? Non Scripturam afferunt in probationem, sed frigidum illud argumentum: reliqua Sacramenta in usu consistunt. Igitur & Eucharistia.

At quàm frivolum sit, constat ex d'icis n. 21. & 22. Inaque manifesta disparitatis ratio ex ipsis Sacramentorum formis colligitur. Aliorum quippe Sacramentorum forma, *baptizo, confirmo, absolvo,* &c. significat actionem. Eucharistia verò forma, *hoc est corpus meum,* &c. rem significat fixam & permanentem. Aliorum forma, ea non efficit, sed constituit. Verba verò consecrationis effiunt hoc Sacramentum, ab eoque proinde adæquatè distinguuntur.

CAPUT V.

*Eucharistia materia est panis triticeus, & vinum de vite.*

Sic tradit Florentinum in instruct. Armen. Et ratio à priori est voluntas Christi, quem sic instituisse constat ex Matth. 26. Marci 14. & Luc. 22. ubi Christus legitur ad hoc Sacramentum conficiendum adhibuisse panem simpliciter dictum (id est triticeum, uti Traditio semper intellexit) & vinum eam simpliciter dictum. Quod fuisse vinum de vite Marthæi contextus manifestum facit: sequitur enim: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genere vite, &c.* Atqui Christus discipulis suis iussit ut facerent, quod ipse fecit: iussit ergo instituitque, ut hoc Sacramentum pariter conficerent ex pane triticeo, vinoque de vite.

Quoddamque Christus hoc Sacramentum confecerit ex pane triticeo, amplius ostenditur ex eo quod ad illud conficiendum, usus fuerit pane szymo, quo solo Judæi utebantur ad esum Agni Paschalis. Non est autem verisimile quod panis azymus, qui ad solemmissimum Paschale Festum, & ad esum Agni Paschalis conficiebatur, ex alia farina fuerit, quam triticea: cum vel ipsi panes propositionis (quibus præfiguratum fuit hoc Sacramentum) confici deberent ex simila (id est flore albissima farina tritici) Levit. 24. cuique omnino convenientem, ut ad conficiendum nobilissimum Sacramentum, panis nobilior, puriorque, & inter alios panes magis utilis adhiberetur. Qualis est triticeus: cum alii panes in hujus defectum introducti videantur.

Præterea iste panis magis confortat hominem & ita convenientius significat effectum hujus Sacramenti, ait S. Thomas q. 74. a. 3.

Igitur nullus panis, nisi triticeus, aptus ad con-



secundam materiam putandus est (ait Catechismus Romanus p. 2. §. 12.) hoc enim Apostolica Traditio nos docuit, & Ecclesie Catholicae auctoritas firmavit.

40 Cujus quidem Traditionis argumentum est, quod in Ecclesiis Lybiae (ubi triticum non crescit) cum ex malitia Dioscori subtraheretur triticum, Ecclesiis illis à piissimis Imperatoribus praestitum (imprimis quidem, ut inveniuntur ex ipso hostia offeratur: deinde ut... pauperes aliquod mererentur solatium) neque terribile & inveniuntur sacrificium celebratum est; neque peregrini pauperes hoc solatio frusti sunt, ut in Concilio Calcedonenis Ithyridion Diaconus conquestus est act. 30.

41 De pane proinde tritico sermo est in canone in Sacramento de Consecr. dist. 2. cum dicitur: *In Sacramento corporis & sanguinis Domini, nil amplius offeratur quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquae mixtum.* Sicut & can. cum omne crimen ibidem: *evidens Evangelicae veritatis lumen illuxit, quod, praeter panem, & vinum, aliud offerri non licet.*

42 Excluditur proinde panis hordeaceus, quem nec simpliciter, sed cum addito panem dici, apparet ex Joan. 6. *est puer unus hic habens quinque panes non simpliciter dictos, sed cum addito, hordeaceus.*

43 Sed quid de pane ex siligine, seu fecali? Vafquez, Pefantius & Palao, censent non esse triticum. Sed contra sentiunt S. Thomas q. 72. a. 3. ad 2. Victoria q. 55. de Euchar. Sorus in 4. dist. 9. q. un. a. 3. Bonacina disp. 4. q. 2. p. 1. Tannerus de Euchar. disp. 5. n. 88. & seqq. Layman l. 5. tr. 4. c. 2. n. 2. Cum siligine panis simpliciter & absolute panis appellatur, & ex semine tritici siligo generetur. Siligo ergo verè triticum est, tamen minus perfectum. Unde S. Thomas loco citato: *Si quae frumenta sunt (nota ly frumenta, frumentum enim idem est quod triticum) quae ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminatio in malis terris generatur siligo) ex tali frumento panis confectus, potest esse materia hujus Sacramenti.*

44 Speltam tamen à tritico specie differre, S. Doctor inde probat, quod granum tritici, ubicumque, & quomodocumque seminatum, nunquam proferat speltam, nec e contra. Sed aliter Angelicus Doctor fortasse tenuisset, si vidisset, quod resolutus Doctor noster, Joannes de Bacone in t. dist. 8. in Anglia se vidisse testatur, speltam utique, quasi nihil à tritico differentem in ipicarum formatione, in forma granorum, colore saporeque panis. Unde Alanus (apud ipsum) censet speltam esse tritici speciem. Speltam etiam Tannerus & Layman aiunt esse triticum, seu frumentum, si non stricte, saltem late dictum; atque hac ratione Tannerus n. 101. Suevorum Constantiniumque approbat morem, consecrandi in pane ex ipelta. Sed ego approbare non auctim, eò quod sic materia dubia. Quod & de siligine sentio, eò quod non omnino convincens sit D. Thomae argumentum: cum (Plinio teste l. 18. c. 8.) possit triticum tandem etiam degenerare in avenam, & non solum in siliginem.

45 Quia verò admixtio aquae ad farinam est de substantia panis, atque adeo de necessitate hujus Sacramenti, S. Thom. q. 74. a. 7. ad 3. & Doctores communiter aiunt, quod si farina non admisceretur aqua naturalis, sed rosacea, vel alius liquor, ex tali pane non conficeretur Sacramentum. Contraria tamen opinio Alberti, Durandi, Pefantii, &c. quoad panem aqua rosacea subactum, non caret probabilitate. Quia ex dictis l. 2. de materia Baptismi, probabile est aquam rosaceam specie non differre ab aqua naturali. Dicendum proinde

Tom. III.

cum rubrica Missalis Romani, ejusmodi panem esse materiam dubiam.

Et quia modica permixtio (ut S. Thomas ait q. 74. a. 3. ad 3.) non solvit speciem: quia id quod est modicum, absumitur à plurimo. Ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus Sacramenti. Si verò sit magna permixtio (puta ex aequo, vel quasi) talis permixtio speciem mutat, si non physicam, saltem moralem. Unde panis, exinde confectus, non erit debita materia hujus Sacramenti.

Ex hoc Angelico principio consequens est, hostiam rubram ex farina triticea, cinnabaro permixta (quae litteras obfignare solemus) esse materiam valide consecrabilem, si mixtio cinnabari adeo modica sit (ut esse solet) ut tritici quantitas notabiliter excedat. Cum de ejusmodi panem modo philosophandum sit, uti de vino albo, cui tinctura rubra, in modica quantitate, admixta est. Neque verò dictus panis inde magis definit esse usualis, quam vinum taliter derubratum: tamen Lugo disp. 4. sect. 1. contra sentiat.

Hæc de pane dicta sufficiant, nisi quod addenda sit declaratio Concilii Florentini sess. 25. in quolibet pane tritico, sive azymo, sive in fermentato, corpus Christi veraciter confici; Sacerdotique in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta Ecclesie suae, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem; ita scilicet, ut in Monasteriis, vel Ecclesiis quae sunt Graecis in Ecclesia Latina destinata, ubi servatur ritus Graecorum, servare debent Graeci usum fermentati (ait Sylvius q. 74. a. 4.) ut indicat Leo IX. episc. 1. c. 29. Et similiter Latini usum azymi, in Ecclesiis, quas sibi suscipere ritibus propriis habent in Graecia. Quia perinde est ac si singuli versarentur in sua Ecclesia. Videri potest Constitutio Pii V. quae incipit *providentia Romani Pontificis*, in qua revocat licentiam Graecorum, celebrandi in dictis Ecclesiis more Latino, & Latinorum celebrandi more Graeco.

Latinus quoque iter agens per Graeciam, aut Graecus per Occidentem, potest, ubi nullum est scandalum periculum, retinere suum ritum (inquit Sylvius loco citato) quamvis si conformaret se Ecclesiae in qua versatur, non esset accusandus; juxta regulam Ambrosii, apud Augustinum episc. 118. *Ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi.*

De vino, seu materia, ex qua conficitur sanguis Domini, num. 36. dixi ex Florentino, Christianique institutione & exemplo, de necessitate Sacramenti esse debere vinum de vite. Cujus hanc rationem S. Thomas a. 5. affert, quia ad materiam Sacramentorum assumitur id quod proprie & communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur, quod de vite sumitur. Alii vero liquores vinum dicuntur secundum quandam similitudinem ad vinum vitis. Deinde vinum vitis magis competit ad effectum hujus Sacramenti, qui est spiritualis lætitia: quia scriptum est, *vinum lætificat cor hominis.*

Proinde excluditur agrestis, sive omphacium, & acetum. Agrestis quidem, quia (ut S. Doctor ibidem ad 3. observat) est in via generationis, & ideo nondum habet speciem vini: acetum verò, quia vinum fit acetum per corruptionem. Unde non fit reditus ab aceto ad vinum... Et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc Sacramentum; ita nec de aceto. Possit tamen confici de vino aceto, sicut & de pane qui est in via ad corruptionem, licet peccet conscientia. Haec tenet S. Thomas.

De musto non est dubium valide confici Sa-

L 2



cramentum. Quia mustum jam habet speciem vini (prosequitur sanctus Doctor ibidem) nam ejus dulcedo attestatur digestionem, quae est completio à naturali calore, ut dicitur in 4. Meteor. Est ideo de musto potest confici hoc Sacramentum. . . Prohibetur tamen, ne mustum statim expressum de uva, in calice offeratur: quia hoc est indecens, propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri. Dicitur enim à Julio Papa: si necessitate fuerit, botrus in calicem comprimitur.

53 Id quod sanctus Doctor haud dubie intelligit de musto expresso ex uvis maturis, vel ferè maturis, cap. cum omne de Consecr. dist. 2. Quia si expressum sit ex uvis immaturis, agrella est, non vinum. Si in uvis, licet maturis, adhuc contentum, non habet rationem potus, sed cibi. Nam uva non est vinum, neque potus (inquit Etilius in 4. dist. 8 §. 9.) neque potabile quiddam. Unde non dicitur bibi, sed manducari.

54 Et quia liquores maiorum granatorum, vel mororum, aut hujusmodi, non dicuntur propriè vinum, sed secundum similitudinem (ait S. Thomas ad 1.) ideo ex illis non potest confici Eucharistia.

55 Nec confici potest ex vino adulto, quamlibet ex vino de vite confecto. Quia in aliam substantiam transiisse censetur, nec cenetur amplius vinum. Bonacina disp. 4. q. 2. puncto 2. Censetur tamen cum Etilio loco citato, Corneo nostro, pluribusque aliis Doctoribus apud Leandrum disp. 7. de Euchar. q. 36. & Dianam p. 11. tr. 1. resol. 17. contra Alanum, Armillam, Henriquez, Anglez, Fernandez, Nugnum, Martinum Ledefinam, Lessium, &c. confici posse ex vino congelato, saltem si recens sit congelatio, utpote in calice paulò ante consecrationem facta. Manet enim tunc salva tam virtus, quam species vini: cum per congelationem tam recentem non corrumpatur (ut constat ex eo quòd Christi sanguis in calice consecratus esse non desinat, eo ipso quo post consecrationem congelatur) lique per se potabile, tamen hic & nunc non proximè. Quod minimè requiritur in hoc Sacramento, utpote in usu non consistente.

56 Quia tamen vinum congelatum est materia aliquo modo controversa, peccaret qui in eo consecraret, glacie non solutà. Solvenda proinde glacies est ante consecrationem, linteo utique, vel panno caldo calicem involvendo, vel calicem (dum illud non sufficeret) in aqua terrente usque ad glaciei solutionem immergendo, tam providè tamen, ut aqua calicem non subintraret. Quod etiam fieri debet, si calix post consecrationem congelatur. Sic enim rubrica Missalis habet tit. de defect. circa Miss. occur. Si in hyeme sanguis congelatur in calice, involvatur calix panno calefacto. Si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua (dummodo calicem non intret) donec liqueat.

## CAPUT VI.

Vinum, quod est materia calicis, aqua modicà permixtum esse debet de necessitate præcepti Ecclesiastici, non de necessitate Sacramenti, nec de necessitate præcepti divini.

57 Vino (ait S. Thomas a. 6.) quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua admisceri. Primum quidem propter institutionem. Probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua permixto, secundum morem illius terræ. Unde S. Prov. 9. dicitur: Bibite vinum, quòd miscui vobis. Secundò, quia hoc convenit representationi Dominice Passionis. Unde dicit Alexander Papa: NON DEBET IN CALICE DOMINI. AUT VINUM SOLUM, AUT AQUA SOLUM OFFERRI, SED UTRUMQUE PERMIXTUM;

QUIA UTRUMQUE EX LATERE ETUS IN PASSIONE SUA PROFLUXISSE LEGITUR. Tertio, quia hoc convenit ad significandum effectum hujus Sacramenti, qui est unio populi Christiani ad Christum. Quia, ut Julius Papa can. cum omne crimen de Consecr. dist. 2. dicit, calix Dominicus, juxta Canonum præcepta, vino & aqua permixtus offerri debet, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verè ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Quarto, quia hoc competit ad ultimum effectum hujus Sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam. Unde Ambrosius dicit in lib. de Sacram. Redundat aqua in calicem, & salit in vitam æternam.

Prima ratio S. Doctoris: probabiliter creditur, quòd Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua permixto, recipitur & approbatur à Concilio Tridentino sess. 22. c. 7. ubi absolute, & sine addito probabiliter ita credi pronuntiat, dicens, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; eò quòd Christum Dominum ita fuisse credatur.

Neque tamen illic consequitur, id esse de necessitate Sacramenti, vel præcepti divini: quia etiam nos Latini credimus, Christum in azymo consecrasse. Non ideo tamen credimus id esse de necessitate Sacramenti, nec de necessitate præcepti divini. Nec est in Ecclesia Catholica qui id asserat. Quòdque aqua mixtio non sit de necessitate Sacramenti, rubrica Missalis tit. de defectu vini expressè declarat, & Florentinum insinuat, dum calicis materiam designando vinum de vite, non addit aqua permixtum (ne crederetur id esse de necessitate Sacramenti) sed mutatà expressionis formulà, addit: cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet, ut inde concluderetur sola necessitas præcepti.

Quòd præceptum tamen Valentia putet esse divinum: communior & vera sententia est non esse nisi Ecclesiasticum. Id enim significat Julius Papa supra, cum ait: Calix Dominicus. Juxta Canonum præcepta, vino & aqua permixtus offerri debet. Significat & Tridentinum proximè relatum, aens, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus &c. Cur enim alioqui Julius Papa solius canonici meminisset, non divini? Cur Tridentinum solùm dixisset ad Ecclesia esse præceptum, cum potius dicere debuisset ad præceptum esse a Christo, si à Christo præceptum esse censuisset? Nec Tridentinam sic loqui solet, ubi præceptum est divinum, atque à Christo ipso conditum.

Accedit quòd si aqua mixtio foret de jure divino, nulli omnino sacerdoti liceret unquam sine vino & aqua consecrare; nec Ecclesia posset id permittere. Atqui certum est Armenos sine aqua consecrare à multis annis. . . nec tamen eos videmus in Concilio Florentino ab Ecclesia peccati admonitos, aut reprehensos. . . quasi mortaliter peccarent, aut agerent contra jus divinum, inquit Gamaheus hic q. 74. a. 3.

Accedit item quòd si præceptum hoc esset divinum, vix ostendi posset aqua mixtionem non esse de necessitate Sacramenti, ait Sylvius ibidem a. 7.

At (inquis) Christus, postquam consecravit in vino & aqua, dixit: Hoc facite in meam commemorationem.

At (inquam ego) hoc etiam dixit, postquam consecravit in azymo. Nec tamen inde concluditur divinum præceptum consecrandi in azymo.

Ex verbis proinde Christi: Hoc facite, &c. 10. hujus concluditur divinum præceptum consecrandi corpus & sanguinem Christi, sive illud in sacrificium offerendi, in commemorationem crucis sacrificii crucis.

Potest tamen Ecclesiasticum illud præceptum



divina institutio appellari, prout à nonnullis Patribus appellatur. Tum quia præceptum illud ex speciali Dei inspiratione conditum est ab Apostolis. Quomodo jejuniū quadragesimale, Leo Papa institutionis divine salubritate provivum esse dicit. Tum quia eatenus est divina institutio, quatenus à Christo tradita, non lege, nec præcepto, sed exemplo. Quo sensu institutionem illam nonnulli Patres aiunt esse ordinem divinitus traditum.

67 Sed quid ad Cyprianum relatum cap. in sanctificando de Consecr. dist. 2. Videtur enim primâ facie aquæ mixtionem asserere necessariam necessitate Sacramenti. At enim: *Sic in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Si verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sit, ubi miscetur. Quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adinatum fuerit & copulatum, & panis unus compage solidatum.*

Respondet certam esse Cypriani mentem in contrarium: cum ibidem dicat, quod si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine Christo, id est sine representata unitate corporis Christi, quod est Ecclesia, ut Glossa explicat ibidem.

68 Dicendum proinde cum S. Thoma in 4. dist. 11. q. 2. a. 4. ad 2. quod exponendum est verbum Cypriani, non potest, id est non debet. Quia illud possumus quod iure possumus. Et idem quantum ad id quod debet fieri, est simile ex parte corporis & sanguinis: non autem quantum ad id quod fieri potest. Quia aqua est de substantia panis; non autem de substantia vini. Vel dic in exemplis non esse querendam similitudinem omnimodam, ibique Cyprianum (disputantem contra Aquarios, in sola aqua consecrantes) solum velle probare, quod aqua sola valide consecrari nequeat; sicut vinum solum licite consecrari nequit.

69 Sed quamobrem (inquit) vino modicam aquam miscendam esse dicimus? Respondet quia certum est, quod aqua esse debet in minori quantitate quam vinum, cap. perniciosus de celebrat. Miss. Et quia in Florentino habetur, quod aqua modicissima admisceri debet. Denique Ferdinandus de Castro-Palao testatur, esse consuetudinem & praxim Romanæ Ecclesiæ, octies vel decies plus vini apponere, quam aquæ. Tametsi hic scrupulosè non sit procedendum, ne sensu deluto, nihil aquæ in calice fundatur.

70 Si curiosius inquiras, quantum aquæ sine scrupulo apponi queat? Cardinalis de Lugo disp. 4. n. 38. respondet non videri scrupulum habendum, si quinta vel sexta pars aquæ apponeretur. Tum quia credibile non est vinum aded esse debile, ut tam modicâ aquâ corrumpatur. Tum quia Concilium Triburicense anno 895. celebratum can. 19. permittit apponere tertiam aquæ partem. Dicit enim: *Dua partes sunt vini (quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi) tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas nature humane.*

71 Sed tutius sequimur Florentinum, aens aquam modicissimam admiscendam, præsertim hæc in partibus, ubi nec vina aded generosa sunt, & sæpe in cavea, vel in via baptizantur, priusquam in altari ministrentur. Quo tamen haud obstante, vinum in altari per Sacerdotem adhuc misceri debet. Tum quia aqua dolio apposta non sufficit ad significationem hujus Sacramenti, ait S. Thomas a. 8. ad 3. Tum quia mixtio præcepta est, tanquam cæremonia sacra, pertinet ad sacrificium, ideoque in altari fieri debet ab ipso sacrificante. Idque sub mortali, non obstante materie parvitate. Quia tametsi parva sit entitative, magna est significative, prout demonstrant quatuor rationes S. Thomæ n. 5. productæ.

Quod si Sacerdos aquæ mixtionem ante Offertorium oblitus, id ante calicis consecrationem advertat, aquam calici ante consecrationem infundere debet, eam Deo mentaliter offerendo. Sed si advertat celebrans, post consecrationem calicis, non fuisse appositam aquam, nullo modo apponat (inquit rubrica Missalis) quia non est de necessitate Sacramenti.

## CAPUT VII.

*Aqua vino permixta in Christi sanguinem unâ cum vino immediatè convertitur.*

Circa aquam adjunctam vino, dicendum (inquit S. Thomas a. 8.) quod sicut Innocentius III. dicit in quadam Decretali cap. cum Mattheus de celebr. Missar. triplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod aqua, adjuncta vino, per se manet, vino converso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest. Quia in Sacramento altaris, post consecrationem, nihil est nisi corpus & sanguis Christi. Sicut enim Ambrosius dicit in lib. de officiis: ante benedictionem, illa species nominatur: post benedictionem corpus significatur. Alioquin non totum adoraretur veneratione latræ.

Et idè alii dixerunt, quod sicut vinum convertitur in sanguinem; ita aqua convertatur in aquam, que de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest. Quia secundum hoc, aqua seorsim consecraretur à vino, sicut vinum à pane.

Et idè, sicut ipse (Innocentius III.) dicit: *75 aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem.*

Eliminatâ igitur è scholis opinione dicentium, *76 aquam vino in calice mixtam, converti in aquam quæ de latere Christi fluxit: eò quod verba consecrationis calicis nullo modo significant istam conversionem; & in illud solum conversio fiat, quod consecrationis verba significant. Eliminâtâ etiam opinione dicentium, aquam vino mixtam, per se post consecrationem manere (quia in Sacramento altaris Ecclesia post consecrationem, nihil agnoscit nisi corpus & sanguinem Christi, sub speciebus panis & vini) certa est sententia, quæ ponit aquam vino mixtam in Christi sanguinem per consecrationis verba converti. Sed controversa est an mediâtè? an immediatè?*

Opinio quæ ponit aquam solam mediâtè converti in sanguinem, ita ut prius converti debeat in vinum, est S. Thomæ, Alensis, Bonaventuræ, Scoti, Abulensis, Sylvii, ipsiusque Carechismi Romanani. Estque illa quam Innocentius III. supra probabiliorè dicit. Sed certa non est. Contraria quippe opinio (quæ ponit aquam immediatè converti in sanguinem, tametsi prius in vinum mutata non fuerit) graves etiam habet defensores, Cardinalem Alanum, Baronium, Toletum, Salmeronem, Jansenium Gandensem, Sotum, Card. de Lugo, aliosque multos; & quamvis tempore Innocentii III. prior opinio ipsi visa sit probabilior, attentâ autoritate Scholasticorum (quorum major & potior pars ei patrocinabatur) attentâ etiam Philosophiâ istius temporis: Posterior nihilominus hodie videri potest probabilior, attentâ doctrinâ SS. Patrum, Philosophiæque modernâ. Cum ex una parte, ob rationem n. 73. ex S. Thomæ allatam, certa sit communis doctrina Patrum Justinii Martyris sub finem Apol. 2. Cypriani epist. 63. Ambrosii lib. 4. de Sacram. c. 4. & 5. Damasceni lib. 4. fid. orthod. c. 14. Paschali I. de corp. & sang. Dom. c. 11. Rabani lib. eodem c. 30. Algeri lib. 1. de Sacram. c. 19. dicentium aquam vino in calice mixtam, in Christi sanguinem transmutari, nihilque in calice post consecrationem esse



nisi Christi sanguinem. Ex alia verò parte istius doctrinæ certitudo non pendeat à Peripatetica illa Philosophia, docente quòd aqua vino permixta, in vinum tranfmuteatur. Cùm isti Philosophi accuratior Philosophia adverteatur, & aqua sine ista tranfmutione, incorporari queat vino, fierique pars ejus, sicque in Christi sanguinem tranfmutari.

78 Quòd autem Peripateticæ Philosophiæ, docenti tranfmutionem aquæ in vinum, accuratior Philosophia adverteatur, doctissimus amicissimusque Boudartius tr. 3. de Sacram. Euchar. §. 1. q. 6. bene ostendit: *Antiquorum enim (inquit) & recentiorum accuratior Philosophia comprobatur, elementa adeò esse fixæ naturæ, ut nequaquam in seipsa substantialiter permuteantur. Nunquam enim v. g. aqua, quantumvis lato immixta, terram vertit in suam substantiam, nec vice versâ: quia possunt semper particule terrestres ab aqueis secerni. Sicut etiam in vapore, qui ex particulis aeris & aque constat, quando particule aeris condensantur, particule aquæ, antea disperse, in aquam sensibilem coalescunt. Kircherus phialam semiplenam aquâ limpida, multis annis bene obturatam conservavit; in qua semper aqua mansit ejusdem altitudinis, adeoque nec aer simul inclusus, in ipsam, nec hæc in illum substantialiter mutata sunt. Atque eadem est ratio de aliis. Elementa quoque non transeunt in mixtum, sed in hoc manent particule cujusque elementi permixtæ: unumquodque enim ex iis componitur, in que resolvitur. Jam verò experientia Chymicorum constat, unumquodque mixtum in elementa resolvî. Sic, ut verbo id dicamus, lapidi perfrigida non solum partes terrestres insunt, sed ex illo vi caloris educitur vapor, qui (ut antè dictum est) ex particulis aeris & aquæ constat. Latens etiam in eo igne particula: Quomodo enim aliis per affricum ferri ex eo profiliunt, nisi in illo laterent? ... Prædictis autem supposito, facile intelligitur, quomodo modica aqua, vel etiam tertia pars, respectu vini (prout posse adhiberi præscripsit Tribariense Concilium) mutetur in sanguinem Christi: quia nempe incorporatur vino, & fit pars ejus (tametsi in vinum substantialiter non tranfmuteatur) tamesi enim debilis evadat, non desinit esse vinum: nec est ulla ratio, quare ista particule aquæ non transeant in sanguinem Christi, sicut partes terreæ, vel igneæ, que in eodem latitant.*

79 Et hinc fit quòd Patres tam absolutè dicant, aquam vino mixtam tranfire in sanguinem Christi; quòdque Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. dicat: *Vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi celestis.* Et Damascenus l. 4. c. 14. *fitque vinum & aqua sanguis Christi.* Et Paschalius ubi supra: *aqua consecratur, non quòd aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem.*

80 Neque loquuntur sub dubio, vel supposito, vel conditione, si nempe prius aqua in vinum convertatur. Quia conversio ista nimis incerta est, ut in ea fundent tam firmam resolutamque assercionem suam; jamque tempore ipsorum, vel antè Plinius scriperat (in confirmationem accuratioris Philosophiæ supradictæ) vinum purum à limphato secerni posse, si vas ex hedera fiat, per quod transeunte vino, aqua vino mixta, vasi adhærebit, vinumque distillat. Sed & in variis Lyturgiis Jacobi, Basilii, &c. aqua vino itatim ante consecrationem miscebatur. Quòd & Christus fecit. Credibile verò non est, aquam (maximè pro tertia parte mixtam) tam modico tempore in vinum converti. Confer quæ dixi lib. 2. c. 3.

*præfens esse debet consecrari, ut ad sensum pronomine hoc & hic valeat demonstrari.*

81 **C**onstat, tum quia formæ veritas id postulat. Tum quia Christus sic factò docuit, dum panem & vinum sibi ad sensum præsentia, imò accepta in sanctis ac venerabilibus manibus consecravit. Tum denique quia id ipsum confirmat Ecclesiæ praxis, quæ nullam unquam materiam, nisi modo dicto præsentem consecrat.

82 Delinant proinde hæretici Catholicis calumnia, sè imponere, quòd doceant Sacerdotem simul consecrare posse omnes panes, qui sunt in foro venales. Neque enim omnes sat propinqui sunt & præfentes, ut ad sensum pronomine hoc valeant demonstrari; uti nec omnia vina in magna cella vinaria reclusa; sed oportet emptorem de loco ire ad locum, ut quod cupit, determinet, dicens: *hoc volo, non istud.*

83 Ad dictam quoque præsentiam minimè sufficit, quòd materia consecranda sit parum distans, si non sit coram Sacerdote, sed à tergo, vel post parietem. Quia res sic collocata, moraliter hominum sensu & usu (cujus in Sacramentis humano modo efficiendis habetur ratio) non censentur taliter præfentes, ut ad sensum pronomine hoc & hic demonstrabiles sint.

84 Non sufficit etiam quòd materia visu percipia, si sit valde distans. Nec enim tunc ad sensum demonstrabilis est pronomine hoc, sed pronomine illud.

85 Denique si materia sit valde magna, non sufficit quòd secundum aliquam sui partem ad sensum sit præfens, ut consecrabilis sit secundum se totam, etiam secundum partes valde distantes. Aliàs Oceanus, in vinum conversus, totus consecrari possit à Sacerdote, cui ad sensum præfens esset secundum partem littoris Dunkerkano adjacentem. Quòd dici nequit, ob nimiam distantiam partium Oceani, Indis adjacentium.

86 Non est tamen necesse, quòd materia consecranda in se actu videatur, vel tangatur à Sacerdote, dummodo coram ipso propinque possit; sed satis est, quòd sensibilibus percipitur in se, vel in aliquo, cum quo vel faciat moraliter unum, ut pars cum toto, vel ad quod se habeat, ut contentum in continente. Unde valde consecratur hostia latitans in acervo, panis in calice cooperto, vinum in dolio. Sic enim pecuniam in bursa clausa demonstrantes dicimus: *hæc est mea pecunia.* Et diversa vina in diversis dolis demonstramus his pronominibus: *hoc est album, istud rubrum.*

87 Juxta rubricas tamen Missalis ante Offertorium aperienda est pixis, in qua hostiæ continentur, non necessitate Sacramenti, sed præcepti. De hostia corporali involuta, idem est quòd de hostia in pixide clausa, vel de vino in calice cooperto. Quæ ad sensum sufficienter præsentia censentur, ut dictis pronominibus demonstrantur.

88 Adde pro scrupulis, materiam consecrandam non debere esse tam parum distantem, ut halitus vel sonus verborum formæ ad ipsam perveniat, vel pervenire queat. Cùm id necessarium non sit, ut modo dictò demonstrabilis sit. Indecorè proinde & absque ratione Sacerdotes quidam, dum Consecrationis verba proferunt, os & labia ita materiæ admovent, ut eam halitu suo perfundant, cum tam inconcinna subinde oris compositione, tamque indecenti formæ prolatione, ut adstantes ad risum excitent, quos modestiæ capitis inclinatione, sacrorum verborum secretâ, distinctâ & devotâ pronuntiatione (prout rubrica præscribit) ad devotionem debere provocare.

## CAPUT VIII.

*Materia consecranda sic physice & moraliter*

CAPUT



## CAPUT IX.

*Materia consecranda per consecrantis intentionem determinari debet.*

89 **Q**uemadmodum enim in aliis Sacramentis necessaria est determinatio subiecti per intentionem Ministri, quæ velit v. g. hoc determinatè subiectum baptizare, confirmare, absolvere, &c. sic in hoc Sacramento necessaria est materiae determinatio, quæ velit v. g. has determinatè particulas consecrare. Cùm demonstratio *hoc & hoc*, quæ fit per formam, in materiam à Sacerdote designatam cadere debeat: sensus quippe formæ seu verborum consecrationis panis v. g. est hic, *hoc continentium sub his speciebus est corpus meum*. Quis sensus supponit designationem materiæ quæ consecratur.

90 **E**t hinc sequitur 1<sup>o</sup>. quòd si Sacerdos, coram se habens sex panes, ex illis consecrare velit quinque, non determinando quos, nullum consecrabit. Nec enim consecrabitur: cùm non velit consecrare sex. Nec quinque: quia defectu designationis, non est cur unum præ aliis consecratum relinquat; & demonstratio per pronomen *hoc & hic* humano moralique modo cadere nequeat super aliquòd, quòd non scitur esse hoc potius quàm illud. Qui enim determinatè non scit quis currat, etsi feat in confuso aliquem currere, humano moralique modo dicere nequit, *hic currit*; sed tantum, *aliquis currit*.

91 **S**equitur 2<sup>o</sup>. quòd si cum pluribus particulis consecratis unam non consecratam sic misceri contingat, ut Sacerdos designare nequeat, quænam illa sit, eam validè consecrare non possit, quantumcumque in animo dicat, *eam solum consecrare volo, quæ consecrata non est*. Quia eam ad sensum pronominis *hoc* demonstrare nequit. Validè tamen consecraret, etsi gravissimè peccaret, si absolutè omnes consecrare vellet, dicendo: *volo omnes consecrare*. Validè quoque eam consecraret, sub conditione dicendo: *volo omnes consecrare, si non sint consecrata*. Perinde enim foret, ac si super singulas sigillatim diceret: *volo hanc consecrare, si non sit consecrata*. Card. de Lugo disp. 4. sect. 7.

92 **N**on licet tamen sic facere. Quia non licet sub conditione reiterare formam consecrationis super materiam, quæ certò scitur consecrata. Hoc autem tunc fieret: cùm Sacerdos supponatur certò scire omnes, præter unam, consecratas esse. Lugo loco citato.

93 **N**ec dicas cum Diana p. 9. tr. 8. resol. 64. esse necessitatem reiterandi, ne proximus fumat non consecratam pro consecrata. Quia huic inconvenienti occurrì potest, vel singulis communicantibus duas ex hostiis illis distribuendo; vel melius omnes illas hostias in tabernaculo conservando, ab uno vel pluribus Sacerdotibus, post sumptum sanguinem in Missa, paulatim consumendas. Post sumptum (inquam) sanguinem: ne exponat se periculo sanguinem fumendi non jejunos.

94 **S**equitur 3<sup>o</sup>. quòd si Sacerdos unam in manibus hostiam habere se putans, habeat duas, consecrat duas, si simpliciter consecrare velit materiam coram se positam. Duas quippe præcè vult consecrare, licet speculativè putet se non consecrare nisi unam. Cùm præcè intentio (quæ in dicto casu est de consecrandis duabus, utpote coram se positis) non destruat per errorem (utpote speculativum duntaxat) quo putat coram se non habere nisi unam.

95 **S**equitur 4<sup>o</sup>. regulariter ambas censeri consecratas, dum Sacerdos formam profert super duas,

putans se non profert nisi super unam. Quia regulariter & ordinariè censetur velle consecrare totum quòd præ manibus habet, dum sine restrictione formam profert super illud, uti juxta rubricam Missalis profert debet. Sic enim habet: *Quilibet Sacerdos solum semper intentionem habere debet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet*. Ita Doctores communiter contra Majorem, qui putat Sacerdotem, in dicto casu, solum consecrare hostiam quam videt. Quòd verum esset, si animo exprimeret, se eam solum consecrare velle. Sed hoc ordinariè non fit. Cùm Sacerdos quilibet ordinariè præsumatur conformare intentionem suam dictæ rubricæ.

96 **S**equitur 5<sup>o</sup>. illas hostias, seu formulas censeri consecratas, quas Sacerdos, vel alius (ipso sciente) ad altare detulit consecrandas, & super corporale posuit, tamen consecrationis tempore Sacerdos earum immemor, calicem vel ciborium (in quo continentur) non discooperuerit. Quia dum sacerdos (vel alius ipso sciente) eas ad altare detulit posuitque super corporale, voluit eas consecrare (idèd namque detulit, vel deferri permisit) nec voluntatem illam oblivio vel distractio destruxit, nihil proinde obstat ne virtualiter permaneat. Ita Doctores passim omnes.

97 **M**ajor est difficultas, si hostiæ illæ allatæ, & super corporale posita fuerint in calice Sacerdotis. Tunc enim Doctores communiter censent non habendas consecratas, defectu intentionis, quæ non fertur in incognitum.

Censet tamen cum Wiggers, Candido, Palao, Nugno & aliis apud Dianam p. 2. tr. 3. miscell. resol. 19. & p. 9. tr. 8. resol. 60. quòd habendæ sint consecratæ, si Sacerdos habuerit (ut juxta allatam rubricam Missalis habere debuit) voluntatem consecrandi omnes hostias coram se ad consecrandum super corporale positas. Tunc enim consecrantis intentio non minùs in omnes illas fertur, quàm in duas, quas præ manibus habet, & in calice secum tulit, putans non habere nisi unam. Nec intentio ipsius magis fertur in incognitum in illo casu, quàm in isto.

98 **P**lus dico: quamvis enim Suarez disp. 43. sect. 6. Candidus, Wiggers, Palao, Lessius, aliique plures censent non consecrari hostias, quas Sacerdoti, in altari existentem, Sacrifica detulit, potuitque super altare, sed non super corporale, Sacerdote id advertente, & habente intentionem ponendi eas, ante consecrationem, super corporale, sed postea de illis amplius non cogitante. Etiam istas existimo cum Præposito q. 74. a. 2. dub. 3. Gamacheo ibid. c. 4. Hurrado disp. 2. diffie. 16. Leandro à SS. Sacram. q. 73. consecratis esse. Quia sicut Sacerdos, videns sibi ad consecrandum offerri hostias in calice cooperio, & habens intentionem eas discooperiendi, sicut Missalis rubrica præcipit; si tamen id ante Offeritorium & Consecrationem oblitus fuerit, eas nihilominus consecrare censetur, habereque intentionem eas consecrandi. Sic Sacerdos, videns sibi ad consecrandum offerri hostias positas super altare, extra corporale, & habens intentionem eas super corporale ponendi (sicut eadem rubrica præcipit) si id ante Offeritorium & Consecrationem oblitus fuerit, eas nihilominus consecrare censetur, habereque intentionem eas consecrandi. Quemadmodum enim in priori casu (qui communiter admittitur) sic intelligitur pia Sacerdotis intentio: *volo eas cum majori hostia consecrare, prius tamen discooperiam calicem in quo continentur*: sic in posteriori casu, sic intelligitur pia Sacerdotis intentio: *volo eas cum majori hostia consecrare, prius tamen collocabo super corporale*. Et sicut in priori casu naturalis oblivio, vel inadvertentia eas discoope-



riendi minimè obstat, ne eas consecrandi intentio virtualiter perseveret: sic naturalis oblitio vel inadvertentia eas super corporale ponendi, in posteriori casu, minimè obstat, ne eas consecrandi intentio virtualiter perseveret.

99 Sciunt igitur Sacerdotes, hostias illas reverenter tractandas esse. Quia ad minus rationabile dubium est, an non sint consecratae. Et usque adeò consecratas Gamachus censet (apud Dianam) ut poter absque nova consecratione fidelibus, citra necessitatem, porrigi possit. Quod tamen, ob communem in contrarium opinionem, in solo casu necessitatis admitto, v.g. in quo Viaticum moribundo hic & nunc foret ministrandum, nec hostia certò consecrata, nec tempus consecrandi supererit. Extra necessitatem verò Sacerdos, de eorum consecratione incertus, vel dubius, fumere eas debet post sanguinem; vel (si nimis multae sint) rogare alium Sacerdotem, ut in suo Sacro, dum sacrificii sui hostiam absolutè consecrat, simul intendat eas consecrare, sub conditione quòd non sint consecratae; vel id ipse die sequenti in suo Sacro facere. Cavendo tamen, ne unquam id faciat post sacrificii sui consecrationem, etiam sub conditione. Ne periculo se exponat consecrandi sub una tantum specie. Quod nunquam licet.

100 Sciunt etiam ex Gavanto in rubric. Missal. p. 3. tit. 10. n. 19. sibi non esse prohibitum consecrare hostias, à Sacrifica, post Offertorium, pro communione populi ad altare delatas, mentaliter eas offerendo. Quod etiam Posselinus de offic. Curat. c. 2. n. 2. admittit, etiam si post Praefationem delatae fuerint.

101 Sciunt denique variare Doctorum opiniones; circa vini guttulas, calici adhaerentes intra cuppam, sed à reliquo continuo separatas. Suarez namque disp. 43. Hurtadus, Layman, Reginaldus negant cum reliquo vino consecrari. Quia putant ordinariam Sacerdotis intentionem non esse nisi consecrandi materiam in calice contentam per modum continui. Oppositum censent Bonacina disp. 4. q. 2. puncto 2. Præpositus, Dicastillus, &c. Quia sicut Sacerdos, consecrando calicem hostias plenum, ordinariè intendit consecrare totum panem in eo contentum, etiam particulas à reliquis hostiis separatas (& idem est de particulis hostiarum super corporale positarum) ita similiter, &c.

102 Cùm secunda hæc opinio idèò probabilior appareat, quia magis servare videtur communis doctrinæ consequentiam; optimè faciet Sacerdos, si, ad vitandum omnem scrupulum, similes particulas advertens ante consecrationem, eas abstergat: tamen non abstergere, nullum sit peccatum: modò de cætero intentionem habeat faciendi secundum Christi intentionem, Ecclesiæque praxim. Post consecrationem verò cavebit abstergere. Ne fortè Christi sanguinem abstergat. Eas igitur cum reliquo vino consecrato mixtas sumet, parum sollicitus de periculo frangendi jejunii naturalis, si guttas non consecratas prius fortè fumeret quàm sanguinem. Cùm, in circumstantiis ejusmodi, humano modo, non in rigore metaphyfico sit agendum, reverentiaque guttulis illis probabiliter consecratis debita, magis consideranda sit, quàm sollicitudo illa.

#### CAPUT X.

Forma, quæ conficitur venerabile Eucharistia Sacramentum, sunt verba Christi dicentis: hoc est corpus meum. Et, hic est calix sanguinis mei, novi & aeterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

103 Scilicet enim Florentinum tradit in instructione Armenorum, sicut & Catechismus Romanus p.

2. c. 4. de Sacram. Euchar. Quia (inquit) sic à sanctis Evangelistis Luca & Mattheo, itemque ab Apostolo docentur. Et quia Sacerdos (ut Florentinum ait) in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum.

In utraque forma additur enim: hoc est enim: hic est enim. Sed non est de essentia, ut S. Thomas ait q. Co. a. 8. Ly enim sublatum non tollit debitum sensum verborum. Et idèò non impedit perfectionem Sacramenti. Quamvis, peccet, qui prætermittit ex negligentia, vel contemptu. Quia, ut habet q. 78. a. 2. ad 5. hæc conjunctio ENIM apponitur in hac forma, secundum consuetudinem Romane Ecclesie, à B. Petro derivatam, & hoc propter continuationem ad verba præcedentia. Hæc autem præcedere, non est de necessitate Sacramenti, ut tanquam certum & indubitatum Doctores communiter tradunt, contra Scotum, putantem non confici Sacramentum, si præcedentia verba ista prætermittantur: qui præterquam pateretur, &c. Quia putat verba consecrationis sine illis non significare corpus & sanguinem Christi, sed Sacerdotis. Quod alienum est à vero. Cùm ad significandum corpus & sanguinem Christi, sufficienter determinentur per intentionem, quæ Sacerdos intendit ea proferre in persona Christi, non sua; sic ut Christus per os ipsius loquatur, sicut Rex per os Legati sui. Quomodò Deus olim per Angelum frequenter locutus est, ita ut Angelus in persona Dei verè diceret: Ego sum Deus Abraham, &c. uti Litteræ sacrae testantur. Nec necesse fuit, Angelum exterius adhibere verba, quibus exprimeret se loqui in persona Dei; sed ad id satis fuit intentio sic loquentis.

Itaque de necessitate formæ consecrationis panis sola sunt hæc verba: hoc est corpus meum. Ex quo sequitur de necessitate seu essentia formæ consecrationis calicis, sola quoque esse hæc verba: hic est calix sanguinis mei, vel hic est sanguis meus. Ita S. Thomas q. 78. a. 1. ubi quaerit utrum sit hæc forma hujus Sacramenti: hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei, nullà factâ mentione sequentium verborum? Et respondet affirmativè: quia hoc Sacramentum perficitur in consecratione materiae, sive importat solam consecrationem materiae, quæ in transubstantiatione consistit, puta cum dicitur: hoc est corpus meum, vel hic est calix sanguinis mei.

Ecce S. Doctor probat responsionem affirmativam, quia illa est forma hujus Sacramenti, quæ importat & significat consecrationem materiae, quæ in transubstantiatione consistit. Atqui sola illa verba, hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, vel hic est sanguis meus, significant & important consecrationem & transubstantiationem materiae, panis scilicet & vini. Tam enim verba ista: hoc est calix sanguinis mei, vel hic est sanguis meus, sine verbis sequentibus, novi & aeterni Testamenti, &c. significant consecrationem transubstantiationemque vini in sanguinem Christi, quàm verba illa: hoc est corpus meum, sine istis à Christo additis, quod pro vobis tradetur, significant consecrationem transubstantiationemque panis in corpus Christi. Tam enim vinum in Christi sanguinem transubstantiari virtute priorum verborum, quàm panem in corpus Christi virtute posteriorum, habemus ex Traditione. Si quidem Iulianus Martyr Apol. 2. Apostoli (inquit) ... ita sibi Jesum præcepisse tradiderunt, eum accepto pane, cum gratias egisset, dixisse, hoc facite in memoriam mei, hoc est corpus meum. Dixisse etiam accepto poculo: hic est sanguis meus: ipsique solis dedisse. Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 5. verbis illis prolatis, hic est sanguis meus, vinum in sanguinem converti dicit: inde sunt verba Christi... hic est enim sanguis meus. Antè verba



ha ista, calix vini & aqua plenus: ubi autem verba Christi prolata fuerint, ibi panis efficitur. Vetus Author sermonis de Coena Domini, apud Cyprianum: Ex quo à Domino dictum est, haec est caro mea, hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis & calix solemniter benedictione sacraui, ad vitam hominum vitam saluamque proficit. Eufebius Emisenus, vel quisquis est Author sermonis de corpore & sanguine Domini, qui incipit: Magnitudo celestium beneficiorum, sic ait: Irvisibilis Sacerdos visibilis creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo, secretâ potestate convertit, ita dicens: accipite & edite, hoc est enim corpus meum: & sanctificatione repetitâ: accipite, & bibite, hic est sanguis meus. S. Gaudentius tr. 2. de Exodo: Quod annuntiatum est credas: quia quod accipis, corpus est illius panis celestis, & sanguis illius sacre vini. Nam cum panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Credamus cui credimus: nescit mendacium veritas. Damascenus l. 4. fid. orthod. c. 15. Sicut Deus, dicendo, fiat lux, fecit lucem; ita dicendo, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, perficit hoc Sacramentum. Stephanus Edüentis de Sacram. altar. c. 14. Verè credendum, quod Sacerdote proferente verba haec: hoc est corpus meum, jam non est panis terrenus, sed ille panis, qui de caelo descendit. Item virtute verborum istorum, hic est calix sanguinis mei, vinum convertit in sanguinem Christi. S. Thomas ubi supra ad 4. Si Sacerdos sola verba prædicta proferret (hoc est corpus meum, hic est sanguis meus) cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum. Et art. 3. Omnia prædicta verba (quæ habentur in forma consueta) sunt de substantia formæ (non ut essentialia, sed ut integrantia, seu pertinentia ad integritatem eiusdem locutionis, ut ibidem exponit) sed per prima verba, cum dicitur: hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis. Quid clarius?

107 Neque circa hoc alius sensus est Græcorum, quam Latinorum: siquidem Petrus Arcadius in Græcorum Ritibus veratissimus l. 3. de concord. Eccles. Orient. & Occident. c. 16. t. statur, quod forma consecrationis, ... apud Græcos, sunt hæc verba & determinata eaque sola verba: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Quæ sunt verba Salvatoris, & ea extant in Lyturgia Græcorum. Similiter Cardinalis Cajetanus, & Card. de Lugo testantur, visa à se Missalia Græca, & Maronitarum cum solis illis verbis.

108 Denique verba hæc: novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, &c. in Lyturgiis, tam antiquis quam recentioribus Græcorum, à Sede Apostolica approbatis, vel penitus omittuntur, vel non omnia ponuntur, sed quæ in nonnullis ponuntur, in aliis omittuntur, & vice versâ. Hic proinde procedit argumentum S. Thomæ q. 78. a. 1. ad 4. ostendens omnia verba Canonis non esse essentialia, quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt à diversis apposta. Quid plura? Ne omnia quidem verba formæ consecrationis habentur in Evangelio, sive apud Matthæum, sive apud Marcum, sive apud Lucam. Apud Apostolum 1. Cor. 11. solum hæc habentur pro forma consecrationis calicis: hic calix novum Testamentum est in sanguine meo.

109 Itaque verba ista: novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum, non sunt de essentiali formæ calicis, etiam si graviter peccaret qui ea prætermitteret; eò quod Ecclesia, ab Apostolis, & à Christo ipso edocta, ea addi velit, non

sine magni significatione mysterii.

Dicitur enim novi, ad distinctionem veteris Testamenti, hircorum & vitulorum sanguine dedicati, ubi novum dedicatum ipsomet sanguine Christi.

Secundò dicitur æterni Testamenti, eò quod pignus sit & artha re-promissionis æternæ hereditatis, ut Apostolus ait Hebr. 9. Propter quod Ecclesia Sacramentum hoc vocat sacrum convivium, in quo ... futura glorie nobis pignus datur. Videri potest Catechismus Romanus, aiens, quod verbum ÆTERNI, ad hereditatem æternam, quæ Christi Domini, æterni testatoris, morte ad nos iure pervenit, referendum est.

Tertiò dicitur, mysterium fidei, non quo rei veritas excluditur, sed ita creditur, ut tam prodigiosum divini amoris miraculum nullis humanis argumentis suadeatur, sed solâ fide teneatur. Humana quippe ratio, sensibus delusa, tantas hic patitur difficultates, ut non crederemus Christi corpus & sanguinem in hoc mysterio realiter contineri, nisi præstaret fides supplementum sensuum defectuum.

Denique dicitur: qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum, ut in amorofo hoc mysterio fiat Dominicæ Passionis commemoratio. Apposet verò hoc loco potius, quam in consecratione corporis, Passio Dominicæ memoratur, in verbis: qui effundetur in remissionem peccatorum (ait Catechismus Romanus) sanguis enim separatim consecratus, ad Passionem Domini, & Mortem, & Passionis genus ante omnium oculos ponendum, majorem vim & momentum habet.

Potro verborum istorum, qui pro vobis, & pro multis effundetur, sensus est, qui pro vobis, hic utique præsentibus discipulis meis, & pro multis aliis effundetur. Ubi per multos alios proprie non intelliguntur omnes omnino homines (etsi pro omnibus sufficienter effusus sit sanguis Christi) sed omnes electi, pro quibus solis efficaciter est effusus, hoc sensu quod soli electi finaliter beneficium Passionis & Mortis Christi, salutem utique consequantur æternam. Vide quæ hæc de re dicta sunt to. 1. l. 9. cap. 28.

Si quæras quid demonstrent pronomina hoc & hic in forma consecrationis? & an verba consecrationis à Sacerdote proferantur recitative, an assertive?

Ad primum respondeo cum Argentinensi In 4. d. 8. q. un. a. 2. Majore, & Gabriele eadem dist. Sylvio q. 78. a. 2. Amico disp. 24. sect. 3. pronomina hoc demonstrare corpus Christi, non formaliter ut corpus Christi (sic enim sensus esset, hoc corpus meum, est corpus meum; nec proinde verba consecrationis significarent transubstantiationis mysterium) sed ut contentum sub specie panis, ita ut sensus sit: hoc contentum sub hac specie panis est corpus meum. Similiter pronomina hic in consecratione calicis demonstrat sanguinem, ut contentum in hoc calice, sub specie vini. Forma namque ista: hic est calix sanguinis mei, æquivalere huic: hic calix continet sanguinem meum. Sensus proinde ipsius est: hoc contentum in hoc calice, vel hoc contentum sub hac specie vini, est sanguis meus.

Pronomina ergo ista demonstrant ad sensum, id quod vi verborum ibi ponitur, completâ verborum significatione. In propositionibus enim prædictis, id est quæ non supponunt factum quod enuntiant, sed faciunt, demonstratum pronomine hoc non debet esse ad sensum præsens in principio, sed in fine propositionis. Quia significatio ejusmodi propositionum, ex communi earum usu & intellectu, suspenditur usque dum propositio sit completa. Eò quod in illis pronomina demonstrativa à prædictis determinari debeant, ad demonstrandum hoc potius quam illud. Quia



ergo prædicata solum ponuntur in fine propositionis, pronomina demonstrativa non demonstrant ad sensum in principio, sed in fine propositionis, ut patet, dum pater filium suum hæc dicitur liberum, dat alteri in servum, dicens: *hic est servus tuus*. In hac quippe prædicatione pronomen *hic* non demonstrat filium servum, nisi in fine propositionis, utpote per quam pater filium, antè liberum, facit servum. Similiter si Christus in Cana Galilææ aquam in vinum vertisset, dicendo: *hoc est vinum*, pronomine *hoc* non aliud demonstrasset, quam rem illam singularem, contentam in hydria, quæ in termino prolationis fuisse vinum. Unde ad hoc ut fiat demonstratio ad sensum, res demonstrata non semper præexistere debet demonstrationi, sed in propositionibus prædictis satis est quod sensibilibus sit præsens eo momento, quo propositio completur, juxta verissimam doctrinam S. Thomæ in 4. d. 8. a. 1. q. 2. *Scientia prædica non presupponit entitatem rei, sed præcedit ipsam naturaliter, quasi causa, est simul sine tempore. Et ad hunc modum se habent verba præmissa (hoc est corpus meum) quia sunt significativa, & factiva ejus quod significant. Unde veritas & significatio hujus locutionis præcedit naturaliter entitatem rei quam significat (id est naturam seu causalitatem prior est ipsa) & non presupponit ipsam, quamvis sit simul cum ipsa tempore, sicut causa propria cum proprio effectu. Sed quia significatio & veritas locutionis, que est simul tempore cum transubstantiatione, conjungit ex configurationibus partium successivè prolatarum; ideo oportet quod dictio ultimo prolata (id est prædicatum) compleat configurationem locutionis.*

¶ 117 Ad secundum respondeo cum eodem S. Doctore q. 78. a. 5. Sacerdotem proferre verba illa recitative simul & assertivè. Recitative quidem, (id est narrando quod Christus dixit) quia revera canon, quem legit, recitat Christum accepisse panem, benedixisse, fregisse, dedisse discipulis, ac dixisse: *Hoc est corpus meum*, &c. Assertivè verò (id est non solum ex intentione narrandi quod Christus dixit, sed & faciendi, per verba Christi, quod Christus fecit) quia ad consecrandum non sufficit narrare quod Christus dixit & fecit (alias Sacerdos legens epistolam ad Corinthios, in Missa de venerabili consecraret); sed oportet in persona ipsius affirmare & facere, quod Christus affirmavit & fecit.

¶ 118 Si rursum inquiras, an conficeret hoc Sacramentum, qui loco verborum istorum: *hoc est corpus meum*, diceret, *hoc est caro mea*. Vel 2<sup>o</sup>. *hic est corpus meum*. Vel 3<sup>o</sup>. *ecce corpus meum*. Vel 4<sup>o</sup>. *istud est corpus meum*. Vel 5<sup>o</sup>. *hoc corpus est meum*. Vel 6<sup>o</sup>. *hoc fit corpus meum*. Vel 7<sup>o</sup>. *consecro hunc panem in corpus meum*. Vel 8<sup>o</sup>. *hoc corpus meum, subaudiendo est*. Vel 9<sup>o</sup>. *hic cibus est corpus meum*. Vel 10<sup>o</sup>. *hoc est corpus Christi?*

Ad primum respondeo formam illam esse dubiam, vel invalidam. Quia tamen Estius, Henriquez, Granadus, alique valere putent, eò quod communi Scripturæ, Ecclesiæ, & Sanctorum usu caro significet corpus. Suarez disp. 59. sect. 2. Coninck q. 78. a. 2. Præpositus & Mercorus ibidem valere negant. Quia caro non significat totum quod corpus importat, v. g. ossa, nervos, &c. vi & significatione propria, sed solum significatione tropicâ, quâ totum à parte significatur. Et hoc modo sumitur illo Scripturæ, Ecclesiæ & Sanctorum usu, qui in contrarium allegatur. Ut enim Concilium Tolentanum XV. ait: *est quidem modus locutionis, frequenter in divinis Scripturis (adde potest etiam in Conciliis & Patribus) usus, quâ significatur à parte totum*. Ut autem

forma consecrationis panis valida sit, vi verborum (ex propria proinde significatione, non tropica dumtaxat) ponere debet totum quod corpus importat, non solum utique carnem, sed & ossa, & nervos, &c. atque adeo id totum significare debet significatione propria, non tropicâ tantum, quâ totum à parte significatur, qualiter ossa, nervi, &c. non significantur per vocem *caro*. Si enim tropica significatio, quâ à parte totum significatur, sufficeret ad ponendum aliquid vi verborum in hoc Sacramento, tota Christi humanitas, etiam anima, vi verborum poneretur in hoc Sacramento; cum totus homo tropicè & synecdochicè per vocem *caro* significetur Joann. 1. *Verbum caro factum est*. Psal. 64. *Ad te omnis caro veniet*, &c.

Ad secundum respondeo non valere, si ly *hic* sumatur ut adverbium locale (tunc enim non habet sensum, quem habet forma communis;) secus si sumatur ut pronomen masculinum, ita ut sola sit mutatio grammaticalis, per inadvertentiam vel imperitiam lingue latine, eo modo ac si quis diceret: *hoc est corpus meum*; vel eo modo, ac si quis per impedimentum lingue diceret, *hoc est corpus meum*, vel *hoc est corpus meum*. Videri potest Suarez loco citato.

Ad tertium respondeo esse formam dubiam & 120 controversam. Validam enim putat Vasquez disp. 201. c. 5. dubiam Suarez proximè relatus, magis inclinans ad negandum, quam ad affirmandum valorem illius.

Ad quartum respondeo cum Suarez & Soto 121 videri validam, si proferatur cum intentione significandi, quod Christus significavit. Quia pronomen *istud*, in lingua Latina idem frequenter significat, quod pronomen *hoc*. Aliud est de pronomine *illud*, quod ex vi sue significationis non demonstrat ad sensum rem propinque presentem. Ideoque si quis diceret: *illud est corpus meum*, nihil conficeret.

Ad quintum respondeo formam videri dubiam. 122 Tamen enim pro valore illius stet Gamachaus q. 78. a. 2. post Pittigianum, si sic accipiat ut post ly *hoc* ponatur comma, tresque alia voces simul conjungantur (tunc enim idem, inquit, est sensus, ac si nihil transponeretur) in ea forma pronomen *hoc* potius demonstrat panem, quam corpus, ut fateatur Gamachaus, formaque illa simpliciter & absolute prolata, sic accipi solet, ut ly *meum* sumatur possessivè, ut sensus sit: *hoc corpus ad me pertinet*. Ideoque simpliciter & absolute non significat transubstantiationem.

Ad sextum & septimum respondeo non valere. 123 Quia notabiliter variat sensum formæ à Christo institutæ. Non enim significat corpus Christi in factò esse, & statà permanenti (tunc forma Christi, ex qua habemus hujus Sacramenti ab aliis differentiam) sed in fieri, & statà viali. Ita Doctores communiter apud Palao puncto 7. n. 2.

Ad octavum respondeo cum Lessio, Augusti- 124 no Bernal, &c. videri validam. Quamvis enim Bonæ Spei de Euchar. disp. 3. dub. 2. cum Granado, Præposito, Coninck, invalidam putet, ratio in qua fundatur non subsistit. Ratio namque ipsius est quia verbum *est* in lingua Latina non videtur subaudiri. Verum ex innumeris Scripturæ locis, profanisque Scripturis, contrarium est certum. Nam pro eo quod Exodi 24. dicitur: *hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Deus*; Apollolus Hebr. 9. dicit: *hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus*. Psalmi quoque Davidici pleni sunt ejusmodi locutionibus. Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit*, &c. Psal. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, &c. Psal. 72. *Notus in Judea Deus*, &c. Psal. 118. *Beati immaculati in via*, &c. Similibus quoque locutionibus Ecclesiæ frequenter utitur: *Laus tibi Christe*,



*Gloria tibi Domine. Egredius ejus à Patre, regressus ad Patrem, &c. Utuntur & Profani, Virgilius Æneidos 6. Hic Cæsar, & omnis Juli progenies, &c.*

125 Sed & Basilus Pontius de Sacram. Confirmp. p. 2. c. 7. testatur, quoddam similis forma, sine verbo est, formaliter expressio, reperitur apud Lucam in consecratione calicis: HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN MEO SANGUINE. Quoddamque Latinus Interpres addidit verbum est, quod subintelligebatur.

126 Ad nonum respondeo cum Suarez, Bonacina, Montefino, videri validam (licet Henriquez secus sentiat:) quia idem videtur sensus illius, ac formæ consecratiæ.

127 Ad decimum respondeo cum communi non valere. Quia ut valeret, deberet ex modo loquendi, sic profertur in persona Christi, ut Christus ipse eam de corpore suo proferre censeretur, & Sacerdos non censeretur uti verbis suis, sed Christi (sic enim Christus instituit;) in forma verò illa Sacerdos ex communi modo loquendi censeretur uti verbis suis, non Christi: neque enim Christus dixit: hoc est corpus Christi, sed hoc est corpus meum. Unde & Sacerdos dicendo, hoc est corpus Christi, ex communi modo loquendi non censeretur loqui in persona Christi, sed sua. Nec Christus verba illa proferre censeretur de corpore suo, sed Sacerdos de corpore Christi.

## CAPUT XI.

*Consecrationis forma in solis verbis Christi, capite precedenti relata, adæquate consistit, prout omnes Latini tradunt; non in illis, simul & antecedentibus vel subsequentibus Ecclesiæ precibus, quibus Sacerdos rogat Deum, ut panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi transmutare dignetur, prout Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesinus, Simeon Tesalonicensis, alique Græci Recentiores arbitrantur.*

128 Preces illas & Græci faciunt, & Latini. Sed Latini, antequam profertur verba Christi; Græci post illa. Siquidem in Liturgiis Jacobi, Basilii, &c. post verba Christi prolata, sequitur hæc oratio: *Fac Domine panem istum corpus Christi.* In Liturgiis verò recentioribus Græcorum oratio ista subsequitur: *Rogamus Patrem ut mittat Spiritum tuum super nos, & super hæc apposita munera, & fac panem istum, pretiosum corpus Filii tui. & quod est in calice, pretiosum sanguinem Filii tui.*

129 In oratione ergo hujusmodi, simul & verbis Christi, consecrationis formam Græci Recentiores constituunt, fundantes se 1.º in sententiis, quibus Patres aunt. prece, oratione, & Spiritus sancti invocatione confici corpus Christi. 2.º in Liturgiis antiquis, quibus Sacerdos, post verba Christi, orat ut Deus subiectum panem faciat corpus Christi. 3.º in ipsamet Liturgia Latinorum, in qua post verba Christi dicitur: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri, per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, &c.*

130 Verum hæc opinio prorsus infundata est, firmiterque dicendum, cum Patribus omnibus, consecrationis formam in solis Christi verbis adæquate consistere, iisque prolatis statim confici corpus, sanguinemque Christi. Id enim postulat 1.º veritas sacrorum verborum illorum. 2.º postulat Ecclesiæ ritus. 3.º Patres omnes id ipsum unanimiter contestantur.

121 Et primò quidem id postulat sacrorum verborum illorum veritas: si enim ad completam eo-

rum prolationem, sub specie panis non sit corpus Christi, sed tunc demum cum oratio dicta subsequitur, sacra illa verba non sunt vera; neque dicendum est, hoc est, sed hoc erit corpus meum. Quia, ut S. Thomas arguit q. 78. a. 6. ad veritatem hujus locutionis, hoc est corpus meum, requiritur propter verbum presentis temporis, quod res significata simul tempore sit cum ipsa significatione: alioquin si in futurum expectaretur res significata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem presentis, ita scilicet, quod non diceretur: HOC EST CORPUS MEUM, sed HOC ERIT CORPUS MEUM. Unde dicendum est quod verba Christi non expectant subsequentem orationem, in agendo, sed statim habent effectum suum. Quia significatio verborum illorum completur statim completâ locutione horum verborum. Et ideo oportet rem significatam statim adesse. alioquin locutio non esset vera.

Secundò id etiam postulat ritus Ecclesiæ, utpote quæ (ut idem S. Doctor prosequitur) statim post prolationem verborum Christi, corpus Christi adorat.

Tertiò Patres omnes id ipsum unanimiter contestantur. Contestantur enim, prolatis verbis illis, virtute eorum, Christi corpus statim adesse. Tertullianus l. 4. contra Marcion. c. 40. *Acceptum panem... corpus illum suam efficit; hoc est corpus meum dicendo.* Non ergo postea, sed tunc cum dixit, dicendo. Ambrosius, Author sermonis de Cæna Domini, Gaudentius, Damascenus n. 105. relati. Et rursus Ambrosius loco ibidem relato, ubi verba Christi accesserint, de pane fit corpus Christi. Chrysostomus homil. de prodit. Judæ: *Hoc est (ait) corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur.* Gregorius Nyssenus orat. Gatech. c. 37. *Panis statim per verbum in corpus transmutatur, sicut dictum est à Verbo, hoc est corpus meum... mox ad carnem transmutatur, quoniam ipse dixit: hoc est corpus meum.* Eusebius Emisenus homil. in ramis palmarum: *Qui tunc per se, modo dicit per suos Ministros: hoc est corpus meum. Et tanta est hujus verbi virtus & efficacia, ut statim fiat quod dicitur.*

Quartò, aliam consecrationis formam, quam verba Christi, capite precedenti relata, nec Evangelistæ tradunt, nec Apostolus Paulus, nec sancti Patres. Nec aliam formam, etiam inadæquatam, probant fundamenta recentiorum Græcorum. Ad primum namque respondeo, quod, dum SS. Patres dixerunt, hoc Sacramentum prece, oratione, & sancti Spiritus invocatione confici, per orationem, &c. intellexerunt verba illa Salvatoris, quæ dum in persona Christi Sacerdotes proferunt, Deo litant, Deo gratias agunt, Deo sacrificium maxime laudis, gratiarum actionis, propitiationis & impetrationis offerunt, divinam denique Majestatem istius sacrificii oblatione recognoscunt. Ad Deum ergo mentem elevant. Deum igitur orant. Quid enim oratio, nisi mentis ad Deum elevatio?

Ad secundum & tertium respondeo, quod si cut Christus, hoc Sacramentum instituendo, ipsum confecit, dicendo, hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, sine ullius humanæ orationis, seu distinctæ precis cooperatione; ita & nunc Sacerdotes, eadem illa verba in persona Christi proferendo, sine ullius humanæ orationis, seu distinctæ precis cooperatione, idem Sacramentum conficiunt. Neque Latini per orationem illam: *Supplices te rogamus, &c.* orant ut sacra dona realiter immutentur; sed optant, ut sacra istius victimæ oblatio divinæ Majestati per magni Consilii Angelum presentetur, & oblatio, quæ in terra fit, uniatur perpetuæ oblationi, quæ Christus seipsum offert in cælo.



137 Oratio verò, quæ in Liturgiâ Jacobi, Basilii, & in Liturgiâ Græcorum, Christi verba subsequitur, non est nisi explicatio hujus mysterii, orationisque, quam Sacerdos, divina verba profereudo, Deoque per illa sacrificando, facere censetur, nec refertur ad tempus subsequens verba Christi, sed ad tempus quo verba Christi profertur. Nec enim aliam ob causam oratio illa subsequitur verba Salvatoris, nisi quia simul tempore non possumus & Salvatoris verba, & orationem illam proferre: idèdque cogimur alia & alia verba successivè proferre, ut ex Cardinali Bellarione Cardinalis Perronius observat Euchar. Auth. 15.

138 Vel dic cum Card. Bellarmino l. 4. de Sacram. Euchar. c. 14. oratione illâ Græcorum non peti, ut verba sonare videntur, mutationem panis in corpus Domini. Quippe quæ jam facta est. Sed peti confirmationem & stabilitatem rei jam factæ. Non quòd Sacerdos timeat, ne evanescat munus jam consecratum; sed ut ostendat desiderium suum, & amorem erga præsentiam Domini corporis. Similis locutio est Marci 5. ubi mulieri quæ sanata fuerat per contactum fimbriæ Domini, Christus ait: Fides tua te salvam fecit, vade in pace, & esto sana à plaga tua. Ubi illud, esto sana, non significat voluisti sanari (jam enim sana erat); sed idem est, ac si dixisset: placeat quòd sanata sis, ratum habeo quòd factum est, &c.

## CAPUT XII.

Corpus Christi, factâ consecratione, verè, realiter, & substantialiter commetur sub speciebus panis & vini.

139 Est veritas fidei, quam Catholici omnes constantè tenent, & credunt, 1. Christum ibi contineri verè, id est non solum in figura, vel signo. 2. realiter, id est non solum objective, per apprehensionem fidei. 3. substantialiter, id est non solum per virtutem & operationem, seu energiam, ut hæretici volunt.

140 Idèd verò Catholici omnes sic firmiter credunt, quia sic Christus in Evangelio testatur, sic Apostolus 1. Cor. 11. sic universalis Ecclesia, Orientalis & Occidentalis, semper tradidit & credidit ab Apostolorum tempore. Sic Græci Latiniq; Patres omnes, ab exordio nascentis Ecclesiæ usque ad tempora nostra tenuerunt, ut videre est apud Bellarminum & Gretium, continuata eorum testimonia, per singula sæcula profereutes. Sic denique octo Concilia Generalia declaraverunt, Nicænum I. & II. Ephesinum I. Lateranense II. Viennense, Constantiense, Florentinum, & Tridentinum sess. 13. c. 1. Tametsi enim ante tempora Caroli Calvi, Francorum Regis, nullus inventatur realem hanc Christi in Eucharistia præsentiam in dubium revocasse, idèdque nullus veterum Patrum contra hunc errorem reperitur ex profecto disputasse (si fortè excipias eos qui Christo veritatem carnis, sive Verbo veritatem Incarnationis denegarunt, de quibus S. Ignatius Martyr agit in epist. ad Smirnenes) divina tamen providentia dispoluit, ut in omnibus præfatis Conciliis, etiam in Nicæno I. momento: hæc hujus veritatis, divinæque erga homines charitatis illustre extaret testimonium, ut appareret, quam verè Tridentinum sess. 13. ante caput primum dixerit, eam à se à venerabili hoc & divino Eucharistia Sacramento doctrinam tradi, quam semper Catholica Ecclesia, ab ipso Jesu Christo Domino nostro, & ejus Apostolis erudita, atque à Spiritu sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta, retinuit, & ad finem usque sæculi conservabit.

141 Dixi nullum inveniri, ante tempora Caroli Calvi, qui veritatem hanc in dubium revocaverit. Primus enim qui eam in dubium revocasse dicitur, est Joannes Scotus) dicitur Erigena, cujus errorem & librum, in Concilio Verceilensi, sub Leone IX. damnatum fuisse asserit Lanfrancus, quemque pluribus aliis erroribus ac novitatibus maculatum fuisse demonstrat Author dissertationis super Joanne Scoto, apud Arnaldum perpet. fidei defen. l. 12. disert. 1. Hunc, circa idem tempus, in eo errore secutus dicitur Ratramus, sive Bertramus. Quem tamen vir apprime doctus D. Boileau, Doctor Sorbonicus, & Ecclesiæ Senonensis Decanus, realem Christi in Eucharistia præsentiam non negasse, sed asseruisse (post laudatum Arnaldum) ostendit in præfatione Apographi istius Authoris, quem ex Monasterio Lobienfi publici juris fecit.

142 Sed nec Joannes Securus suum hac de re errorem verbis disertis ac perspicuis, sed obcuris & involutis explicavit.

143 Primus proinde, qui contra hanc veritatem perspicue erravit, errorisque suum aperto Marte disseminavit, fuit Berengarius, Arehidiaconus Andegavensis, qui ex Ecclesiæ Matris sinu erumpens, quasi viperæus foetus, ejus viscera lacerare conatus, novam sæculo undecimo proculdè hæresim, affirmantem Christi corpus in Eucharistia verè & realiter non contineri, sed figuratè & metaphorice dumtaxat. Quam hæresim tametsi ter abjuraverit, tandemque in professione veritatis hujus mysterii anno 1088. nonagenarius obierit, Albigenses, & Wiclet tecuti sunt errantem, sed non penitentem, ipsique sæculo XVI. Zuinglius, Carolostadius, Calvinus, eorumque discipuli se adjunxerunt.

## CAPUT XIII.

Catholica veritas, capite superiori asserita, probatur ex perspicuis verbis Salvatoris, hoc Sacramentum instrumentis.

144 Rectè Tridentinum cap. 1. suprâ relato veritatem hanc demonstrat ex verbis Salvatoris, utpote qui in institutione hujus Sacramenti, post panis viniq; benedictionem, se suum corpus illis (discipulis) præbere, ac suum sanguinem disferri ac perspicuis verbis testatus est, utque Matth. 26. Cœnantibus eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite & comedite: HOC EST CORPUS MEUM. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: HIC EST ENIM SANGUIS MEUS, NOVI TESTAMENTI, QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. Marci 14. Accipit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: HIC EST SANGUIS MEUS, NOVI TESTAMENTI, QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR. Luc. 22. Accepit pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: HOC EST CORPUS MEUM, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM EST IN MEO SANGUINE, QUI PRO VOBIS FUNDETUR. 1. Cor. 11. Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, ac dixit, accipite, & manducate: HOC EST CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS TRADATUR: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam



*conavit, dicens: HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM EST IN MEO SANGUINE: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.*

145 Hæc dicta, & perspicua verba Salvatoris (uti Tridentinum ait loco citato) à sanctis Evangelistis commemorata, & à D. Paulo postea repetita, vim propriam illam & apertissimam significationem præ se ferant veræ, realis, & substantialis præsentia ejusdem Salvatoris, in hoc Sacramento, juxta quam à Patribus intellecta sunt (ita enim Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento differerunt, apertissime professi sunt, ut videre licet apud laudatos Auctores Bellarminum, & Galetium, necnon apud piissimum Contentonum to. 8. differt. 1. c. 1. ubi clarissima profert testimonium SS. Dionysii, Ignatii Martyris, Justini, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Cyrilli Hierosolymitani, Optati Milevitani, Basilii, Gregorii Theologi, Gregorii Nysseni, Epiphani, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Cyrilli Alexandrini, Leonis Magni, Gregorii Magi) indignissimum sanè flagitium est, ea à quibusdam conventibus & pravis hominibus ad fictivos & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesie sensum detorqueri, quæ, tanquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut fatanica, delectata est, gravo semper & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscentes.

146 Si enim sponsa Christi Ecclesia columna est & firmamentum veritatis (ut reverè est, teste Apollolo 2. Timoth. 3.) à veritate aberrant, in id impudenter sunt, quicumque, in re tam momentosa, ipsam erroris arguunt. Præsertim cum discretis ac perspicuis verbis illis in illa, Christum sub speciebus panis & vini verè, realiter & substantialiter præsentem; in toto Orbe Christiano semper crediderit, semper adoraverit, in eaque fide & adoratione à septemdecim sæculis semper perseveraverit.

147 Incredibile verò est columnam & firmamentum veritatis in errore tam grandi per tot sæcula permanisse, ut pro Deo fructulum panis per mille septingentos annos adoraverit. Incredibile (inquam) universam Ecclesiam in errore tam grandi à Christo decessum fuisse, contra solemnem promissionem, quam ipsi fecit in Evangelio, sese illi adfuturum usque ad consummationem sæculi, & ita adfuturum; ut portæ inferi adversus eam nunquam forent prævaliturae.

148 Atqui portæ inferi adversus eam prævaluissent, si eam in errorem tam grandem induxissent, in coque tot sæculis detinuissent. Vana proinde, in id falsa fuisset illa Veritatis promissio. Quod absque blasphemia dici nequit.

149 Et si Ecclesia universa, post solemnem illam promissionem, & octo Conciliorum Generalium declarationem, in articulo tanti momenti equidem errasset, atque etiamnum erraret, nosque cum ipsa, verè Christo Salvatore dicere possemus: *Domine, si error est, à te decepti sumus.* Tu enim verbis planis ac perspicuis de veritate carnis & sanguinis tui in hoc Sacramento Ecclesiam tuam sponfam docuisti. Tu etiam, Domine, præcepisti, ut Ecclesiam, nos tu per tot Concilia docentem auderemus, in tantum, ut dixeris: *Qui Ecclesiam non auderit, sit tibi velut Eibicus & Publicanus.* Tu denique Ecclesiam tuam per Apostolum tuum, columnam & firmamentum veritatis appellasti. Ergo si eam in re tanti momenti docentem audiendo erramus, à te decepti sumus. Si enim erramus, erramus, quia tibi (sic præcipienti) obediendo, eam sic docentem audimus,

ne (te Judice) simus veluti Eibici & Publicani. Ideo ergo erramus, quia eam sequimur & audimus, quam columnam & firmamentum veritatis affirmasti. Tu es autem veritas & charitas.

Impossibile est ergo, quòd à te decepti simus. Impossibile proinde, quòd Ecclesiam in tam momentoso Religionis tuæ mysterio docentem audiendo erremus. Errant igitur, & palpabiliter errant Zuingliani, & Calviniani, qui cum non audiunt, sed erroris arguunt. Tantòque palpabilius errant, quantò evidentius contra se habent 1.º. clara & perspicua verba Scripturæ. 2.º. legitimam Scripturæ interpretationem. 3.º. Traditionem. 4.º. præscriptionem. 5.º. Theologicam rationem, ut videbitur in capitibus sequentibus.

## CAPUT XIV.

*Hæretici negantes Christum verè, realiter, & substantialiter in hoc Sacramento præsentem, contra se habent plana & perspicua Scripturæ verba.*

TAm enim planè, tam perspicuè Christus in Scriptura dicit: *hoc est corpus meum*; quàm Spiritus sanctus in eadem Scriptura dicit: *Verbum caro factum est. Verbum, Pater & Spiritus sanctus, hi tres unum sunt.* Tam apertè ergo illa Salvatoris verba significant Christi corpus verè, realiter & substantialiter esse in hoc Sacramento, quàm verba illa Spiritus sancti significant Verbum verè, realiter & substantialiter esse incarnatum, tresque divinas Personas esse verè, realiter & substantialiter unum Deum. Neque enim verba illa Salvatoris propriam illam & apertissimam significationem præ se minus ferunt, juxta quam ab octo Conciliis Generalibus, & à Patribus omnibus intellecta sunt; quàm verba illa Spiritus sancti: ne minus flagitium est, priora illa verba ad fictivos & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesie sensum detorqueri; quam posteriora verba ad similes tropos, quibus negatur veritas Dominicæ incarnationis, unitatisque realis & substantialis trium divinarum Personarum.

## CAPUT XV.

*Habent etiam contra se legitimam Scripturæ interpretationem.*

UT enim Scripturæ interpretatio legitima sit, servanda est regula magistralis eam interpretandi, tradita à SS. Patribus, Basilio homil. 9. in Hexaëmeron, & Augustino l. 3. de doctr. Christi, c. 10. 11. & 19. necnon de Genesi ad litter. c. 11. & 7. tunc utique Scripturæ verba in proprio sensu accipienda esse, quando planè, perspicuè & ad litteram significant aliquid spectans ad fidem, vel mores, nullaque necessitas cogit, ea à proprio & literalis sensu, ad tropicum & improprium detorqueri.

Et ratio evidenter demonstrans necessitatem servandi regulam istam, est quia omnis Scripturarum de medio tolleretur auctoritas, omnique hæresi aperta foret janua, si proprium literalemque sensum tunc abicere liceret; nihilque foret in sacris Litteris admodò manifestum, nihil tam receptum in Ecclesia, quod trahere non liceret ad improprium sensum. Nihil ergo fixum, nihil per certitudinem à Scriptura erui posset, dum eam ad figuram & tropum pro arbitrio suo quisque traheret; sed Scriptura semper diceret, quod cuique placeret, non quod Spiritus sanctus per eam intelligi vellet.



- 154 Ex quo ulterius fieret, quod nulla fidei mysteria, nec veritatem quidem Trinitatis, Dominicae Incarnationis, Passionis, Mortis, Resurrectionis, &c. contra negantes ex sacris Litteris evincere possent. Quidquid enim, quamlibet planum & perspicuum, ex sacris Litteris allegaverimus, ad sensum tropicum & improprium, cum Arianis, Sabellianis, Eutyrianis, Nestorianis, &c. detorquebunt, prout Augustinus observat cap. 10. citato: *Si animum preoccupavit alienus erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitratur.*
- 155 Idque Ecclesia in dictis haereticis experta est: cum enim Ariani expressam in Scriptura viderent naturam divinam Unitatem, preoccupati errore, negante Personarum Trinitatem, pariter apertis Scripturae testimoniis assertam, posteriora ista testimonia ad sensum tropicum & improprium detorquentes, Trinitatis mysterium sustulerunt. Sabelliani e contra Trinitatem secundum posteriora ista testimonia recipientes, nec capientes quomodo natura divinae Unitas cum Personarum Trinitate consisteret, idcirco perspicua de ista Unitate sacrarum Litterarum testimonia ad sensum tropicum inflectentes, deque impropria & figurata Unitate glossantes, tres Deos uti tres Personas asseruerunt. Nestoriani simili Scripturarum depravatione, duas in Christo Personas, uti duas naturas posuerunt. Unicam e contra naturam Eutyrianam, uti unicam Personam. Et idem est proportionaliter de Ebionitis, cum Ebione & Cherinto negantibus Christi divinitatem; idem de Cerdonitis, Marcionitis, Manichaeis, post Saturninum, & Simonem Magum negantibus veram in Christo carnem, addeque negantibus veram Verbi Incarnationem.
- 156 Contra quos omnes in vanum Zuingliani & Calviniani sacra proferunt testimonia. Neque enim clariora producent, quam allata verba Salvatoris pro vera, reali & substantiali praesentia carnis & sanguinis ejusdem Salvatoris in hoc mysterio. Quae proinde si liceat ipsis ad sensum improprium tropicumque detorquere, licebit & Ebionitis, Cherinthianis, Cerdonitis, Marcionitis, Manichaeis, Arianis, Sabellianis, Nestorianis, Eutyrianis pariter detorquere sacra quae adversus ipsos testimonia proferunt pro veritate carnis, & divinitatis Christi, pro veritate mysterii Trinitatis, pro unica in Christo Persona, duabusque naturis, &c. Nec erit qui veteres illos haereticos ex Scriptura convincere poterit, nisi per allatam sacra testimonia interpretandi regulam, insistentem utique proprio sensui Scripturae, quem verba liquido praeseferunt, nisi manifesta necessitas, id est nisi alius perspicuus Scripturae textus, vel Ecclesiae sensus, vel Patrum consensus manifeste cogat ad improprium.
- 157 Nulla vero manifesta necessitas Zuinglianos & Calvinianos magis cogit ad detorquendum verba Salvatoris ad proprio sensu ad improprium, quam veteres illos haereticos ad similiter detorquendum sacra oracula, quae contra ipsos proferuntur.
- 158 Imò necessitas cogit verba Salvatoris in proprio accipere sensu. Cum & id materia subjecta postulet, & circumstantiae temporis, & personarum, quibus Salvator loquebatur, sicut & circumstantia finis quem intendebat.
- 159 Si enim materiam subjectam intueamur, sive id quod tunc Salvator agebat, Testamentum utique novum condebat (juxta illud Luc. 22. *hic caelivum novum testamentum est in meo sanguine.*) Testamentum vero sicut condi oportet verbis planis & perspicuis (hoc enim ratio & aequitas postulat ab omni testatore, ne si suprema sua mandata, postremamque voluntatem, verbis obscuris & ambiguis exprimat, non tam haereditas & legatarios instituat, quam litigatores, in expensas litium haereditatem effusuros) sic plana & perspicua testamenti verba, planè & proprie & ad litteram intelligere oportet. Eadem quippe ratio & aequitas, quae postulat prius, postulat & posterius. Neque enim aliter praescindi potest occasio fixarum, litiumque seges inexhausta. Et idcirco verba testamentorum secundum Jurisperitos, in rigore & proprio verborum sensu, quem praeseferunt, accipienda sunt, talisque praesumenda intentio testatoris, qualem verborum proprietates planè & discretè significat. Et quis (amabo) Calvinista, cui domum testator legasset, contentus foret imagine domus, si domum ipsi legatam de domus imagine seu figura per tropum haeres glossaret? Quae igitur ratio, quae aequitate, dum suum nobis corpus sanguinemque verbis planis & perspicuis Salvator testamentum legavit, corporis imaginem, seu figuram & signum interpretantur?
- Nec solum Testamentum novum Christus tunc condebat, sed & praecipuum nobilissimumque novae legis Sacramentum, unicuique sacrificium instituebat. Quod etiam oportebat verbis planis & apertis institui, institutumque clarè & apertè à fidelibus cognosci, ne verborum vel sensus obscuritas ipsos conjiceret in periculum errandi circa sensum, primariumque Dei cultum, creaturam pro Deo adorando, falsumque & superfluum sacrificium, à Deo verè non institutum, quotidie Deo offerendo. Si enim leges, multò minus Sacramenta, sacrificiaque divina, non nisi perspicuis & apertis verbis institui, institutaque non obscure, sed apertè ac perspicuè cognosci oportet.
- Ipsa quoque circumstantia temporis quo loquebatur, & personarum quibus loquebatur, id ipsum postulant. Apostolis quippe loquebatur, quibus nota esse volebat mysteria regni Dei, juxta illud Matth. 13. *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum: illis autem (urbis Judaeorum) non est datum.* Cumque Apostoli esse deberent primi participes tanti Sacramenti, ut cum debita reverentia ac devotione illud perciperent, necesse erat ut planè perciperent quod Christus eis dabat. Idcirco etiam requirebat circumstantia temporis. Eo siquidem tempore Apostolis loquebatur, quo transiurus erat de hoc mundo ad Patrem, quodque proinde, si unquam, tempus erat, non jam in parabolis & figuris ea ipsis manifestandi, sed palam & apertè, juxta illud Joan. 16. *Venit hora cum jam non in proverbis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Quod, si unquam, maxime prope suum de hoc mundo exitum Christus implere debuit; cum exeuntem de hoc mundo postremi ad amicos & domesticos de praecipuis rebus agendis sermones, ab omni obscuritate & ambiguitate esse soleant remotissimi.
- Præterea finis istius finalis locutionis erat demonstratio extremæ suae in nos dilectionis, ad quam demonstrandam Sacramentum istud Christus in ultima cum amicis suis coena instituit, juxta illud: *cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, &c.* Cui etiam circumstantia verborum amphibologia, vel obscuritas, seu improprietas sensus non congruit. Neque enim verborum amphibologia, vel improprietas, aut obscuritas congruit extremè amantium candori, nec perspicua tanti amoris demonstratio. Amici namque, istis in circumstantiis, si unquam, cor suum aperte & rotundè effundunt in sinum amicorum suorum. Et quomodo tunc ipsis in tropo & figura sine illius explicatione locutus fuisset, qui figuras & parabolis, in quibus aliis loquebatur, ipsis explicare solitus erat? Nullum autem ullibi extat vestigium istius explicationis.
- Igitur omni ex parte necessarium est, in plano proprio & literali, quem praeseferunt, sensu, Christi verba intelligere; nulla verò ex parte necessarium



cessitum est, illa ad improprium & tropicum sensum detorquere. Nullus enim facer textus ad id cogit, neque Ecclesiae sensus, neque Patrum consensus, uti proximè videbimus; imò nec ratio ulla christiana, fideique (ut christianam rationem oportet) submissa. *Nec enim hac inter se pignant* (ait Tridentinum ubi supra) *ut ipse Salvator nossemper ad dexteram Patris in calice assideat, iuxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, eà existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possimus, possibilem tamen esse Deo (apud quem non erit impossibile omne verbum Luc. 1. & apud quem omnia possible sunt Matth. 19.) cogitatione per fidem illustratà assequi possimus; & constantissimè credere debemus, Christo discretis ac perspicuis verbis id attestante.*

## CAPUT XVI.

Tertio contra se habent Apostolum Paulum 1. Cor. 10. & 11. Veterisque Testamenti figuras.

164 **I**n priori namque loco: *Calix benedictionis (inquit) cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Ut quid enim ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nisi ad declarandam necessitatem benedictionis, seu consecrationis, ad hoc ut benedictionis calicem participans, particeps sit sanguinis Domini? Si autem corpus & sanguis in hoc Sacramento non forent nisi in tropo & figura, ad hoc opus non foret speciali benedictione, seu consecratione.* Sufficeret enim prima institutio, seu voluntas Christi declarata in Scripturis, ut constat ex eo quòd simili institutio divina, sine alia benedictione sufficiens fuerit, ad hoc ut Manna, Agnus Paschalis, figura essent Domini corporis. Porò calicem benedictum, seu ipsius participationem Apostolus sic asserit esse participationem Domini sanguinis (non figura, seu signi, vel virtutis illius) ut ea de re loquatur velut fidelibus ex fide nota, *nomine, &c.* Quod roborant verba sequentia, quibus *unus panis, & unum corpus* omnes esse dicimur, quia de *uno pane participamus.* Neque enim verè hoc Apostolus diceret, si de pane communi intelligeret. Neque enim unum eundemque panem communem omnes comedimus, nec hoc Scriptura dicit; sicut nullibi dicit quòd Judaei omnes eundem Agnum Paschalem olim manducaverint, sed quæque familia suam. Intellectum verò de eodem pane consecrato, qui corpus est Christi, manifestum est omnes fideles, ubicumque terrarum existentes, de uno pane, id est uno eodemque Christi corpore participare. Sic igitur Apostolus intellexit.

165 Præterea si sic Apostolus non intellexisset, quid est quòd sequenti cap. 11. postquam dixit: *Ego enim accepi à Domino, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepi panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite & manducate: hoc est corpus meum, &c.* gravissimam hanc admonitionem subjunxisset: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, nisi panem & calicem consecratum intellexisset verè & propriè esse corpus & sanguinem Domini? Ut quid etiam tantam probationem exigit ad panem illum manducandum, & calicem bibendum: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat? Audi rationem: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit (iudicium utique æternæ suæ damnationis)*

*non disjucans corpus Domini.* Sua profectò damnationis æternæ iudicium non manducaret, nec biberet, si solam figuram vel signum Domini corporis & sanguinis manducaret & biberet. Neque enim si quis absque debita animi sui probatione seu dispositione Paschalem olim Agnum manducasset, vel bibisset aquam de petra, reus fuisset corporis & sanguinis Domini, ut propterea mortale peccatum æternamque proinde damnationem suam incurrisset, tamen Christi corpus in figura Agni comedisset, sanguinemque in figura aquæ illius bibisset. Cur ergo Christianus, præ Judæo, iudicium suæ æternæ damnationis hodie comedit & bibit? Disertam perspicuamque rationem Apostolus reddit: quia *non disjucab corpus Domini*, id est quia panem consecratum non discernit à pane communi, sed perinde manducat, ac si verè non foret, uti verè est corpus Domini. Idèò ergo magnam illam suspensius probationem Apostolus exigit, quia panem consecratum manducans iudicare debet id quod manducat, non esse panem communem, nec figuram dumtaxat Domini corporis, ut olim erat Agnus Paschalis, sed verè esse corpus Domini, cujus proinde reus est, si indignè manducat.

166 Idque ampliùs apparet ex eo quòd Christus in veritate adimpleverit figuras veteris Testamenti, juxta Apostolum Coloss. 2. dicentem, quòd figuræ illæ *umbræ sunt futurorum; corpus autem Christi*, id est veritas per illas præfigurata per Jesum Christum impleta est. Ad quod etiam significandum in passione Christi *velum templi scissum est* Matth. 27. & Joan. 1. dicitur: *lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Igitur Christus exhibuit veritatem figurarum veteris legis, veritatem utique rei quam præfigurabat Manna, Agnus Paschalis, aqua de petra, sanguis veteris Testamenti, &c. Manna verò & Agnus Paschalis figura fuerunt corporis Domini; aqua verò illa & sanguis significarunt sanguinem ejusdem, de quo utique Christus ait: *hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* Si ergo figurarum illarum veritatem exhibuit, verum, non figuratum dumtaxat sanguinem suum nobis exhibuit, cum dixit: *hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* Verum item corpus; cum dixit: *hoc est corpus meum.* Cujus figura fuerunt Manna & Agnus Paschalis, ut SS. Patres unanimiter contestantur.

167 Et si cum accepit deditque discipulis panem & calicem, figuras tantum dedit, non veritatem corporis ac sanguinis sui, Christus per novæ legis institutionem, finem non solum non imposuisset figuris veteris legis, exhibita veritate rerum quas significabant; sed & figuras figuris illis superaddidisset, & figuras quidem ignobiliores figuris veteris legis, nec tam benè repræsentantes corpus & sanguinem suum, probatur: quia Agnus Paschalis v. g. in se nobilior est, nobiliorique seu meliori modo significat Christi corpus, quam panis seu Eucharistiae Sacramentum, si non est verè, realiter & substantialiter nisi panis. Si quidem caro Christi aptius per Agnum, quam per simplicem panem significatur; sicut & mors Christi per mortem Agni expressius significatur, quam per fractionem distributionemque panis. Sed &



qualitates Christi, innocentia, mansuetudo, &c. per qualitates Agni melius repræsentantur. Denique manducatio Agni habet effectus magis exprimentes effectum hujus Sacramenti, quam manducatio panis. Magis enim caro nutrit, quam panis, & Agni manducatio fidem magis excitat, meliusque repræsentat Christum. Sanguis quoque, quo Moyses librum, populum, tabernaculum, & omnia vasa ministerii aspergit, dicens: *hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus* (ut Apostolus refert Hebr. 9) melius & nobilius significat sanguinem Christi (de quo ipse: *hic est enim sanguis meus novi Testamenti*, &c.) quam vinum: sanguis enim substantia nobilior est, & sanguis cum sanguine majorem habet propinquitatem; quam vinum. Et idem est de manna veteris Testamenti, quod etiam melius significat Christum, quam simplex panis, tum quia erat è cælo, tum quia habebat omnem saporem, tum quia qui plus de illo colligebat, non habebat plus, & qui minus colligebat, non habebat minus.

163 Atqui fide certum est nobilius esse quod Christus nobis dedit, quam quod Moyses Judæis dedit, vel Deus tempore veteris legis, ut constat ex Joan. 6. *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, nisi quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Explicans verò, quis sit ille panis: *panis* (inquit) *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus... nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Unde Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 5. *Magnum quiddam & venerabile, quod manna Judæis pluit è cælo; sed intellige, quid est amplius, manna de cælo, an corpus Christi? corpus Christi utique, qui est Auctor cæli.* Et lib. de initiand. c. 9. *Considera nter præstantior sis, panis Angelorum, an caro Christi... Manna illud è cælo. Hoc supra cælum... Illud aqua de petra fluxit; tibi sanguis è Christo... Illud in umbra, hoc in veritate.* Salvianus l. 2. ad Ecclesiam: *Judæi habebant quondam umbram; nos veritatem. Judæi manna manducaverunt; nos Christum. Judæi carnes ovium; nos corpus Dei. Judæi pruinam cæli; nos Deum cæli.* Enimverò umbræ illæ veteris leg. s. in nova (ut constat ex dictis n. 166.) transire debuerunt in veritatem. Siquidem Tertullianus lib. 6. contra Marcion. c. 40. probat Christum habuisse verum corpus, quia figuris veteris legis præsignatum, & non est figura nisi alicujus veritatis: *figura enim* (inquit) *non fuisse, nisi veritatis esset corpus.* Quia ergo panis & vinum in veteri lege figura fuerunt corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, ex figuris illis veteris legis ibidem probat veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, uti n. 307-308. & 309. videbimus.

## CAPUT XVII.

*Quarò hæretici contra se habent Traditionem omnium Patrum, declarationemque octo Conciliorum Generalium.*

169 Patres quippe omnes à diebus Apostolorum ad hæc usque tempora, in proprio, obvio & literali sensu semper intellexerunt verba Salvatoris, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Uti Cardinales Perronius & Bellarminus, Episcopus Coëfretæus, Garetius & Contensonus, alique Catholici Scriptores ostendunt, dissipatis & ad nihilum redactis nebulis inanum glossarum cavillationumque, quibus clarissimas eorumdem Patrum sententias hæretici Ministri Blondellus, Aubertinus, Clau-

dus, &c. obscurare conati sunt. Quod & adversus Ministrum Claudium addo præclare atque invictè nuper præstitit eximia eruditionis Vir D. Antonius Arnaldus, Doctor Sorbonicus, in libro de perpetuitate fidei Eucharistia: atque in defensione eius, ut doctissimus pissimisque Contenson to. 8. dissert. 1. ingenue fateatur, quod nullus ipso facilius, expeditius, efficacius, & (absit, inquit, verbo invidia) cruditiùs, & juxta felicitus catholicam realis corporis Christi in Eucharistia præsentiam demonstraverit. Quippe Ministri Claudii librum sic dispunxit, eo robore criminationes ejus dispulit, eo lumine sophismatum officias dispulit, eo rationum pondere & gravitate inanissimarum figurarum levitatem & cantilenam oppressit, eo nervo Catholicam veritatem defendit, ut adversarium, floridum illum quidem, ab omni soliditate tamen desertum, nullo in loco consiliter sinat, sed cum profusus exarmatum confodiat, usque ad hæresis interneccionem....

Et certè non sine speciali æterni Numinis providentia Virum talem, tot olim modis divexitum, abscondit diu Deus in abscondito faciei suæ à contradictione linguarum, ut cum tempore deinceps opportuno excitaret, & in defensionem Christi, Dei verè absconditi, id est sub speciebus panis & vini latentis, adversus hæreticorum impetus armaret. Decebat sanè, & Eucharistia mysterii propugnatori planè congruebat, ipsum instar grani frumenti in terram cadere, & mori, ut multum postea fructum in universam Ecclesiam redundaturum afferret, omnibusque calumniatoribus palam faceret, quid sentiret de illo cibo, quem frumentum electorum, & vinum germanis virginis docti à Domino Propheta nominant.

Fuerunt quidem nonnulli (eorum nomini parco, parcat utinam & eorum iniquitati Deus) qui absque ulla veri vel tenuissima specie, per summam, & ante hæc tempora inauditam calumniam, Doctorem illum negatè transubstantiationis, & realis Christi in Eucharistia præsentia infimulare non erubuerunt, quamvis infandam illam suspensionem tot à se scriptis luculentissimis, ante accusationis illius atrocitatem exaratis, depulisset, ubi Catholice fidei articulum (qui sibi semper præcipuo amori fuit & venerationi) his expressionibus, eâ perspicuitate excullerat, quibus accuratioribus, & formaliore, nec Patres, nec sacra Concilia, nec Theologorum Princeps S. Thomas, nec Scholastici ulli Scriptores, ad exponendum Ecclesie sensum germanissimum, unquam invenère.

Porro quid in illo accusationis monstro magis eminerit, an calumnia, an stultitia, & ultra utram vincat, prorsus ignoro. Ad eum enim insulsi & fatuis conjecturis tam indignam in præfatum Magistrum suspensionem contemere conati sunt, ut non solum resellere, sed nec referre etiam sine fatuitatis nota ipse audeam, & meminisse pudeat, nisi ipse Claudius, præteritorum argumentorum vi obrutus, & futura subodoratus, ut ad silentium importabilem adversarium adigeret, eandem calumniam munitibus regessisset.

At enim hæreticorum fraudes facile floccificamus, & de recta D. Arnaldi in Deum fide nemo dubitabit, nisi fuerit improbis calumniatoribus improbitate non impar. Nam in opere novissimo (quod Clementis IX. nuncupavit) tam strenuè causam Ecclesie agit, ut armis lucis destruat opera tenebrarum, acedè fortiter & juxta splendide, ut nulla superstiti Calvinistis nostris excusatio, si ad avitam Ecclesie Catholice fidem non revertantur.

Hæc in commendationem viri Theologi de Eccle-



Ecclesia Romana & Catholica bene merito, innocencia ipsius, impactarumque calumniarum facilitate convictus liberiter scripserim, qui nihil postul ad veritatem veritatem, sed pro veritate. Hactenus pilius Contentio.

171 Ego quoque, post accuratum examen, de eadem veritate convictus, in defensionem calumnie innocenciae hanc ipsius pro D. Arnaldo Calvinistarum flagello Apologiam liberiter hic exscripsi, ut & haeretici libros ipsius doctrinam uberes, pietate refertos, soliditate mirabiles, debita cum estimatione legant, & legendo ad Catholicam Matris Ecclesiae gremium redeant, ipsique Catholici multiplicem inde fructum referant, nec ob calumnias illas tam praclarum Authorem legere dedignentur, ad quem sanctissimus Pontifex Innocentius XI. per Eminentissimi D. Cardinalem Cibo 2. Januarii 1667. humanissimas litteras scripsit, quibus tantum virum, tamquam eruditissimi & ingenii laude apud omnes clarissimum plurimum extollit, tantoque in pretio habere se testatur libris, quos adversus Calvinianam heresim, singulari studio ac doctrina, nec minori eloquentia & ingenio elaboravit, ut Sanctae Suae aliquam temporis partem gravissimis curis detraheret an significet, ut illis evolventis impendat, ipsumque certum faciat de paterna charitate qua ipsum, & virtutem ipsius amplectitur, ipsi denique benedictionem Apostolicam eargitur, velut incantamentum ad politicae preces pro Suae Sanctitate fundendas, quibus Sanctitatis Suae plurimum confidit.

172 Sed (his per parenthesis dictis) ad SS. Patres veniamus, quos per singulas Ecclesiae aetates, quilibet deno agmine videre voluerit, apud laudatos Authores inveniet. Pauca, selectioraque aliquot dumtaxat Patrum hic testimonia accipe. Primo saeculo (post Paulum capite praecedenti laudatum, & Andream Apostolum, qui Aegaeo Proconfuli dixit: Quotidie immolo... Agnum immaculatum in altari. Qui cum vere sacrificatus, & vere a populo carnis ejus manducatus fuerint, integer perseverat & vivit, prout in passione ipsius referunt Presbyteri & Diaconi Achaiae) Ignatius Martyr in epist. ad Smiencenses, inter errores Sarnianorum & Simonianorum, recenset, quod Eucharistiae & oblationes non admittant; quod non conspiciuntur Eucharistiam esse carnem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est.

173 Secundo saeculo Justinus Apologiae secundae pro Christianis, de Eucharistia sic loquitur: Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumamus, sed incarnati illius Jesu carnis & sanguinem esse ducti sumimus. Nam Apostoli in Commentariis se scripsit, quae Evangelia vocantur, ita tradiderunt praecipisse sibi Jesum. Eam enim pane accepto... dixisse: hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto... dixisse, hic est sanguis meus. Observa non esse panem communem, sed carnem & sanguinem Christi, eo modo quo in incarnatione est vera caro Christi. Si eo modo: sicut ergo in incarnatione, sic in Eucharistia vere, realiter & substantialiter, non figurative, obiective & in virtute, seu energia & operatione dumtaxat, est caro Christi. Videtur potest eodem saeculo Irenaeus l. 4. c. 24. & l. 5. c. 2. eandem Catholicam veritatem perspicue tradens.

174 Tertio saeculo Tertullianum pro Catholica veritate loquentem num... exhibebimus. Quarto saeculo Concilium Nicenum I. Editionis Pitagae l. 3. In hac sacra mensa, ne similiter intenti stamus ad propositum panem & calicem, sed attolentes mentem fide, intelligamus istum in illa sacra mensa Agnum sicut Dei, tollentem peccata mundi, inveniunt a Sacerdotibus immolatum, & pro-

trium ejus corpus & sanguinem vere nos sumentes credamus, haec esse nostrae redemptionis symbola. Eodem saeculo Hilarius 8. Trinit. Si vere Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnae cibo Dominico sumimus... de naturali enim in nobis Christi Unitate... ipse ait: caro mea vere est esca, & sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non est restitutus ambigendi locus.

Eodem saeculo Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. 175. Licet figura panis & vini hic, omnino nihil aliud, quam caro Christi, & sanguis, post consecrationem credenda sunt. Unde ipsa Veritas ad discipulos suos: haec caro mea est pro mundi vita. Et, ut mirabiliter loquar, non alia planè, quam quae nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro. Haec (tragiam) ipsa est... vere illud corpus, quod sumptum est de Virgine. Et rursus: panis hic, panis est ante consecrationem: nisi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi... Quomodo potest qui panis est, esse corpus Christi? Consecratione. Consecratio igitur cuius verbis est, & cuius sermonibus? Domini Jesu... Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, & factum est caelum. Jussit Dominus, & facta est terra. Jussit Dominus, & facta sunt maria. Jussit Dominus, & omnis terra generata est. Vides ergo quam operatorius est sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quae non erant; quanto magis operatorius est, ut quae erant, in aliud commutentur? Caelum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod jam corpus est Christi... Observa, de pane fit corpus Christi, sermonibus Christi, qui sermo est is quo facta sunt omnia. Et l. 6. c. 2. Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus ejus sanguis est potus. Et l. de initiand. c. 9. Reverè mirabile est, quod manna Deus pluit Patribus... haec autem in figuram facta sunt nostra. Cognovisti praestantiora. Potior enim lux, quam umbra; veritas, quam figura; corpus Autoris, quam manna de caelo. Fortè dicat: aliud video. Quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus, non esse hoc quod natura formavit (autque panem) sed quod benedictio consecravit... benedictionibus etiam natura ipsa mutatur. Virgati tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens (verè & proprie, non figuratè dumtaxat) rursum apprehendit eandem serpentis, & in virga naturam revertit. Vides igitur prophetica gratia mutata esse naturam, & serpentis & virgae... Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam, quam naturam. Et adhuc tamen prophetica benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum illud, quod accipit, Christi sermone conficitur... Incarnationis exemplo asseruimus mysterii veritatem. Nunquid naturae usus praecessit, cum Dominus Jesus ex Maria nasceretur? ... Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est... vera autem caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est, &c.

Et Cyrillus Hierosolymitanus Catech. mystag. 4. Cum igitur Christus ipse sic assermet, atque dicat de pane: hoc est corpus meum, qui deinceps audiat dubitare? atque eodem quoque confirmant,



Et dicente : hic est sanguis meus : quis (inquam) dubitet & dicat, non esse illius sanguinem? Aquam aliquando convertit in vinum, quod est sanguis propinquum, in Cana Galilee, sola voluntate. Et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset? Nam sub specie panis, datur tibi corpus, & sub specie vini, datur tibi sanguis, ut sumpto corpore & sanguine Christi, efficiariter participes corporis & sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est Christum ferentes... cum corpus ejus & sanguinem in membra nostra recipimus. Et post multa tandem in rem explicata, solutaque difficultates, subdit: Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum, quod à nobis conspiciatur, tamen si sensus gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.

177 Quinto saeculo S. Gaudentius homil. 2. in Exod. Unus pro omnibus mortuus est, & idem per singulas Ecclesiarum domos, in mysterio panis & vini reficit immolatus... ne terrenum putet, quod caeleste effectum est, per eum qui transit in illud, & fecit illud suum corpus & sanguinem. Et S. Chrysostomus homil. 51. in Matth. Non vestis tantummodo, sed corpus ipsius nobis propositum est, non ut tangamus involutum, sed ut comedamus & saturemur... veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, quā mensā fruaris, quam Angeli videntes tremunt... hoc nos paschimur... Neque illi satis fuit hominem fieri, colaphis cadi, & crucifigi; verum & semetipsum nobis committere, & non fide tantum (audiat Calvinus erroris sui contradictorium) verum & ipsa re non suum efficit corpus. Et homil. 45. in Joan. Ut autem non solum per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cū enim suum in nos amarem indicare vellet, per corpus suum se nobis commisit... & sanguinem... Hic mysticus sanguis demones procul pellit, Angelos & Angelorum Dominum ad nos allicit. Quod si ejus figura tantam habuit vim in templo Hebraeorum, in media Aegypto liminibus aspersus, longè magis veritas... Hic sanguis in figura peccata purgabat: in qua si tantam habuit vim, si umbram ista mors horruit, quantoperè (quasi) ipsam formidabit veritatem?

178 Eodem saeculo Augustinus concione primā in Psal. 33. explicans verba ista Reg. 21. secundum 70. Ferebatur in manibus suis. Hoc (inquit) quomodo intelligebatur in ipso David secundum litteram non invenimus. In Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans corpus suum, ait: hoc est corpus meum. Ferebatur enim illud corpus in manibus suis. Igitur ad litteram, ad eodem in sensu plano, proprio & reali intelligit verba Salvatoris, hoc est corpus meum. Et in Psal. 68. necnon ferm. de S. Stephano: De carne Mariae carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Et l. 2. contra adverst. Leg. & Froph. c. 9. Christum Jesum carnem suam nobis manducandam, bibendamque sanguinem dantem, fidei corde, oreque (realiter proinde substantialiterque) suscipimus. Et epist. 11. ad Januar. Liquidò apparet, quando primum acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jesunos; numquid tamen propter eadem calumniam est universalis Ecclesia, quod à jesunis sumatur. Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in nos Christianos prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi.

179 Et Cyrillus noster Alexandrinus epist. ad Nestorium, à Concilio Ephesino anno 430. approbatā:

Ad mysticas benedictiones accedimus, eaque ratione sanctificamur, ut ipse sacrae carnis & pretiosi sanguinis Christi omnino nostri Salvatoris participes effecti... Neque illam ut carnem communem suscipimus, sed tanquam verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam. L. 4. adverst. Nestorium pag. 112. Edebant illi veteres homines Agnum immaculatum... ut mortem in alios invadentem ipsi superarent, & exterminatorem effugerent... Ergo conservabant ipse figura eos, qui ante nos fuerunt. Quāto igitur res nostrae sunt excellentiores, quibus ipsa Veritas, id est Christus illuxit, sanctamque suam carnem ad participandum apposuit... Manna... cū per desertum ejus temporis hominibus demissum fuisset, typum gestit mystice benedictionis. Umbra namque erat lex. Idē prudenter admodum Dominus noster Jesus Christus typum extenuat, ut ad veritatem transferat. Neque enim ille fuit panis vitae, sed ego potius, qui de caelo sum, & omnia vivifico, & me in manducante: etiam per vitam vobis carnem infero... Vide igitur quem admodum... se in nostra demittit corpora, ut dixi, etiam per suam carnem, quae veras est cibis: cū illa legalis umbrā... non habeat veritatem. Et lib. 4. in Joan. c. 2. Sapē Salvator, eundem sermonem Judaeis inculcans, variè proponit, modò quidem anigmate & obscuritate multā involutum, modò rejectā tunicā, nudam & apertum... Nihil igitur occultans nudè & apertè demum Christus ait: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendit. Illud manna typus erat (inquit) & umbra, & imago. Audite palam nunc & apertè: "Ego sum panis vivus. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum." Qui ex illo manducaverunt, mortui sunt: non erat enim vivificus. Qui autem manducat hunc panem, id est ME, sive MEAM CARNEM (non in umbra figurarum, ut olim in manna; sed realiter & verè) vivet in aeternum.

Item Leo Magnus ferm. 6. de jejunio sept. 180 mens. Dicente Domino, nisi manducaveritis, sic sacra mensa communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, &c.

Sexto saeculo Gregorius Magnus homil. 14. 181 Bonus Pastor animam suam posuit, ut in Sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret, & oves, quas redemerat, carnis suae alimentum pararet. Et homil. 22. Quid namque sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicisti. Qui sanguis supra utramque partem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis bauritur. Et lib. 4. Dial. c. 58. Debemus... quotidianas carnis ejus & sanguinis hostias immolare. Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, in qua Christus pro nobis iterum in hoc mysterio immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur... ejus sanguis... in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensamus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Qui enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum chorus adesse, summis ima sociatus, terrena caelestibus jungi, &c.?

Septimo saeculo Anastasius Synaita lib. cui titulus, Dux verae fidei: Non dixit, hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum.

Octavo saeculo Joannes Damascenus lib. 4. fid. 183 orthodox. Christus non dixit: hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum. Et iterum: Quaevis Virgo, quomodo fiet tibi istud? Respondit Gabriel Archangelus: Spiritus sanctus superveniet in te. Tu quoque nunc quaeris, quomodo panis nunc fiat corpus Christi, & vinum aqua mixtum fiat sanguis Christi? Tibi quoque respondeo: Spiritus sanctus superveniet, eaque efficit, quae orationis sacramentum,



Et mentis intelligentiam excedunt... Quod si quas quo pacto id fiat? Satis tibi sit audire, quod per Spiritum sanctum id fiat. Quemadmodum ex sancta Dei Matre, per Spiritum sanctum Dominus sibi ipsi carnem condidit; nec quidquam amplius nobis perspectum & exploratum est, quam quod verbum Dei est verum, & efficax, atque omnipotens, ut ea efficiat, que nulla ratio humana queat indagare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit, dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per manducationem, & vinum & aqua in bibentis & comedentis corpus & sanguinem immutantur; sic panis & vinum, que proponuntur in altari, per sancti Spiritus invocationem, & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.

184 Eodem sæculo septima Synodus Generalis, seu Concilium Nicænum II. act. 6. t. 3. sub finem: Nullus aliquando tubarum spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostris... efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino sic dicere, vel confiteri, sed audiunt evangelicè, dicente eo: nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non intrabitis in regnum caelorum. Et qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Et accepto pane, gratias agens, fregit, & dedit Discipulis suis, & ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipientes calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et non dixit: accipite & comedite imaginem corporis mei. Sed & Paulus divinus Apostolus ex divinis Domini vocibus hauriens, ait: ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, accepi panem, & gratias agens, fregit & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam canavit, dicens: hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, &c. Ergo liquidò demonstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine (id est incruentum) quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem typis quibusdam sanctorum Patrum hæc pie visum est nominare... Post sanctificationem autem corpus propriè ac sanguis Christi dicuntur, sumi, & creduntur.

185 Nono sæculo Carolus Magnus, & Episcopi in Concilio Francofurtensi congregati solemniter declararunt, quod Eucharistiæ imago non est corporis Christi, sed corpus ipsius, & veritas per veteres figuras significata.

186 Eodem sæculo Paschasius lib. de corp. & sang. Dom. Omnia (inquit) quæcumque voluit Dominus, fecit in celo & in terra. Et quia voluit (licet in figura panis & vini) hæc sic esse, omnino nihil aliud, quam caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt. Quia (ut ibidem dicit) sensibilis res, panis scilicet & vinum, intelligibiliter virtute Dei, per verbum Christi, in carnem ipsius ac sanguinem divinitus transfertur. Quod dicendo, nihil novum dixit, sed communem totius Ecclesiæ fidem explicavit, uti sub vitæ finem declarat in epist. ad Frudegard. Cum enim de eo aliqui dubitare cœpissent, & ipsemet Frudegardus, de quo sic: Dixit se sic antea credidisse, & in libro quem de Sacramentis edidit, ita legisse; sed postea postea, te in libro tertio de doctrina Christiana B. Augustini legisse, quod tropica sit locutio. Hoc refutat tanquam novum errorem contra Dominum, & contra totius Ecclesiæ fidem: nam

(inquit) usque ad presens nemo deerrasse legitur, nisi qui de Christo erraverunt, ut Simoniani & Saturniani (apud Ignatium supra n. 172.) qui negant veram Verbi Incarnationem, sive veram Christi carnem. Ideo addidit: Miror quid volunt nunc quidam dicere, non in re esse veritatem carnis Christi, vel sanguinis; sed in Sacramento virtutem quamdam carnis, & non carnem. Quamvis (inquit) quidam de ignorantia sic errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicatur, quod totus Orbis credit & confitetur. Et iterum: Videat qui contra hoc venire voluerit, magis quam credere, quid agat contra ipsum Dominum, & contra omnem Ecclesiam. Et iterum: Nefandum est scelus, orare cum omnibus, & non credere quod ipsa Veritas testatur, & ubique omnes universaliter verum esse sentiant.

Idem eodem sæculo testatur Amalarius (specil. 187 to. 7.) Eucharistiam appellans universale sacrificium, quo Christus immolatur in altari. Addens: Sensit Ecclesia sacrificium presens mandandum esse ab humano ore: credit namque corpus & sanguinem esse Domini, & hoc morsu, benedictione caelesti, impleri animas sustentium.

Eodem rursus sæculo Remigius Altifiodorensis 188 in cap. 11. Epist. 1. ad Cor. & in expositione Missæ: Cum mysterium sit, quod aliud significat, si in veritate corpus Christi, quare appellatur mysterium? propterea utique quia post consecrationem aliud est, aliud videtur. Videtur siquidem panis & vinum; sed in veritate corpus Christi est. Consulens ergo omnipotens Deus infirmitati nostræ, qui usum non habemus comedere carnem crudam, & sanguinem bibere, facit ut pristina remaneat forma & figura, illa duo munera, & sit in veritate corpus Christi & sanguis.

Eodem sæculo Hincmar Archiepiscopus Re. 189 mensis 1. de prædest. c. 31. opinionem, quæ dicit Eucharistiam non esse nisi imaginem corporis Jesu Christi, redarguit, tanquam novitatem contrariam fidei Catholice.

Decimo sæculo S. Odo 1. 2. c. 32. approbat 190 multumque extollit Paschasii librum supra relatum de corpore & sanguine Domini, sequiturque proinde doctrinam, refertque in ejus vita Guilielmus Malmersburiensis ex Authore istius ætatis, Odonem plurimos de veritate Domini corporis dubitantes ita roborasse, ut panem altaris versum in carnem, & vinum calicis in sanguinem propalam ostenderit, & denudò in pristinam speciem reverti usui humano conducibilia faceret. Et S. Odilo in vita Imperatricis Adelaidis, laudat, quod sacri olei unctione peruncta, Sacramentum Domini corporis humiliter & devotissime adorando perciperit, in quem semper credidit & speravit.

Undecimo sæculo (cujus anno circiter 35. Be. 191 rengarius suam contra hoc mysterium hæresim disseminare cœpit) S. Fulbertus Episcopus Carnotensis epist. 1. postquam refutavit opinionem impugnantium veritatem hujus mysterii, tanquam errorem incompatibilem cum fide & unitate Ecclesiæ: & ideo ab Ecclesiæ unitate divisi, dum fieri nolunt discipuli veritatis, facti sunt Magistri erroris: stabilit communem Ecclesiæ fidem de transubstantiatione, sive mutatione panis in substantiam corporis Christi: Si ergo Deum omnia posse credis, & hoc consequitur ut credas, nec humanis disputationibus discernere curiosus insistes, si creaturas, quas de nihilo posuit creare, has ipsas multo magis valeat in excellentiori natura dignitatem convertere, & in sui corporis substantiam transfundere.

Adelmannus (Berengarii sub S. Fallento 192 discipulus) dicto anno 1035. Berengario exprobrat, quod se ab Ecclesiæ unitate separasset, atque à fide Catholica dissentiret, credendo quod



corpus & sanguis Domini, quæ per universam terram quotidie immolantur, non esset verum corpus Jesu Christi, nec verus sanguis ipsius, sed similitudo & figura.

193 Hago Lingonensis Episcopus, scriptis pariter ipsi litteris, ipsius doctrinam redarguit, tamquam fidei Catholice contrariam. Ipsumque alloquens: *universalem* (inquit) *Ecclesiam scandalizas.*

194 Deodatus Episcopus Leodiensis, in litteris ad Henricum I. Regem (quas Baronius refert ad annum 1035. sed Durando male attribuit) de Berengario conqueritur, tamquam innovatore veterum hæresum, cujus error aded notorius esset, ut necesse non foret Concilium congregare ad ipsum condemnandum, & addit: *Abstine ut tam perverſis, & à veritate ipsa tantum averſis jungamur per fidem, atque in sancta corporis & sanguinis communione minus aliquid fateamur, quam Catholica per orbem universum prædicat Ecclesia.*

195 Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, l. de corp. & sang. Dom. c. 22. ipsum alloquens: *Faſtu (inquit) plenus, contra orbem terrarum sentire cepiſti, contra Catholicam veritatem, & contra omnium Ecclesiarum opinionem scriptum condidiſti. Quippe si verum est quod de corpore Christi tu credis, falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem recedatur & adstruitur. Omnes enim qui Christianos se, & esse & dici letantur, veram Christi carnem, verumque ejus sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc Sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui latina lingua, nostrarumque litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet Nationis quoscumque Christianos homines, uno ore hanc fidem se testantur habere.*

196 Guimundus Episcopus Averſanus, l. 3. ipsi pariter objicit, ejus errori neque vel unam civitullam, vel etiam unam villulam consensisse. Et addit: *Si quis qualitatem vel flagitiosam vitam eorum, per quos error ille utcumque pullulavit; si quis nullum sinceræ vite hominem, nullum penitus sapientem; si demum non solum Concilia, sed etiam totum Orbem terrarum contradicentem perſet, tacente nostrâ disputatione, quid magis tenendum sit, satis, ut arbitror, judicabit.*

197 Statim proinde contra Berengarianum errorem, velut novitatem fidei universali totius Ecclesiæ adversantem, Scriptores passim omnes insurrexerunt. Insurrexerunt & Concilia adversus eundem Berengarium eodem sæculo celebrata, scilicet Parisiense anni 1030. Vercellense sub Leone IX. Turonense sub Victore II. Lateranense 113. Episcoporum sub Nicolao II. Romanum sub Gregorio VII. in quo Berengarius suam hæresim post multiplicem relapsum abjuravit, tandemque poenitens in Catholice Religionis professione anno 1088. nonagenarius obdormivit. Post cujus mortem hæresis ipsius rursus condemnata fuit in numerosissimo Concilio Placentino anno 1095. sub Urbano II.

198 Quid plura? sub initium ejusdem sæculi anno 1017. in Concilio Aurelianensi (cujus historia extat spicileg. t. 2. p. 674.) cum quidam hæretici dogmatizarent, peccata non ablui in Baptismo, Christum non esse natum ex Virgine, neque panem & vinum, quod super altare manibus Sacerdotum sancti Spiritus operatione efficit videtur Sacramentum, converti posse in corpus & sanguinem Christi, opinamenta ista velut execrabilia portenta Concilium præsentem Roberto Rege exhorruit: *cumque hæc & alia execranda perdidit & miserè evomerent, &c. ut refertur in eadem historia.*

199 Nec soli Latini Scriptores contra errorem illum undecimo sæculo scripserunt, verum & Græci, ut Theophylactus in cap. 26. Matthæi: *Porro dicens, hoc est corpus meum, ostendit, quod ipsam*

*corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit: hoc est figura, sed hoc est corpus meum. Infallibili enim operatione transformatur, etiam si nobis videatur panis, quoniam nimis infirmus sumus, abhorremus nudas carnes comedere, maxime hominis carnem. Et ideo panis quidem apparet, sed reverè caro est. Et in cap. 14. Marci: hoc est corpus meum, hoc (inquam) quod sumitis. Non enim figura & exemplar quoddam Domini corporis, panis est, sed in illud ipsum convertitur corpus Christi. Dominus enim dicit: panis quem ego dabo, caro mea est. Non dixit: figura est carnis mee, sed caro mea est, &c.*

Sæculo duodecimo Petrus Cluniacensis plures epistolâs scripsit adversus Petrum de Bruis, errorem Berengarii refutantem, contra quem scripsit etiam tractatum speciale de sacrificio Missæ, & transubstantiatione. Similiter S. Bernardus Henricum quemdam, Petri discipulum, confutavit epist. 24. ferm. 65. in Cant. variisque sermonibus, & miraculis ipsum exagitavit, sicut & epist. 197. & 196. acriter refutavit Arnoldum de Brixia in eodem errore versantem.

Eodem sæculo Rupertus Abbas Tuitiensis multat ingeniosè scripsit, & in epist. nuncupatoria Commentariorum in Joannem Edit. Colon. anni 1526. Berengarianos impugnavit dicens: *Aliqui ex eis dum volunt Sacramentum corporis & sanguinis Domini solummodo signum esse sacre rei, juxta errorem quondam Berengarii, etiam dictum B. Augustinum ita sentire putant. Quod omnino falsum est. Ego autem verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, & verum esse deceto sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut Catholica Ecclesia tenet... Augustinum in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malo sensu accipiendo. Verùm hæc jam ferè nemo palam profiteri, aut defendere audeat, universâ sentiente Ecclesiâ Catholica, quia verum Christi corpus, & verus Christi sanguis est. Sic tamen Berengarii hæresim confutavit, ut auctaci temeritate aliam hæresim de impanatione invenisse nonnulli videatur, tamen ab aliis vindicetur. Hoc constat, Algerum l. 1. de corpore & sanguine Domini c. 6. conquestum, quod tempore suo (eodem utique sæculo duodecimo) excitata foret nova hæresis & absurdissima de impanatione. Quam ibidem refellit, sicut & totis tribus libris de corp. & sang. Domini Berengarianam Calvinianamque hæresim confodit. De Algero Petrus Cluniacensis initio libri sui de sacrificio Missæ sic testatur, Lanfrancum scripsisse de Sacramento Eucharistiæ benè, plenè & perfectè; Guimundum melius, plenius & perfectius; Algerum optimè, plenissimè & perfectissimè.*

Eodem rursus sæculo catholicam (quam assertimus) veritatem tradiderunt Hago à S. Victore, Petrus Lombardus, Petrus Bleienſis alique permulti.

Nec soli Latini, sed & Græci, Basilius Archiepiscopus Theſſalonicensis in epist. ad Adrianum IV. Papam. Isaac Armeniæ Episcopus in Auctario Biblioth. PP. col. 344. & 346. Simeon Junior sacrarum Medit. c. 14. Euthymius in Matth. c. 64. ubi sic: *Sicut vetus Testamentum hostias & sanguinem habet; ita sanè & novum, corpus videlicet & sanguinem Domini. Non dixit autem, hæc sunt signa corporis & sanguinis mei, sed hæc sunt corpus meum, & sanguis meus.*

Sæculo XIII. præter Albertum Magnum, Alexandrum de Ales, S. Thomam, S. Bonaventuram, cæterosque Scholasticos, quoque de hac materia scripserunt) assertionem nostram Catholica Ecclesia anno 1215. definitivè in Concilio Magno Lateranensi 1200. Patrum sub Innocentio III. cap. 1. ubi sic: *Una vera est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur,*



in qua idem ipse Sacerdos & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini, veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem.

205 Saeculo XIV. eandem veritatem Ecclesia anno 1311. non solum recepit in Concilio Viennensi sub Clemente V. sed & decrevit festivitatem corporis Christi quotannis celebrandam.

206 Saeculo XV. eandem iterum veritatem anno 1418. professæ est in Concilio Constantiensi sess. 13. ubi sic: *Firmissimè credendum, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis, quam sub specie vini, veraciter contineri.* Et rursus anno 1438. in Concilio Florentino sess. 25. *Hoc sacro universali approbante Concilio definitum, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altaribus ipsum Christi corpus conficere, &c.*

207 Saeculo XVI. eandem veritatem contra Zuin-  
gilianos, Calvinistas, Lutheranos, &c. rursus defini-  
vit in Concilio Tridentino sess. 13. in cujus  
Præfatione postquam dixit: *Eadem sacrosancta  
Synodus sanam & sinceram illam de venerabili hoc  
& divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tra-  
dens, quam semper Catholica Ecclesia ab ipso Jesu  
Christo Domino nostro, & ejus Apostolis erudita,  
atque à Spiritu sancto, illi omnem veritatem in  
dies suggerente, edocita retinuit, & ad finem usque  
seculi conservabit, omnibus Christi fidelibus inter-  
dicat, ne post hæc de sanctissima Eucharistiæ aliter  
credere, docere, aut predicare audeant, quam ut ipse  
hoc præsentis decreto explicatum atque definitum,  
cap. 1. definit ut supra n. 144.*

## CAPUT XVIII.

Quinò heretici contra se habent perpetuam totius Ecclesiæ Catholicæ fidem, unanimesque Nationum omnium Christianarum consensum. Unde patet ipsos Novatores esse, alienosque à perpetua Ecclesiæ fide, in quam tota Ecclesiæ Græca cum Larina consentit, semperque consensit.

208 Quid habeant contra se perpetuam totius Ecclesiæ Catholicæ fidem, constat ex dictis capitibus præcedentibus. Illam enim fidem Ecclesiæ Catholica tenet, semperque tenuit, quam à Patribus, & per Patres ab Apostolis, & per Apostolos à Christo accepit, & per Oecumenica Concilia declaravit. Atqui Christum verè, realiter, & substantialiter in venerabili Eucharistiæ Sacramento contineri, per octo Concilia Oecumenica declaravit, & à Patribus omnibus, qui fuerunt à temporibus Apostolorum, imò ab ipsismet Apostolis, & à Christo verbis planis & perpicuis id docente ipsa accepit, uti demonstravimus capitibus præcedentibus.

209 Et confirmatur: quia cum Berengarius suam hæc de re hæresim propalavit, is erat, semperque fuerat universæ Ecclesiæ sensus & consensus, Christum in hoc Sacramento verè, realiter, & substantialiter contineri, non tropicè, figuratè, & objective, aut virtualiter, seu in virtute dumtaxat. Nullus quippe alicujus nominis unquam aliter crediderat, nullus apertâ fronte tradiderat, quem Ecclesiæ pro Catholico agnoverit. Allegatur quidem à nonnullis Ratramnum quidam, vel Bertramus, Monachus Corbeiensis, noni sæculi Scriptor, sicut & Joannes Scotus Erigena, ipsi synchronus. Sed tamen ambigè hæc de re scripserint,

ideoque plerisque de hæresi suspecti fuerint, vel etiam habiti hæretici. Sed tamen Joannem Erigenam (non Ratramnum) pro sua hæresi Berengarius allegaverit, ideoque in Concilio Vercellensi liber Erigenæ proscriptus fuerit; ipsos tamen ab ea hæresi expurgant Acta SS. Ordinis S. Benedicti Parisiis anno 1080. edita, in Præfatione sæculi IV. ideoque istius hæresicos primum scandalum Guitmundus l. 3. S. Thomas q. 75. a. 1. in fine corp. Bellarminus alique in Berengarium rejiciunt; ita ut Guitmundus dicat, *novissimum esse hoc tempore, priusquam Berengarius inanisset, hujusmodi vesanas nugas fuisse.* Quidquid tamen de eo sit, dato, non concessio, quòd vel Ratramnus, vel Erigena, vel alius quispiam ante Berengarium hæc de re perperam sentierit, vel scripserit; non apertè, sed obscure & ambigè scripsit, & contra communem Ecclesiæ fidem. Neque id Ecclesiæ sustinuit, dum in publicam ipsius notitiam devenit, ut constat ex eo quòd proscripterit Erigenæ librum (ante sæculum undecimum vix pervulgatum, solumque paucis notum, prout constat ex eo quòd nullus ante sæculum undecimum fecisse legatur mentionem illius) statim atque intellexit Erigenam in eo tam lubricè, & ambigè loqui, ut de Berengario errore suspectus foret, ipsumque proinde Berengarius in sui erroris patrocinium allegaret. Enimverò quis ante sæculum nonum hæc de re fuerit Ecclesiæ sensus & consensus, Synodus septima Generalis supra n. 184. evidenter nos edocuit. Quis verò fuerit sæculo nono, sub illius initium, accipe ex Amalario (qui obiit anno 14. istius sæculi:) *Sentit Ecclesiæ (inquit) sacrificium præsentis mandandum esse ab humano ore: credit namque corpus & sanguinem Domini esse.* Quod Amalarii testimonium exponi nequit, nisi de vero, reali & substantiali corpore Christi: cum usque aded verè, realiter & substantialiter Amalarius id intellexerit, ut modo nimis grossio, divinum illud corpus accepisse videatur, cum addidit: *Ita verò sumptum corpus Domini, bonâ intentione, non est mihi disputandum, utrum invisibiliter assumatur in calum, an referretur in corpore nostro usque in diem sepulture, an exhale-  
tur in auras, aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur, &c.* Accipe etiam ex Paschasio episc. ad Frudegard. ubi sic: *Usque ad præsens nemo deesse legitur, nisi qui de Christo erraverunt, ut Simoniani & Saturniani.* Et infra: *Quamvis ex hoc quidam de ignorantia errant, nemo tamen ad hæc est in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quòd totus Orbis credit & conficitur.* Unde statim atque in aperto Berengarius sæculo undecimo contradixit, in ipsum, velut novatorem, fideique totius Ecclesiæ contradicentem, istius sæculi Scriptores passim omnes infurxerunt, utique Fulbertus, Adelmannus, Hugo Lingoniensis, Deoduinus, Lanfrancus, Guitmundus, uti n. 191. 192. 193. 194. 195. & 196. vidimus. Quod eodem sæculo amplius constitit ex tot Conciliis n. 197. productis, quibus Berengariana hæresis per Ecclesiam damnata fuit.

Eundem totius Ecclesiæ sensum & consensum fuisse à sæculo undecimo usque ad præsens, constat ex dictis à n. 200. usque ad 208.

A sæculo nono ascendendo usque ad tempora Apostolorum n. 184. authenticum exhibuimus testimonium Concilii Oecumenici VII. quòd nullus... *Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium... dixit imaginem corporis ejus... Item quòd nusquam Dominus, vel Apostoli aut Patres imaginem dixerunt sacrificium... quòd per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem typos quibusdam SS. Patrum hæc prævisum est nominare... Post sanctificationem autem*



corpus proprie ac sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur. Et verum esse testimonium Concilii Generalis VII. demonstravimus à n. 172. ad 184. ex Andrea & Paulo Apostolis, Ignatio, Justino, Tertulliano, Hilario, Ambrosio, Cyrillo Hierosolymitano, Gaudentio, Chryostomo, Augustino, Cyrillo Alexandrino, Leone Magno, Gregorio Magno, Anastasio Sinaita, Damasceno. Necnon ex Conciliis Nicæno I. & Ephesino, quorum testimonia æquè plana ac perspicua sunt pro hac veritate, quàm pro veritate Trinitatis & Incarnationis, nec ad figuram excludentem veritatem magis trahi possunt illa quàm ista.

212 Et citato quidem sæculo octavo tam firma fuit quoad hoc Ecclesiæ persuasio, ut cum acta septimæ Synodi Generalis in Galliam essent allata, verbaque Iconoclastarum cum septimæ Synodi Decreto, per errorem, minisque integram actorum VII. Synodi in latinam linguam versionem, confusa fuissent, Galliæ Episcopi in tantam inde offensionem abierunt, ut lib. 4. Capitul. c. 14. magno zelo resellere aggressi sint, perperam existimantes à VII. Synodo imaginem tantum, non veritatem corporis & sanguinis Domini in hoc mysterio agnoscere. Hoc (inquam) magno zelo resellere aggressi sunt, dicentes: *Non enim sanguinis est corporis Domini mysterium imago est, sed veritas: non umbra, sed corpus: non exemplar futurorum, sed id quod exemplaribus præsentatur.* Quamquam & in ipsis quoque Iconoclastis illi Galliarum Episcopi decepti fuerint, cum & ipsi Catholicam nobiscum agnoverint veritatem (quod utique in Eucharistia corpus & sanguis sit proprie & in veritate, non solum in imagine) ut Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, Tharsii Successor, testatur in Antiretico apud Allatum pag. 1222. & D. Arnaldus demonstrat in defensione perpet. fid. l. 7. c. 7. Nullique proinde usque ad sæculum nonum vel undecimum à Catholica quoad hoc veritate aberrasse legantur, sive apud SS. Patres, sive apud Ecclesiasticos Scriptores, sive apud eos qui historiam Ecclesiasticam, vel hæresum Catalogum texerunt, exceptis iis qui de Christo erraverunt, Simonianis utique, Saturnianis, Marcionitis, Manichæis.

213 Vel ipso sæculo primo hæretici habiti sunt, qui veram & proprie dictam Christi carnem in Eucharistia non crediderunt, ut constat ex epist. S. Ignatii ad Smirnenfes n. 172. relata.

214 Similiter à Berengarii tempore semper ut hæretici ab Ecclesiâ habiti sunt, quotquot ipsius hæc de re commentum secuti sunt. Nec solum ab Ecclesiâ Latina, verum etiam ab Ecclesiâ Græca. Quippe quæ eandem semper cum Ecclesiâ Latina fidem quoad hoc tenuit, uti perspicue demonstrat laudatus D. Arnaldus in l. de perpetuitate fidei Eucharistiæ, & in defensione illius, & de eo quidem usque ad sæculum octavum constat ex Concilio Nicæno I. Ephesino, & Nicæno II. supra relatis, Græcisque Patribus, Ignatio, utroque Cyrillo, Chryostomo, Anastasio Sinaita, Damasceno, cap. præcedenti relatis, quibus coniungunt Hefychius l. 6. in Levit. dicens quod in hoc mysterio Christi corpus & sanguis est secundum veritatem. Nissenus orat. Catech. c. 37. *Rede... Dei Verbo significatum panem, in Dei Verbi corpus credo transmutari.* S. Ephrem Syrus lib. de Nat. Dei: *Participa immaculatum corpus & sanguinem Domini tuis fide plenissimâ, certus quod Aquam ipsum integrè comedas... omnem excedit admirationem... quod nobis fecit unigenitus Filius Christus... manducandum præstitit nobis, carne vestitus, corpus suum & sanguinem.* Isidorus Pet. Int. epist. 109. l. 1. *In Eucharistia Spiritus sanctus panem efficit, proprium corpus, quo Christus seipsum indit in sua Incarnatione.* Coniungunt pari-

ter Nazianzenus, Basilus, Epiphanius, alique passim omnes, qui hæc de re scripserunt, ita ut nullus ex Patribus Græcis proferri possit, qui ab hac Catholica veritate dissentiat, ut Concilium Nicænum II. verissime dixit.

215 Omnes igitur Patres Græci Catholicam de hoc mysterio veritatem tradiderunt usque ad sæculum nonum. Nec dubium quin eos (præsertim Damascenum) secuti sint Patres sequentium sæculorum, utpote qui Damascenum suspexerunt velut Græcorum Theologorum Principem, prout Latini posteriores S. Thomam. Sæculo nono signanter ipsius de hoc mysterio Theologiam secuti sunt Nicephorus, Theodorus Grapus, Theodorus Abucara, Petrus Siculus, prout Arnaldus demonstrat l. 7. defens. c. 9.

Sæculo decimo ibidem duo producit exempla, 216 ex quibus demonstrat Eucharistiam in Ecclesiâ Græca adoratum fuisse tanquam verè continentem corpus Domini Dei nostri.

217 Sæculo undecimo & sequentibus usque ad hodiernum diem, creditam à Græca Ecclesiâ transubstantiationem, Dominicæ corporis & sanguinis in Eucharistia veritatem, realitatem, substantia- litatem, in eadem defensione l. 2. à cap. 5. usque ad finem, totisque libris 3<sup>o</sup>. & 4<sup>o</sup>. perspicuis, luceque meridianâ clarioribus Græcorum testimonio, utique Theophylacti, sæculo undecimo. Euthymii Zigabeni, Nicolai Episcopi Methonenfis, Zonaræ & Nicetæ Choniæ, sæculo duodecimo. Samonatis Episcopi Gazæ, sæculo decimo-tertio. Nicolai Cabasilæ, Manuëlis Calecas, sæculo decimo-quarto. Simonis Archiepiscopi Thessalonicensis, actisque in Concilio Florentino, & post illud, sæculo decimo-quinto. Hieremias Patriarchæ Constantinopolitani, Margunnii Episcopi Cytherensis, Hilarionis Monachi, sæculo decimo-sexto. Quibus l. 12. addit Metrophanem Patriarcham Alexandrinum in confessione fidei c. 9. Sæculo decimo-septimo, Gabriel Severus Metropolitæ Philadelphensis tractatum edidit de Sacramento divinæ Misse, in quo expressè docet *transubstantiationem panis & vini in Salvatoris nostri carnem & sanguinem.* Insuper Apologiam edidit adversus Orientales, in qua disertissime asserit, per di- ctam transubstantiationem deperdi panis & vini substantiam, transmutarique in adorandam substantiam corporis & sanguinis Domini, solis remanentibus panis & vini accidentibus. Idcirco Sacramentum illud supremo cultu à fidelibus adoran- dum.

218 Eodem sæculo decimo-septimo Agapius, Religiosus Montis Athos, in libro cui titulus, *Salus peccatorum*, cap. de præparat. ad communionem, & quinque capitibus sequentibus, eandem (quam asserimus) veritatem expressissime tradit, respondetque in fine ad objecta Calvinistarum.

219 Eodem rursus sæculo cum Cyrillus Lucar, Batavis spondidisset Calvinismum à se profutendum, & promovendum, si eorum opibus & mediatio- ne ad Patriarchatum Constantinopolitanum promoveretur, sub eaque sponione fœderati Ordines per suum Constantinopoli Legatum, & oblatam Magno Visirio pecunia vim, ad dictum Patriarchatum promovissent, factisque Patriarcha, sponioni stans, Calvinismum palam professus fuisset, Græciâ totâ, eam ob causam, sicut & ob horrenda scelera ipsius, contra ipsum perstreperet, ter à Sede sua pulsus, tandemque trucidatus fuit, & post obitum, duplici contra ipsum Concilio Constantinopoli coacto, anathemate percussus fuit. Nam alter Cyrillus Bercentis, ipsius in Sede Constantinopolitana Successor, cum duobus aliis Patriarchis, Alexandrino & Hierosolymitano, ac 22. Episcopis in Synodo congregatus, Cyrillum Lucaris, ut apostatam, eamque quam fecerat Calvinianam



Calvinianam heresem confessionem anathematizavit, inter cetera dicens: *Anathema Cyrillo, qui in inscriptione articulo suorum calumniose dixit, totam Orientalem Ecclesiam Calvinio consentire. Et intra: Anathema Cyrillo, qui docet, & credit, quod nec panis qui offertur, nec vinum, per benedictionem Sacerdotis, & adventum Spiritus sancti, mutantur in verum corpus sanguinemque Jesu Christi, cum scripsit decimo-septimo hereticorum articulo suorum, id quod videmus, & accipimus, non esse corpus Jesu Christi.*

*Anathema Cyrillo, qui sic transgreditur oracula certa Spiritus sancti, renuitque audire vocem Dei Homini, dicentis ad discipulos suos: Nisi manducaveritis carnem Filii Homini, &c.*

220 Sed & Parthenius alter successit Cyrilli anno 1642. coacto altero Constantinopoli Concilio, cui subscriperunt Parthenius, dictus Oecumenicus Patriarcha, Petrus Mogias, Metropolitanus Ruficae, cumque his alii plerique Antistites, omnesque Primarii Magnae Constantinopolitanae Ecclesiae Ministri ac Officiales, damnavit totam Calvinianam heresim, omnesque articulos illius, damnandoque articulum 16. sic ait: *Divinam autem Eucharistiam ita convellit (Calvini secta) ut nihil ipsi aliud, nisi nudam figuram relinquat, quasi ad hoc in umbra veteris legis serviremur. Negat enim eum, qui videtur, & comeditur, panem jam sanctificatum, esse verum Christi corpus, sed spiritualiter tantum intellectum, aut potius imaginando fictum, quod omni impietate plenum est. Neque dixit Jesus, hoc est corpus meum, sed hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Addit Concilium illud: Numquam Ecclesia nostra (id est Orientalis) dogmatibus istis decepta fuit, optamusque ut per gratiam Spiritus sancti eam dirigentis, in precipitium istud nunquam decidat. Tot tantisque testimoniis non potest homo cordatus non acquiescere.*

221 Tanta nihilominus nuper fuit Claudii (Calviniani Ministri) temeritas, ut iis non acquiescens, perfricta fronte adhuc negaret, Orientalem Ecclesiam Occidentali in puncto praesenti consentire. Ideo, ad totalem Calvinianam sectae confutionem, Arnaldus tomo 3. perpetuatis fidei, hujus confessionis tam manifestas probationes superaddidit, ut de ea nullus dubitaturus sit, nisi pudori profusus renuntiaverit. Post allatum namque superioribus libris testimonium integre Synodi in Cypro coactae; post allatum quoque Catechismum Ecclesiae Constantinopolitanae, Venetiis 1635. excusum; post exhibitam Ecclesiae Graecae confessionem orthodoxam, cui quatuor Patriarchae, plurimique Orientales Episcopi subscribere; post exhibitam confessionem Methodii Patriarchae Constantinopolitani, & Hilariensis Cicadae, Majoris Ecclesiae Theologi; post producta testimonia octo Monachorum Montis Athos, Michaelisque Chortacii Cretensis Presbyteri, & plurium aliorum a-pertissimas declarationes. Libro 8. profert 10. testimonium septem Orientalium Metropolitanorum, datum Peræ 18. Julii 1671. quo omnes in Christo credentes certos reddunt, *Calvinistas Gallos Ecclesiam Orientalem impudenter calumniari, quamvis absurda eorum de Eucharistia sententia variis Constantinopoli coactis Conciliis contrita & reprobanda sit.* Sequi realem corporis Christi praesentiam, panisque & vini transubstantiationem, solis accidentibus remanentibus, admittere contentantur: denique eos qui contra sentiunt perniciosi erroris damnant.

222 Secundò profert publicum testimonium Ecclesiarum Archipelagi, ab Episcopis, Abbatibus, Sacerdotibus, ac Monachis subscriptum, quo Calvinistas, negatae transubstantiationis Ecclesiam Graecam diffamantes, *superbos haereticos, sicut opi-*

*nantes, perversè sentientes... iniquos impostores, Ecclesiae Orientalis calumniatores, impudentes, sine timore Dei calumniantes, mendaces declarant.*

Tertio litteras Panajotæ Niculii ad Marchionem de Nointel, Christianissimi Regis ad Portam Ottomanicam Legatum, datas Adrianopoli 20. Decembris 1671. ubi sic: *Mirum sane est, vir excellentissime, cur non pudeat Calvinianae haereseos sectatores, post tot Ecclesiae Orientalis contra eos factas demonstrationes, post tot Actus Synodales typis divulgatos, post Cyrillianae confessionis damnationem, post Meletii Sirigi, Doctoris Ecclesiae Orientalis, prolixam ejusdem refutationem, post denique saepe memorate Ecclesiae fidei suae confessionem, omnium serè Antistitum suorum unanimi consensu & confessione nusquam publicatam, tam impudenter & pertinaciter hanc Ecclesiam in consortium perniciosarum hereson suarum advocare. Si enim Graecorum Ecclesiae fidei confessionem scire cupiant, quare eam solummodo à Cyrilli, quater ob suspensionem haereseos Sede Patriarchali à Graecis expulsi, post occisi, ac ultimò publico anathemati traditi confessione petunt? Si quaerunt quid de vera & substantiali Jesu Christi servatoris in divino Eucharistiae mysterio praesentia Graeci credant, inspiciant paulisper libros Officiorum Sacerdotalium, quos Eucologia vocant, & periegant orationes, quas quilibet Sacerdos ante & post Sacramentorum assumptionem tenetur absolvere... Hae scrutentur Calvinistae, & invenient veram Orientalis Ecclesiae confessionem, &c.*

Quartò profert testimonium authenticum Patriarchae Constantinopolitani, trium Expatriarcharum Constantinopolitanorum, Patriarchae Alexandrini, necnon triginta quinque Metropolitanorum, datum Constantinopoli in domo Patriarchali indictione 20. mensis Januarii 1672. ipsorum subscriptionibus munitum, tenoris sequentis: *Quoad terribile Eucharistiae Sacramentum, credimus, & sine dubitatione confitemur, verum Domini nostri Jesu Christi corpus esse invisibiliter praesens praesentia reali in Sacramento. Nam operatione sanctissimi Spiritus, modo supernaturali & ineffabili, panis in proprium Jesu Christi corpus, & vinum in vivum ejus sanguinem, realiter, verè, & propriè commutatur... Sacramentum hoc verè adoratione dignum est: in eo enim non minori venerationis cultu corpus Jesu Christi Salvatoris à divinitate assumptum prosequimur, quam ipsam divinitatem adoremus. Pro omnibus Christianis orthodoxis, cum vivis, tum visis sanctis, in sacrificium offertur.*

Quinò producit librum confessionis orthodoxae, quem Dionysius Patriarcha Constantinopolitanus, ad retundendam calumniam Calvinistarum, secundò edidit curavit, cujus Autographus manuscriptus ad Regem Christianissimum missus est, in quo multis ostenditur, quòd *transubstantiantur panis in verum corpus Christi, & vinum in sanguinem, remanentibus solam speciebus visibilibus.* Quòdque huic Sacramento exhibendus sit honor, qui debetur ipsi Christo.

Sextò exhibet processum Synodalem, à Dositheo Patriarcha Hierosolymitano in ipsa Synodi celebratione die 20. Martii 1672. editum, cui Dositheus Patriarcha, Nectarius Expatriarcha, sex Metropolitanus ac Archimandrita, Presbyteri, Diaconi, & Monachi quinquaginta tres subscribere, sub hoc titulo: *Cyprius fidei orthodoxae, seu Apologia adversus haereticos Calvinistas, Ecclesiam Orientalem secum idem de Deo, rebusque divinis sentire accusantes, editus à Synodo Hierosolymitana, sub Patriarcha Dositheo, quo fidem transubstantiationis, realisque praesentiae verbis expressissimis confitentur, Calvinistaeque vocant vaniloquos, novatores, haereticos, mendacii architectos,*



apostas, artificiosos Scripturæ & Patrum (hereticorum more) expostores, qui post tot Græcorum Patriarcharum declarationes, post typis editam confessionem orthodoxam, post reprobatas, & anathemate percussas Cyrilli Leonaris impias responsiones, post solemnes Leonomachorum, atque realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam transubstantiationemque negantium quotidianis bis iteratas excommunicationes, post Gabrielis, Archiepiscopi Philadelphienfis, Gregorii Protosyncelli, Theophani Patriarchæ Hierosolymitani clarissimas lucubrations, Ecclesiam Græcam calumniari non cessant.

227. Septimo, splendidissimum pariter exhibet testimonium Macharii Patriarchæ Antiocheni de 20. Octobris, & 15. Novembris 1671. necnon de 3. Maii 1673. ab ipso Patriarcha, pluribus Episcopis, Sacerdotibus, & Laicis subfignatum, quo sententia Calvinistarum quoad Eucharistiam, cæteraque puncta ferè omnia (quibus à Romana Ecclesia dissentiant) gravissimis censuris proscribuntur.
228. Octavo, hisce omnibus addit testimonium Abbatibus & Monachorum Monasterii Maurotomani de 14. Octobris 1671. necnon Abbatum & Monachorum in Insulis Principum commorantium, qui supra laudato Regis Christianissimi ad Portam Ottomanicam Oratori testificati sunt, Ecclesie Orientalis & Occidentalis consensum, quoad realem & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam.
229. Nonò, addit & testimonium Episcoporum Orientalium Colchidis & Iberiæ, Hilarionis præcipui Episcopi synographo munitum, ad suprædictum Christianissimi Regis Legatum à P. Josepho Maria Zambio, Clerico Regulari missum, unà cum testimonio Oratorum, seu Residentium plurium Principum ad Portam Ottomanicam, utique Regis Poloniae, Republicæ Genuefis, Republicæ Ragusanæ, &c. testificantium se post multa cum Græcis Episcopis habita colloquia, fidemque Orientalis Ecclesie magnâ curâ, plurimumque annorum experientia investigatam, eandem in Græcis, quoad Eucharistiam, fidem invenisse, quæ est in Latinis Romanis. Quibus omnibus adiungitur scriptum Nicolai Spacarii Moldavo-Iaconis Baronis, ac olim Generalis Wallachiæ Holmiæ anno 1667. missum ad Excellentiss. D. Pomponium, Regis Christianissimi ad Regem Succiæ Legatum Extraordinarium, sub hoc titulo: *Enchiridion, seu fides Orientalis Occidentali splendens*, id est sensus Ecclesie Orientalis, id est Græcæ, de transubstantiatione corporis Domini, alique controversis, ubi de Calvinisticis sic ait: *Nosti hi disputatores, omni alio exclusi refugio, ad Orientalem ita statim se Ecclesiam recipiunt, & affrontes statunt, quod nostra Ecclesia suis dogmatibus parvenietur. Sed azylum sit ipsi præcipitum Patriarcha Constantinopolitanus, scriptis ab his conjunctis, nunquam non gravi censura illorum dogmata notavit. Et infra: Status... demonstrare verè & evidenter quid sentiat de his Orientalis Ecclesia, quæ de primo puncto sic statuit: primo quod purissimum corpus; & pretiosissimus sanguis Domini, post consecrationem, sub speciebus panis & vini, verè, realiter, & substantialiter... sit præsens... Secundo credimus panem & vinum, per verba Domini, subjungi aliter, & verè mutari ac transubstantiari in corpus & sanguinem, ita ut post consecrationem non maneat substantia panis & vini... Tertio credimus Christi corpus & sanguinem in divina Liturgia, omni modo latentè adorandum, cultu tam interno, quam externo... Quarto credimus oblationem mysterii esse verissimam ac propriam sacrificium novi Testamenti, quo propitiatur Deus vivis & defunctis... Dum ad communionem pergunt Græci, quilibet*

orationem S. P. N. Joannis Chrysostomi recitat cum magna fide & fiducia: *Credo Domine, & scitor, quod tu es Christus Filius Dei vivus, qui venisti in mundum peccatores salvos facere, quorum primum ego sum. Credo etiam, quod hoc ipsum est purissimum corpus tuum, &c... Omnes Orientalis Ecclesie filii, non solum Græci, verum etiam Russi, Moscovitæ, Moldavi, Wallachi, Georgiani, Angli, Circassæ, Arabes & sexcenti alii, uno ore omnes solemniter credunt mysterium hoc esse corpus & sanguinem Domini, atque illud... summâ recipient reverentiâ.*

## CAPUT XIX.

*Aliarum Nationum in idem consensus.*

**N**Ec soli Græci Schismatici cum Ecclesia Romana credunt realem substantialemque Christi in Eucharistia præsentiam, sed & cætera Nationes Christiane, à Romana Communione pariter sejunctæ, prout Arnaldus evidentissimè demonstrat de Moscovitis, Armenis, Nitorianis, Jacobitis, Maronitis, Syris, Melchitis, Aegyptiis, Coptis, Ethiopibus, &c.

Et pro Moscovitis quidem producit amplissimum testimonium Pavli Ligardii, Metropolitani Gazæ, apud Magnum Moscoviæ Ducem residentis, scriptum ad Dominum Lihentia, Residentem Regis Succiæ in Moscovia 8. Novembris 1666. in quo ostendit, quoad hoc mysterium, eandem esse fidem Græcorum & Moscovitarum, ac Romanorum. Producit item testimonium Joannis Joannidis Sacerdotis & Canonici Moscovensis, triumque Laicorum Comitum Legati Magni Ducis Moscovitarum ad Regem Christianissimum anno 1668.

Pro Armenis profert testimonium D. Havidour, Patriarchæ Armenorum, & Basilii, Doctoris Armeni, propriâ ipsorum manu subscriptum: *Andavimus aliquos dixisse, quod Orientales omnes, exceptis Romanis, non credunt sanctissimum sacramentum Eucharistie esse verum corpus Christi, & mirantur multum iustitiam eorum, & audaciam, qui ea que ignorant profertunt. Nam Orientales omnes istius temporis, in sacrificio Missæ credunt, fidem invariabilem & inextinguibilem, panem verè transubstantiari in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Unde de hac re nunquam dubitarunt, nec unquam habuerunt incertitatem hanc, quia andavimus nunc à quibusdam nomine tantum Christianis. Unde certum facimus vos, quod nos Armeni habeamus ab antiquis Patriarchis nostris, à tempore Concilii Nicæni usque nunc, illum articulum fidei, habentemque in Liturgia nostra, præter verba consecrationis, hæc: Pater omnipotens emitte Spiritum tuum sanctum, & cooperante eodem, transmuta panem hunc in corpus, & vinum hoc in sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & Dei Salvatoris. Pro illidem addit formalissimum testimonium Uscani, Episcopi Erevancensis Armeni, necnon testimonium alterius Patriarchæ Armeni, Alepi commorantis, Azarise, Joannis & Gregorii Episcoporum, plurimumque Sacerdotum Armenorum.*

Addit demique duo alia testimonia authentica, 233 unum Cruciatoris Patriarchæ Armenorum, ab ipso, & quatuor Archiepiscopis, pluribusque Sacerdotibus subscriptum in civitate Sifinli anno 1672. ubi sic: *Fecit Deus, ut natio nostra tantum distet à talibus & similibus erroribus Calvinistarum & Lutheranorum, quantum cælum à terris... Dicunt corpus Christi non esse realiter in Eucharistia, sed panem tantummodo & vinum, figuras & signa corporis & sanguinis Jesu Christi, que*



que vim & virtutem eorum recipientibus communicant. ... Dicunt substantiam panis & vini non converti in corpus & sanguinem Christi, sed panem & vinum manere post consecrationem. Missam non esse verum sacrificium propitiations, nec debere offerri pro vivis & defunctis. Incongruum esse adorare Christum in Eucharistia, imò nec posse adorari sine idololatria. Nos igitur suprascriptis Cruciator Patriarcha, unò cum nostris Ecclesiasticis, Episcopis, Diaconibus, & Presbyteris, mox ut audivimus has supra allatas propositiones, mendacis re fertas, horrendas, ac totaliter penitusque contrarias Ecclesie Catholice, & Apostolicæ, ejusdemque se- cularibus, uti patet singulis, pro viribus conati sumus è medio tollere ejusmodi errores, ac spurcitas, huc usque auribus nostris inauditas. Imò ab- sit ut talium heresum sola cogitatio in mentem no- stram incidat; quia potius ab ipsis toto animo ab- horremus, tanquam à mortifero veneno, & adeo detestamur eas, ut ne quidem de ipsis aliquid au- dire velimus.

234 Alterum testimonium est Davidis, Archiepi- scopi Civitatis Regiæ Spaham, missum ad Regem Christianissimum à Natione Armena, in Pertia degente, datum in Conventu Episcoporum & Doctorum 10. Decembris 1671. quo in Calvinis- tas invenuntur, velut Novatores ponentes falsam imposturam, fingendo Armenis esse communicantes eorum malitia. Cujus oppositum declarant, di- centes: Credimus & dicimus, Christum habere corpus & naturam humanam, quod largitur pre- tione omnibus dignè accipientibus, & habemus fir- mam fundamentum in verbo Domini Matth. 26. hoc est corpus meum, & sanguis meus, & non sig- num. Unde indubitatè advenimus Christum in illo Sacramento. Et ille qui talia non credit, sit ipse idololatra; nobis vero fidelibus est salutaris atque optimus cultus. Pariter credimus esse veram pro- pitiacionem vivis & defunctis. Tales sunt inten- tiones, potentissime Rex, Episcoporum & Docto- rum Ecclesie Armena, quibus breviter ostendimus veracitati vestræ, quod non sumus tales, ut dissi- mavimus, &c.

235 Pro Nestorianis (inter alia ad id argumenta) exhibet primò declarationem P. Adam Religiosi Chaldaei, Archidiaconi Camera Patriarchalis, & Legati ab Eisa Nestorianorum Patriarcha missi ad Paulum V. in scripto adversus hæretes fidei Catholice Romanæ contrarias sic loquentis: Nes- torius circa Sacramenta vivificationis docet nos ali- corpore & sanguine puri hominis. Sed Deus à nobis avertat hunc sensum. Quippe manducamus verum Dei corpus, sed Dei incarnati. Verè bibimus san- guinem hominis, sed hominis Dei.

236 Secundò extractum ex libro Margaritarum Ab- diehu, alterius Patriarchæ Nestorianorum, teno- ris sequentis: Per ista mandata Domini, panis mutatur in corpus ipsius, & vinum in pretiosum ejus sanguinem.

237 Tertio formam consecrationis usitatam apud Nestorianos Indos, hanc utique: hoc est in veri- tate corpus meum: hic est in veritate calix san- guinis mei, qui pro vobis, & pro multis effunde- tur, &c.

238 Pro Jacobitis, ex Abrahamo Echellenti pag. 52. profert hæc verba Dionysii Barsalibii, Episco- pi Amedensis, extracta è Commentariis ipsius in Liturgiæ S. Jacobi c. 1. Dicimus panem hunc celestem in veritate & effectu esse corpus Filii Dei, & illud idem esse corpus personæ ipsius, quod as- sumptum est ex Maria, & factum est sacrificium in cruce pro nobis. Et c. 13. Sacramenta autem vo- cantur corpus & sanguis, quoniam non illud quod videntur sunt: secundum speciem autem panis & vinum sunt; sed agnoscuntur atque sunt corpus & sanguis Dei. Profert intuper testimonium Gre-

Tom. III.

gorii Patriarchæ Cophorum Jacobitarum, quo asserit se à Latinis Romanis quoad realem cor- poris Christi in Eucharistia præsentiam, & transub- stantiationem nihil differre.

Pro Maronitis ex eodem Echellenti Maronita, 239 in notis ad Catalogum Librorum Chaldaeorum Abdicu, producit formalia hæc verba Joannis Eitaronis (quem vixisse dicit inter sæculum VI. & VII.) Commentar. in Liturg. S. Jacobi. c. 12. Discutendum est, an panis, quem Jesus Christus accepit in manus suas, & benedixit, & consecra- vit, corpusque suum esse dixit, sit corpus illud quod natum est de Virgine? Ad quod responde- mus, quòd sit corpus & sanguis ex Virgine ac- cepta. ... Quia eadem ipsa manus, que in prin- cipio terræ pulverem accepit, ipsamque immutandò corpus Adami formavit, mutat etiam hunc pa- nem, ex eoque facit corpus Verbi acceptum ex Vir- gine, mutandoque vinum, ex eo facit sanguinem acceptum de Virgine. Concipite. .... quod idem Spiritus sanctus, qui descendit in uterum Virgi- nis, atque ex carne nata ex ipsa formavit corpus & sanguinem Verbi Dei, descendit etiam super altare, panemque & vinum, qua ibi sunt, efficit corpus & sanguinem Verbi Dei, que accepit ex Virgine, idque per manum Sacerdotis, ministræ- rium sacerdotale exercetis, & sacrificium offe- rentis, &c.

Similiter ex eodem profert textum extractum 240 è capite 10. Syriacarum Constitutionum Eccle- siæ Maronitarum: Tunc Jesus cepit mentionem facere novi Testamenti, & in manus suas acci- piens, levansque azymum illum panem, qui erat super mensa, benedixit, fecitque illum conditionis excellentioris, & dixit eis: hoc est corpus meum, quod offertur pro vobis, accipite illud, & man- ducate in remissionem peccatorum. Acceperunt ergo, & manducaverunt carnem absque hesitati- one. Deinde in calice miscuit vinum & aquam, & dixit eis: hic est sanguis meus, qui pro vobis fundetur, sumite & bibite eum in remissionem peccatorum. Et biberunt sanguinem absque hesi- tatione. Post hæc ipsi exposuit quòd agnus, quem Deus Moyse jussisset offerre, figura erat istius pa- nis, qui factus erat caro, et atque corpus ipsius. Quòdque sanguis, qui fluebat ex agno immolato, figura erat istius calicis veri sanguinis ipsius, qui fundendus erat pro eis. Et cap. 7. Jesus Christus nobis dedit corpus istud, ut in nomine ipsius san- ctificati simus in remissionem peccatorum. Et non dixit eis, quòd esset figura vel typos corporis sui, sed quòd esset corpus suum.

His addit splendidissimum testimonium Geor- 241 gii Patriarchæ Maronitarum, datum 12. Junii 1673. quo evidenter declarat eandem nobiscum Maronitarum fidem circa Eucharistiæ.

Pro Syris & Melchitis (præterquam quod e- 242 dem sit ipsorum, sicut & in igne partis Egyp- tiorum, quæ Græcorum fides) ex eodem Abra- hamo Echellenti profert extractum è libro à Sy- ris & Melchitis recepto, cui titulus, Alborhan, id est demonstratio, ubi sic: Quando Sacerdos stans ad altare fundit preces, profertque verba invoca- tionis, qua Jesus Christus docuit Apostolo suos, eisque jussit, ut ea relinquerent Sacerdotibus suc- cessoribus suis, Spiritus sanctus descendit super hanc oblationem, factique virtute & consecratione suâ quòd panis efficiatur caro, vinumque aquâ mix- tum efficiatur sanguis, ita ut nihil ibi crassum & terreste remaneat. Et intrâ: Tota oblatio mu- tatur in carnem & sanguinem sanctificatam per Spiritum sanctum. Quod explicat à simili per transmutationem alimenti in substantiam aliti per virtutem stomachi, cum major haud dubiè sit vir- tus Spiritus sancti.

Profert quoque testimonium, seu professionem 243



Andræ Patriarchæ, ab ipso, pluribusque Curatis ac Sacerdotibus ejusdem nationis subscriptum Alepi 29. Febr. 1668. tenoris sequentis: *In nomine Patris & Filii & Spiritû sancti.* 1.º. *Christi corpus & sanguinem verè & realiter in Eucharistia contineri firmiter credimus, non figuram tantum ejus, atque virtutem, ut quidam novi hæretici commenti sunt.* 2.º. *item panem & vinum in verum Christi corpus & sanguinem realiter & substantialiter, vi divine consecrationis mutari atque converti, seu transubstantiari, quod idem est.* 3.º. *Christum in Eucharistia residentem lætra cûlu adorari debere. & ita ab omnibus Ecclesia nostra fidelibus adorari.* 4.º. *in sacra Liturgia verè ac propriè dictum sacrificium pro vivis & mortuis propitiatorium offerri. Et infra: Hæc est, ac fuit semper Ecclesiarum nostrarum fides. Hanc acceptam à Majoribus servamus, & servabimus. Nec ulla apud nos mentio ullorum, ac memoria fuit aliquando, qui aliter docuerint.*

244 Pro Cophis & Æthiopibus (quorum unus idemque est Patriarcha, eademque proinde fides, prout Tecla Maria, Presbyter Aoyssinus, ex Æthiopia Romam missus, Romanis Cardinalibus declaravit, ut videlicet est apud nostrum Thomam à Jesu l. 7. c. 13.) testimonium multiplex adducit defent. l. 5. c. 13. imprimis professionem fidei, quam emisit Zagazabus, Æthiopiæ Episcopus, Imperatoris Æthiopum ad Lulitaniæ Regem Legatus, in qua conficitur Nilam ab Æthiopibus sacrificii loco haberi; in ea recipi corpus Domini; omnibusque, qui corpus Jesu Christi receperunt, in Æthiopia veritum esse, à mane ad vesperam exspectari, severissimè que puniri, qui secus faceret.

245 Deinde testimonium trium Abyssinorum apud Baltoidum Nihonium in suo Programmate, Moguntia typis dato anno 1653. ubi sic: *Nos Æthiopes in veritate attestamus, gentem nostram venerari imagine sanctorum, & credere corpus & sanguinem Jesu Christi præsentialiter adesse in sancta Eucharistia. Quod testimonium subfigurarunt Romæ 1651.*

246 Præterea testimonium Matthæi, Legati Regis Æthiopum, qui in colloquio cum Emmanuele Lulitaniæ Rege (cui Damianus Goetz te, cum adhuc juvenis esset, interfuisse testatur in epist. ad Archiep. Upsalens. in Suecia) de hominibus suæ nationis testatur, quod in Eucharistia indubitatum Christi cum corpus, tum sanguinem esse sincerâ fide profitentur.

247 Denique varias adfert Liturgias Cophorum & Æthiopum, tam ex Prodrogo Cophico Athanasii Kirkeri, quam ex tomo 6. Bibliothecæ Patrum. Siquidem in Canone generali Æthiopum, & in Liturgia, quam refert Kirkerus, ante consecrationem Sacerdos orat, in hunc modum: *Immuta hunc panem in carnem tuam immaculatam, & hoc vinum in pretiosum sanguinem tuum. Post consecrationem panis, populus dicit: Amen amen: credimus, & confitemur, & laudamus te Deus noster: hoc est verè corpus tuum. Et post consecrationem calicis: Amen amen amen: credimus, & confitemur, & laudamus te: hic verè sanguis tuus est. Deinde Sacerdos dicit: Sanctum est corpus, honore dignum, plenum vitæ Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, quod traditum fuit in remissionem peccatorum, & ut per ipsum vitam æternam consequerentur, qui illud in veritate susceperunt. Amen. Et postea: Hoc est verè corpus, hic est verè sanguis Emmanuels Dei nostri. Credo, credo, credo, amodo & usque in sempiternum. Amen. Corpus est & sanguis Domini & Salvatoris Jesu Christi, quod sumpsit ex visceribus beate & immaculate Virginis Mariæ, & cum divinitate sua copulavit.*

248 In Missa Ægyptiaca, D. Basilii nuncupata, post-

quam Sacerdos dicit: *Corpus sacrosanctum, & sanguis pretiosus Filii Dei, respondet populus: Amen: sacrosanctum & pretiosum corpus, & sanguis verus Jesu Christi, corpus & sanguis Emmanuels Dei nostri, hoc est in veritate. Amen. Credo, credo, credo, & confiteor usque ad extremum spiritum, hoc est corpus vivificum, quod accepisti.*

In Missa Ægyptiaca S. Gregorii, Sacerdos dicit: *Verbo tuo in teipsum commutatus que sunt proposita. Inhabitas inter nos. Deinde dicit: Misce super nos gratiam Spiritû sancti tui, qui purificet & mutet has oblationes, que sunt coram te, in corpus & sanguinem, quo liberati sumus. Panis iste fiat sacrum corpus tuum.*

249 Illa omnia, aliisque permulta ad idem demonstrandum argumenta laudatus Amaldus profert, tum in defensione perpetua fidei, tum l. 8. tomi tertii perpetuitatis: ex quibus manifestissimè constat de constanti ac perpetua fide totius Ecclesiæ Catholicæ, circa veram, realem substantialemque præsentiam corporis sanguinisque Christi in Eucharistia, constat & de consensu omnium dictarum Nationum Christianarum in eandem veritatem. Quem quidem consensum semper fuisse, superiora testimonia satis evincunt. Semper profectò in Ecclesia Orientali (perinde ut in Occidentali) fuisse testatur Marcus Donus Græcensis, ad Calvinistarum contulata respondens, litteris datis in arce Zacynthi 21. Maii 1672. sub hoc tenore: *Totus Oræns, consentientem habens & Orænsentem, credidit semper, & credit à primis Ecclesiæ incunabulis panem & vinum verè & physice transubstantiari in corpus & sanguinem Christi, depositâ primâ substantiâ, & hanc transubstantiationem tenet inter articulos fidei necessarios, adeo ut nemini liceat eam ignorare, aut in ambiguum revocare, aut penitus rejicere. Hanc autem fidem habuit à Christo, & post successionem ab Apostolis, & à Patribus primitivis Ecclesiæ, qui columna fuerunt, & fundamentum Orthodociæ Græcicæ. Et quod hoc faceret, patet ex factis. Quæcumque enim de hoc Sacramento interrogaveris, statim tibi affirmabit hanc Orthodociam. In quo edoceri potes à Cardinalibus, & Sacerdotibus sanctæ nostræ Ecclesiæ, qui neminem permittunt participem fieri sanctissimi corporis, & pretiosissimi sanguinis, nisi prius hæc edat confessionem... Ex quibus clarè constat, sanctam nostram Ecclesiam hanc transubstantiationem firmiter credere. Quæ verò semper sic crediderit, probatur inexpressibili conjecturâ, quia hæc fides non fuit de novo introducta in Ecclesia Dei. Omnes enim novitates, que sanctam turbaverunt Ecclesiam, habuerunt proprios Auctores, ut nos docent historie. At hujus fidei nullus è Neotericis suis Auctor. Ergo hanc novit ab antiquitate. Quæ si quem habere volueris Auctorem, ostendite, & in pristinam Orthodociam redibimus. Nec fas est calumniari quemquam Patriarcharum nostrorum, vel Romanorum Pontificum; cum talis calumnie nulla constare possit probatio. Extant enim integra monumenta antiquitatis, extant historiarum Annales, in quibus tale quid nec legimus unquam, nec vidimus... Romana enim Ecclesia nunquam à nostrâ discrepavit in hoc articulo. Ergo sic ipsa quoque ab initio credidit.*

250 Quæ omnia postquam confirmavit autoritate Scripturæ, Apostolorum, Concilii Ephesini, Chrysofostomi, Nyseni, Ambrosii, Damasceni, exemplo creationis rerum ex nihilo, conversionum phycarum quæ naturaliter fiunt, solutionisque eorum quæ à Calvinistis objici solent, hæc addit: *Nostra sancta Ecclesia adorat corpus in Eucharistia, adoratione lætra: Desiccam enim est. Non est in usu apud nos circumferre corpus sanctissimum per plateas & vicos, magnâ sequente populorum catervâ: non damnamus tamen quod pie-*



*rate fit in honorem & gloriam Dei. Denique abhorret Ecclesia nostra ab illa doctrina, quam docent Reformati, nempe illud idem, quod secundum naturam panis est, mysticè & secundum gratiam sanctificationis esse corpus. Credit enim corpus esse, non mysticè, sed verè & physicè, adeo ut per transmutationem substantia panis esse desinat. Transmutationem enim pro transubstantiatione accipimus.*

252 Quæ cum ita sint, impossibile profectò est, totum mundum Christianum, universamque Ecclesiam, Orientalem & Occidentalem, usque adeò derelictam fuisse à Christo Sponso suo, ut à temporibus Apostolorum, usque in præsens portæ inferi sic prævalerent adversus eam, ut eam tot sæculis detinuerint in errore & idololatria tam grandi, tamque enormi, ut purum, simplicemque panem crediderit verè, realiter, & substantialiter esse corpus Christi, ipsumque pro Deo adoraverit. Id (inquam) impossibile. Quia possibile non est vacuum, & à veritate alienam esse promissionem Christi, portæ inferi non prævalerent adversus eam. Nec verosimile est, universâ Ecclesiâ in tenebris erroris derelictâ, solis Berengarianis, Petrobruffianis, Wiceliffis, Calvinistis veritatem lucidiorem affulsisse. Qui enim ipsi sunt in comparatione tot & tantorum, tamque sanctorum Doctorum, Martyrum, & Confessorum, quibuscum Catholica Ecclesia Orientalis & Occidentalis semper credidit ut suprâ? Qui sunt (inquam) ipsi, & tam novi, & tam pauci, quos (nihil fundamentis hæcētis allatis comparabile adferentes) Ecclesia Orientalis & Occidentalis auctoritati, perpetuæque fidei septemdecim propè sæculorum anteponeere possimus? Non audient ipsi Ecclesiam ubique terrarum diffamam. Christo proinde Judice habendi sunt velut Ethnici & Publicani. Habendi velut Novatores, qui ab avita fide recesserunt. Habendi velut inhonorantes Ecclesiam Matrem suam, dum ipsam de infidelitate & idololatria diffamant. Habendi tamquam detractores & calumniatores totius Orbis Christiani. Habendi velut superbi, audaces, temerarii, qui contra omnes Christianæ humilitatis, modestiæ & prudentiæ regulas, particulare judicium suum præferre non verentur unanimi, perennique judicio totius Orbis Christiani. Habendi velut præsumptuosi & insolentes, qui docere præsumunt Ecclesiam & Patres, à quibus, secundum oracula Scripturarum, fidelis quisque docendus est. Habendi velut insolentissime insani, qui contra cultum, quem divinæ Eucharistiæ universaliter per Orbem reddit Ecclesia, disputant, & velut idololatriam redarguunt: siquidem Augustino teste, *si quid universaliter per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissime insania est.* Habendi tamquam imitatores Chami, qui, ex quo omni honestatis & pietatis sensu, Matrem suam non solum derident, sed & velut idololatram diffamant.

253 Habendi denique tamquam filii desertores Catholico-Romanæ Ecclesiæ Matris suæ (unde seu ipsi, seu primi ipsorum Antesignani prodierunt: utpote à qua Baptisimum, Scripturas sacras, & eos quos nobiscum adhuc retinent fidei articulos susceperunt) imò velut invasores injulti, qui eandem Matrem suam spoliare nituntur avitæ illius fidei possessione, in qua ipsam semper fuisse constat, non solum ex præmissis, sed & insuper ex eo quòd nullus, sive in historiis, sive in tabulis publicis, sive in probatis Scripturis, invenitur primus Author istius fidei, nisi Christus & Apostoli. Hoc autem tantò manifestius est, quantò certius, quòd nullus alius hæcētis inventus fuerit, nec designatus aut designabilis, ante quem non inveniatur in historiis & Patribus clarissima nostræ de Eucharistiæ fidei testimonia.

254 Paschasium quidem sæculo IX. primum fidei

Tom. III.

istius Authorem nonnulli de secta Calvini designare voluerunt. Sed de impostura ipsos convincunt apertissima testimonia Concilii Nicæni II. Damasceni, aliorumque Patrum & Conciliorum Paschasio anteriorum, imò & ipsiusmet Paschasii testificantis, se in libro suo non proposuisse nisi communem Ecclesiæ sui temporis doctrinam. Et amplius convincuntur ex eo quòd sive Paschasius, sive quisquam alius, esse non potuerit primus Author istius fidei, nisi inducendo enormem novitatem in re summi momenti contra fidem & religionem usque ad id temporis in Ecclesia receptam. Quam profectò novitatem Paschasius, vel quisquis alius, inducere non potuit sine commotione magna, Patrumque & Conciliorum oppositione. Si enim historiam Ecclesiasticam consulamus, ille semper fuit Majorum nostrorum zelus, illud avitæ fidei conservandæ studium, ut quamprimum aliquis error contra receptam in Ecclesia fidem exortus est, in illum protinus insurrexerint, illumque totis viribus refellere, contra illum Concilia convocare, illum funditus extirpare conati fuerint, ut patet ex actis contra Paulum Samosatæum, Arium, Nestorium, Euthychen, Pelagium, Macedonium, &c. At non solum non insurrexerunt contra Paschasium (prout Arnaldus demonstrat in defens. perpetuit. fid. l. c. 8. & seqq.) & non solum Concilia adversus ipsum non coegerunt, &c. quin post ipsum hæretici habiti sunt, quotquot contra realem & substantialem (quam ipse sustinet) corporis Christi in Eucharistiæ præsentiam scribere, & scripta in vulgus spargere conati sunt, prout manifestè apparuit in Berengario, contra quem, velut Novatorem, avitæ fidei contradicentem, Adelmanus, Lanfrancus, Hego Lingonicensis, Deodotus, Guimundus, & alii statim calamm strinxerunt, & congregatis adversus ipsum Conciliis, Episcopi ipsum velut hæreticum condemnarunt. Quod & fecerunt adversus sectatores ipsius Petrobruffianos, Wiceliffas, Zuingianos, Calvinistas, &c.

Legant relegantque Adversarii priscas historias, & nullam invenient notabilem in fide novitatem, seu hæresim de novo introductam, quæ in Ecclesia tumultus & seditiones non excitavit. His ergo conformiter nobis Calvinistæ ostendant tumultus excitatos per traditam in Ecclesia doctrinam de vera, reali, substantialique præsentia corporis Christi in Eucharistiæ. Quinam Episcopi se illi opposuerunt? Quanam Concilia ad illam extirpandam congregata sunt? Nulla proferre possunt. Econtra doctrinam illam lucidissimis Patrum omnium testimonis demonstratam, Episcoporum auctoritate roboratam, octo Generalium, pluriumque Nationalium & Provincialium Conciliorum declarationibus stabilitam fuisse nos suprâ demonstravimus. Quo nihil manifestè desiderari potest ad demonstrandum, illam non esse doctrinam novam, sed avitam, sed Apostolicam, sed Christianam, quæ à Christo tradita, ab omnibus ad nos derivata, semper in Ecclesia fuit uniformiter credita & recepta.

Attentis igitur moribus & ingeniis hominum, manifestum est hæreticos rem à moribus, ab ingeniis, à modo agendi hominum penitus alienam, numquam moraliter eventientem, adeoque moraliter impossibilem, & certò incredibilem præterdere, dum præterdunt Paschasium, privatam Monachum Corbeiensem, nono sæculo in re tanti momenti induxisse novitatem contrariam illi fidei, quam omnes Patres, omnia Concilia, universa proinde Ecclesia, & omnes fideles semper tenuerunt per tota octo sæcula præcedentia, quòdque nihilominus novitatem à fide totius Ecclesiæ octo sæculorum adeò abhorrentem & insolitam,



nedum Ecclesia Latina tota, sed & tota Ecclesia Græca, & omnes sub cælo Nationes Christianæ sic receperint, ut pro Deo, non Deum, sed patris fructulum adorare cœperint, & de tam enormi nihilominus mutatione, nullus sæculo nono & decimo conquestus fuerit, nullus eam deploraverit, nullam illius mentionem istorum temporum Annales & Historiæ fecerint, sed omnes Episcopi, Presbyteri, Monachi, fideles, Latini, Græci, Syri, Ægyptii, Arabes, Æthiopes, Indi cuncti, &c. absque ulla contradictione, & oppositione, absque ullo tumultu & commotione, taciti & pacati eam contra fidem unanimum Majorum suorum receperint, nullis missis per terrarum orbem Prædicatoribus, qui Paschalianam novitatem promoverent, disputandoque & prædicando persuaderent, nullis factis virtutibus & prodigiis in confirmationem ejusdem novitatis, sensibus, rationi naturali fideique (prout Calvinistæ prætendunt) contrariæ.

258. Apostoli quidem, absque ullo humano subsidio, absque persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, de idololatria triumpharunt, Christianamque Religionem, id est Crucifixi cultum, Judæis quidem scandalum, Gentibus stultitiam, toto terrarum orbe propagarunt. Sed non sensim sine sensu, non absque contradictione, non per introductionem nullo adveniente, nullo opponente mutationem, non toto orbe, dormiente, vel stupente; imò toto penè orbe adversus novæ fidei Prædicatores insurgente, horridisque ipsos suppliciis ac persecutionibus per tria sæcula affligente. Verùm Calvinistæ universos Latinos, Græcos, Ægyptios, Æthiopes, Indos, &c. ad eam mentis impotes exultant, ad eam stupidos vel dormitantes, ut sine sensu, sine advertentia receperint horrendam novitatem, sensu, rationi, & unanimi fidei omnium Majorum suorum adversantem, & absque ulla contradictione permiserint se seduci ab uno Monacho in Gallia recluso, qui nec ad eos Prædicatores, vel novitatis suæ propagatores miserit; nec miraculis eos in consensum traxerit ut Apostoli; nec sanguine ut Martyres; nec facundia ut Oratores; nec demonstrationibus ut Philosophi; sed quiete, silentio, & inactione, manens reclusus in cella sua, solo latine edito libello, quem in alias linguas translatum fuisse nullus Scriptor vel Annalista meminit. Quomodo ergo (amabo) librum latinum viderunt, legerunt, intellexerunt Græci, Ægyptii, Arabes, Æthiopes, Indi, & cunctis nationis idiomatice homines? Quinam Græci doctrinam ipsius Græco idiomate Græcis; quinam Ægyptii, Æthiopes, Indi, &c. Ægyptiaco, Æthiopico, Indico, &c. idiomate Ægyptiis, Æthiopicis, Indis, &c. proposuerunt & persuaerunt?

259. Dicamus iterum cum plissimo Contentione, quis sibi persuadere potest, omnes ad eam fuisse mente oculisque captos, omnes gravi ad eam somno sepultos aut fascinatos, ut extinctis omnibus fidei, rationis, sensuumque luminibus, omnes & singula Ecclesiæ visibiles, omnia Regna & Provinciæ, omnia Monasteria, omnes familiæ, nullo adveniente, vel saltem nullo reclamante, in hæresim & idololatriam ad solam apparitionem libri latini à Monacho Gallo editi, nullis missis interpretibus & propagatoribus illius, corruerint, nec prolapsum tantam, tamque generalem ullus Historicus observaverit, nullus illorum temporum Scriptor retulerit vel reprehenderit, nullus Sacerdos accusarit, nullus Episcopus damnarit, nullus Concionator redarguerit, nullum Concilium anathematizaverit.

260. Hoc profectò moraliter impossibile, prorsusque incredibile fatebitur, quisquis adverterit, neminem de illius præsentia hæreticos vel idololatriæ

nativitate ac progressu aliter posse rationabiliter philosophari, quam de nativitate & progressu aliarum hæresum vel superstitionum. At nulla hæcenus hæresis, vel falsa religio Ecclesiam suam novitate vexavit, multò minus omnes ubique Nationes corripuit, absque ulla oppositione, absque redargutione, absque damnatione, absque illius in Annalibus & Libris mentione. Videatur Arnaldus defens. l. 9. per totum præsertim cap. ult. ubi ad oculum ostendit, quòd illa Calvinistarum præsentio tam multa incredibilia, & ab humanis moribus aliena supponere debeat, ut non minus, imò magis incredibilis & moraliter impossibilis sit, quàm Typographi characteres in manu Typographi cæci sic omnes fortuito convenire, ut Virgilianam Æneiden repente componerent. Similiter enim oportuisset omnes ubique Prædicatores, Sacerdotes, Episcopos, Scriptores, non communicato invicem consilio, sic fortuito in unam mentem convenire, ut omnes statuisent nullam enormissimam & insolentissimam illius mutationis mentionem facere, nullam illius deplorationem, nullam adversus eam oppositionem, nullam illius redargutionem, &c. Et tantò manifestior est impossibilitas ista, quòd major est in hominibus, præsertim diversæ nationis & communionis, & inimicis, invicem contradicendi prurigo, & libido. At tot inter Nationes, supra enumeratas, multi homines, imò multi milliones hominum, non solum erant diversæ nationis, sed & communionis, & invicem inimici. Siquidem ante Paschalianam antecesserat schisma Photii; antecesserat quoque, & adhuc perstabant scisma Nestorianorum, Armenorum, Jacobitarum, Cophtorum, Maronitarum, &c. non multo etiam post Paschalianum tempore (illo utique quo Berengarius Calvinii antesignanus suam hæresim disseminavit) auctore Cæsarario, Patriarcha Constantinopolitano, generale schisma Græcorum adversus Latinos invaluerat. Impossibile proinde est, quòd tot inter Nationes schismatice, seu aliter à Romana communione sejunctas, eique inimicas, nullus Romanam Ecclesiam de illa novitate redarguisset, ne ipse quidem Cæsararius (qui à Latinis excommunicatus, iraque proinde & furore percitus, omnem contra ipsos lapidem movit, multaque ipsis falsò affinxit) nec ipse, vel alius, scia à Romana Ecclesia separationis inde pretextum accepisset, nullus contra eam scripsisset, si ab avita fide & religione Romana Ecclesia à Paschasio seducta descenderet.

Non defecit ergo; verùm sicut in aliis multis, sic & in hoc principali puncto ab avita fide, semper & ubique ab omnibus Christianis Nationibus credita, Calvinistæ defecerunt. Apostatae proinde, & Novatores sunt, Ecclesiæque Catholicæ desertores. Nec ipsorum Ecclesia vera esse potest; quia non Catholica, uti est Romana; quæ non solum Catholica est, seu Universalis universalitate loci & temporis, quatenus complectitur omnes fideles, ubique terrarum existentes, à Christique & Apostolorum tempore semper extitit, uti probavimus to. 2. sed & universalitate doctrinæ, quatenus veritates omnes ab Ecclesia definitas amplectitur, errorisque omnes ab ea damnatos repudiat & detestatur. Et idè Calvinistas, errorum istorum defensores, à communionem suam velut hæreticos cum antiqua Ecclesia rejicit, velut imitatores hæreticorum istorum, qui tempore S. Iguatii Martyris non consistebantur *Eucharistiam carnem esse Salvatoris*, prout ipse refert in epist. ad Smirnen. n. 7. Velut etiam imitatores Manichæorum, qui, teste Epiphano, hæresi 66. Deum omnium facinorum Authorem faciebant. Et Novatianorum apud Socratem l. 4. hist. c. 23. negantium datam à Deo Ecclesiæ po-



testarem remittendi peccata. Et Donatistarum Monasteria condemnantium, apud Augustinum l. 3. contra Petilian. c. 40. Et Joviniani apud Hieronymum l. 1. contra Jovin. 18. & Augustinum hæresi 72. virgines sacras ad matrimonium inducentis. Eustatii quoque & Aërii apud Epiphani. hæresi 75. & Augustin. hæresi 53. reprobantium jejuniæ, & preces pro mortuis. Necnon Vigilantiæ & Eunomii improbantium cultum imaginum, invocationem Sanctorum, honoremque Reliquiarum. Et Pelagianorum apud Augustin. epist. 175. & 176. salutem promittentium infantibus fidelium, absque Baptismo decedentibus. Et Iconoclastarum, à Concilio Nicæno II. damnatorum, eod quod imagines velut idola rejicerent & confringerent. Istos errores omnes ex Orco Calvinistæ fustularunt, sed Ecclesia Romana hodie sicut olim damnat ac rejicit, antiquis de fide definitio- nibus per omnia insistentis.

## CAPUT XX.

*Sexto hæretici contra se habent præscriptionem.*

262 **C**ontroversiæ inter Catholicos & hæreticos duplici viâ agitari possunt, viâ scilicet discussionis, & viâ præscriptionis. Prior viâ operosior est, eaque hæcenus contra Calvinistas disputavimus. Posterior longè est facilior, & ad omnium cap- tum accommodatior: neque enim implicatas suis probationibus & exceptionibus disputationes capere omnes possunt, & ut possent, tot proba- tionibus exceptionibusque discutendis nec tem- pus nec otium habent.

263 **A**liam proinde faciliorem viam Deus providit, viam utique præscriptionis, per quam maxima pars Christianorum eo modo scire potest, quaenam sit vera de Eucharistia fides, quo scire potest, quamam vera sit Ecclesia. Sicut ergo vera Ecclesia dignoscitur, atque ab hæreticorum conventiculis seceratur, per hoc quod ipsi conveniant veræ Ecclesiæ dotes, antiquitas, universalitas, unitas, & continuata Pastorum suorum ab Apo- stolis successio, prout ostendimus in universum agendo de fide & Ecclesia: sic vera de Eucharistia fides dignoscitur, & ab hæretica seceratur per eandem dotes. Sicut enim vera Ecclesia, sic vera de Eucharistia fides illa est, quæ antiqua, universalis, ubique recepta, continuatâ successione ab Apostolis ad nos derivata.

264 **A**tqui fides veræ, realis, substantialisque præ- sentis corporis & sanguinis Christi, antiqua est, universalis, ubique recepta, continuatâ successione ab Apostolis ad nos derivata, uti demon- stratum est in capitibus præcedentibus. Est igitur fides vera.

265 **E**nimvero idèò divina providentia tot Nationes Christianas, licet ab Ecclesia sua sejunctas, hæcenus conservavit, nec per Turcarum, aliorumque infidelium tyrannidem penitus deleri permisit; idèò etiam in ipsis præcipuorum Christianæ Reli- gionis mysteriorum notitiam penitus aboleri non permisit, ut sint perpetui testes veritatis & anti- quitatis dogmatum Ecclesiæ Catholicæ, quibus novi hæretici contradicant. Quemadmodum (Augustino teste) idèò divina providentia in om- nibus mundi partibus Judaicam Nationem con- servat, nec penitus deleri permisit, ut sint per- petui testes veritatis sacrarum librorum, quibus Catholica Ecclesia utitur, ne quis scilicet Eccle- siæ objicere possit, quod illos recentè invenit, vel falsificaverit.

266 **S**icut ergo Paganis objicientibus suppositos, novos, vel à nobis falsificatos libros sacros, ex quibus Messias adventum & divinitatem compro- bamus, meritò reponimus id impossibile esse, cum

eosdem libros videre possint in manibus Judæo- rum, capitalium adversariorum nostrorum, qui eos à nobis non acceperunt, & ipsi testes esse possunt, nihil à nobis in illis falsificatum, nihil innovatum, sed illos eosdem esse, pro quorum veritate & antiquitate sanguinem suum fundere parati sunt. Sic Calvinistis objicientibus nostram de Eucharistia fidem & doctrinam esse novam, meritò reponimus id esse impossibile, cum eandem de Eucharistia fidem & doctrinam videre possint apud Græcos, aliosque totius orbis po- pulos Christianos, à nobis communionem sejun- ctos, nobisque aliis in punctis valdè adversan- tes, qui fidem & doctrinam illam à nobis non acceperunt, pro cujus nihilominus veritate & an- tiquitate sanguinem quoque suum fundere para- ti sunt.

267 **I**lludque observatione & admiratione dignum est, quod cum tot & tam diversæ illæ Nationes infinitis aliis in punctis ab invicem disconveniant, nec ullo inter se, vel nobiscum fœdere, nullâ fo- cietate, dependentiâ, vel commercio sint conjun- ctæ, nihilominus in puncto Eucharistiæ uniformi- ter omnes inter se, atque nobiscum conveniant. In quo mirum in modum divina providentia re- lucet, quod simplicioribus fidelibus tam sensibi- lem notam reliquerit, quâ juventur ad veram de Eucharistia fidem discernendam. Neque enim for- tuito casu tot Nationes, adèò ab invicem distan- tes, adèò opinionibus discrepantes, adèò mori- bus & ingeniis differentes, tantisque & tam diver- sis animi aëstibus & contentionibus ab invicem dis- sidentes, in eadem nihilominus hujus mysterii fide, tametsi omnem rationem humanam transcenden- te, tametsi sensibus ipsis, ut videretur, adversante, omnes inter se, & nobiscum inveniantur unani- miter conjunctæ, in eaque fide semper fuerint, & invariabiliter perseveraverint. Atqui verisimile non est (inquit Tertullianus de præscript. advers. hæret. c. 28.) ut tot & tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint. Dato enim, non concessio, quod Spiritus sanctus eas non docuerit veritatem. Dato quod permisit eas errare à fide, quam ab Apo- stolis acceperunt: *ecquid equidem verisimile est, ut tot & tanta in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus, tot & tam variantes inter po- pulos, inventus est error unus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Impossibile proinde est quod Ecclesiæ omnes in unum eandemque erro- rem uniformiter fortuito conspiraverint. Igitur quod apud multos, & tam multos, tamque ab in- vicem discrepantes, unum invenitur, non est er- ratum, sed traditum.*

268 **S**ic discurrit Tertullianus, sic ratio ipsa dicit, & maxime in puncto seu doctrina Eucharistiæ. Cum enim doctrina ista mirè opposita videatur sensibus, & humanæ rationi sibi relicta, solum autoritatis humanæ pondus efficere non potuit, ut à tot Nationibus, adèò ab invicem discrepan- tibus, unanimiter reciperetur. Non certè pondus autoritatis humanæ, v. g. Pachaïi, à ejus com- munionem erant sejuncti, quem nec novrant, nec librum ipsius, nec idioma quo scriptus erat cal- lebant. Id enim proflus incredibile est. Multò incredibilius, quod ex seipsis, nullius autoritate moti, omnes uno tempore, sine mutua com- municatione, in eam fidem & doctrinam credi- tu tam difficilem, absque ullius contradictione conspiraverint. Unicum proinde superest, quod in eam conspiraverint, efficaciter inclinati pon- dere autoritatis divinæ. Salvatoris verba, *hoc est corpus meum*, intelligendo, non secundum philo- sophicam subtilitatem, vel abstractam ratiocina- tionem, quam solum Philosophi vel Metaphysici intellexissent; sed planè ut sonant, & secundum ideam seu impressionem, & apprehensionem suam.



placem & generalem, quam ingerunt in mentibus fidelium, illa verba obviè (ut sonant) intelligentium. Certum est enim quòd Christus ea non protulerit, ut à solis Philosophis vel Metaphysicis intelligerentur (cùm stultam fecerit Philosophiam hujus sæculi, quæ ut plurimum opposita est veræ fidei) sed à simplicibus & parvulis, juxta illud Matth. *Confiteor tibi Pater... quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*; eò quòd voluerit utique ad religionem suam trahere infinitam hominum multitudinem simplicium, feminarum, parvulorum, non multi discursus, nec profundæ intelligentiæ. sed in sensu simplici & obvio verba fidei intelligentium, ut sic januam præcluderet infinitis erroribus & hæresibus, pullulare natis ex eo quòd Philosophus, verba fidei ad sensum suum trahere volens, ea secundum humanam Philosophiam subtilitatemque intelligit, & idèo disputandi & altercandi finem non facit.

269 Si sic proinde Nationes illæ verba Salvatoris intellexerint, in unam fidem & doctrinam omnes uniformiter nunquam conspirassent, magis quàm hæretici; qui quia verba illa planè ut sonant intelligere noluerunt, sed ad sensum suum secundum humanam subtilitatem trahere voluerunt, & ad singula illa verba, *hoc est corpus meum*, longos tractatus (argumentis Metaphysicis concrepantes) composuerunt, longis ambagibus & discursibus separatim explicantes 1<sup>o</sup>. pronomen *hoc*, 2<sup>o</sup>. verbum *est*, 3<sup>o</sup>. vocem *corpus*, &c. idèo lapsi sunt in confusionem infinitarum explanationum, quibus à se invicem discrepant in intelligentia divinorum verborum illorum, quasque usque ad 84. observavit, & numerando percensuit Claudius Sainctesius, Ebroicensis Episcopus, in doctissimo suo de Eucharistia libro. Hoc vel ipse Lutherus advertit in lib. cui titulus: *Defensio verborum cæne*: ubi sic: *Doctor Carlstadus in his sacrosanctis vocabulis, hoc est corpus meum, miserè distorquet pronomen hoc. Zuinglius autem verbum substantivum est macerat. Oecolampadius nomen corpus tortura subjicit. Alii totum sexum excarnificant,...* Alii *amidiã partem sextus crucifigunt, &c.*

270 Ex uniformi itaque consensu Christianarum omnium Ecclesiarum, verba Salvatoris intelligentium in sensu plano, obvio & literali, patet ea sic intelligenda; quia nequit non esse vera, accepta à Majoribus, ascendendo utque ad Christum, intelligentia, in quam Christianæ omnes Ecclesiæ consentiunt. Cùm verisimile non sit, tot & tam varias Ecclesias in unam fidem, sensibus repugnantem, omniaque humanæ rationis lumina transcendentem, conspirasse, & conspirando errasse. *Variasse debuisset error* (inquit Tertullianus) qui cum non variaverit, quod apud multos, & tam multos, tamque varios, unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Neque enim in sensum creditu tam difficilem, ob cuiuscumque privati hominis auctoritatem, miraculis non confirmatam, tot & tam variæ Ecclesiæ uniformiter convenissent, nisi cum à Majoribus, tamquam ab Apostolis & Christo traditum accepissent. Ob ea quæ dixi n. 260. & 268.

271 Et hinc ulterius patet, sensum illum planum, obviu & literalem, in quem omnes Nationes illæ tam uniformiter, posterioribus sæculis consenserunt, esse sensum à Majoribus & Patribus priorum sæculorum per traditionem acceptum. Patres proinde priorum sex sæculorum, in sensu illo plano, obvio & literali, verba Salvatoris accepisse. Est enim contra naturam, contra mores hominum, contra apprehensionem sensumque communem omnium, eandem expressionem Salvatoris prioribus sex sæculis in uno sensu fuisse

intellectam; in sequentibus verò sæculis ab omnibus Ecclesiis & Nationibus Christianis, in alio, imò in opposito sensu uniformiter acceptam, nec tamen æquivocationem tantam, tamque momentosam, à quoquam animadvertam fuisse, nec reprehensam, nec ab ullo Annalista vel Scriptore fuisse annotatam. Est etiam contra naturam, contra omnem apparentiam, atque adèd insolitum, & planè sine exemplo, quòd discipuli omnes, nec pauci, sed milliones, & millionum milliones ex omni penè natione quæ sub cælo est, sequantur & amplectantur sensum, non solum diversum, sed & oppositum sensui Magistrorum suorum, sic tamen ut ipsis sit, semperque fuerit persuasum, non aliud se sentire & credere, nisi quòd à Magistris suis acceperunt, quodque Magistri ipsi censuerunt, ac crederent.

Quæ cum adèd certa sint & indubitata, ut oppositum moraliter æquè impossibile sit, atque omnes sub mundo Nationes fieri de Calvinistis Lutheranis, vel de Gentilibus Christianis, nemine id advertente, imò cum unanimi persuasione nullius factæ mutationis: inde patenter evincitur, primò Calvinianos habere contra se universalem præscriptionem omnium sæculorum, nec præscriptionem solus Ecclesiæ Romanæ, sed & omnium Christianarum Nationum. Quod enim præfati sæculo credunt, hoc præcedentibus sæculis omnibus Christianitatis itæ Nationes omnes crediderunt, ut proxime demonstravimus. Sicut ergo præfati sæculo credunt veram, realem, substantialemque Christi in Eucharistia præsentiam; sic eam prioribus omnibus sæculis Christianitatis suæ crediderunt.

Fides ergo Romanæ Ecclesiæ, quoad hoc, non 273 est nova, sed antiqua, nec nono vel sequentibus sæculis introducta; sed octavo, & septimo, & sex prioribus sæculis fuit, non apud Romanos Latinos tantum; sed & apud Græcos, & Indos, & Moscovicis, & Armenos, & Syros, & Ægyptios, & Æthiopes, & Nestorianos, & Jacobitas, & Maronitas, &c. Igitur fides illa omni contrariæ fidei prævalente antiquitate, universalitate, uniformitate. Omnes quippe Nationes illæ quoad hoc uniformiter credunt; quod Romana Ecclesiæ credit, ut visum est.

Atque hinc irrefragabiliter evincitur 2<sup>o</sup> in controversia inter nos & Calvinistas, tantam esse pro nobis præsumptionem veritatis, seu veræ fidei circa hoc mysterium, sicut & veræ intelligentiæ verborum Salvatoris, *hoc est corpus meum* ( & idem est de vera intelligentiæ expressionum, quibus hoc mysterium SS. Patres explicant ) ut nobis non incumbat onus probandi veritatem illam, sed jus habeamus supponendi eam, tamquam præjudicatam per naturam ipsam ( seu naturalem intelligentiam, quæ verba accipit simpliciter, ut ad literam sonant ) sicut & per fidem omnium sæculorum, consensumque omnium Societatum Christianarum, sive Nationum totius Orbis Christiani. Ex tribus namque titulis illis resultat tam vehemens præsumptio pro veritate istius intelligentiæ, ut præsumptio ista habenda sit pro certa & indubitata, quandiu non eliditur per evidentem in contrarium demonstrationem: quam proinde adferre incumbit ei, qui intelligentiæ taliter firmatæ, præjudicatæ, & quodammodo præscriptæ contradicit.

Quemadmodum enim in controversiis de rebus temporalibus, plerumque contingit inæqualitas tam visibilis inter causam & causam, ut onus probandi utrique parti contendenti non incumbat, sed una pars supponere possit pro se jus stare, donec contrarium probetur, idèoque onus probandi contrarium in partem sibi contradicentem rejiciendi jus habet, eò quòd sit in possessione bonæ fidei,



idedque sine plena & evidenti probatione non debeat removeri: sic in controversiis de veritate pietrumque contingit inaequalitas tam visibilibus inter causam & causam, ut onus probandi utrique contendenti non incumbat, sed illud una pars in alteram rejiciat, eò quod ad sensum patet causam ipsius adde prævalere causæ alterius, ut causa ipsius præsumatur justa, & præsumptio ista habeatur certa, quamdù in contrarium non adfertur probatio evidens & demonstrativa. Si quæ autem sint causæ tam vehementia præ se ferentes indicia veritatis, ut præsumptio habeatur certa, quamdù non eliditur probatione in contrarium evidenti & demonstrativa; maximè est causa nostra. Cùm vix, aut ne vix quidem adferri possit causa vallata tam firmis titulis veritatis & justitiæ, ex quibus proinde refutare debeat tam justa & fundata præsumptio pro ipsa, tamquam veritate præjudicata & præscripta: Si enim (Tertulliano Judice) *verisimile non est, ut tot & tanta Ecclesiæ in unam fidem erraverint*, absque variatione erroris. *Ideoque quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Multò profectò minus verisimile est, ut tot & tanta Ecclesiæ, tam diversæ, & in tam multis aliis ab invicem discrepantes, verba Salvatoris in sensu naturali (prout ad litteram sonant) accipientes, in unam fidem, non uno, sed totis septemdecim sæculis absque variatione erraverint. Idedque quod apud tam multos, tot sæculis unum tam uniformiter invenitur, non est erratum, sed traditum, addeque traditione præjudicatum & præscriptum.

276 Ex quo perspicue evincitur 3<sup>o</sup>. quòd Calvinistis incumbat probare eas quas adferunt glossas & expositiones, quibus verba Salvatoris, Patrumque expressiones exponunt, per duplicem quam vocant clavim, *virtutis scilicet & figuræ*, esse legitimas & veras: ita ut non sufficiat quòd ad id adferant probationes quascumque, sed ad id adferre debeant probationes evidentes & demonstrativas. Quod quia impossibile est, consequenter impossibile est quòd justiciam suam à Romana Ecclesiæ defectionem, calumniasque, quibus ipsam diffamant & condemnant, velut idololatriæ ream, in eo quòd latræ cultum Eucharistiæ deferat. Qua in re tantò major est impietas & injustitia ipsorum, quantò in plures Ecclesiæ, Societates, & Nationes redundat diffamatio & condemnatio illa, & quantò certius redundat in Ecclesiam Matricem, unde originaliter prodierunt. Magna quippe impietas & injustitia est, sine evidenti demonstratione, taliter diffamare & condemnare Matrem suam, & simul cum Matre non solum avos, abavos, & tritavos suos, &c. sed & omnes Christianas Societates & Nationes, non hujus tantum, sed & præcedentium sæculorum, quæ in fide & adoratione Eucharistiæ cum Ecclesiâ Romana conveniunt, semperque convenerunt. Si enim ad privatum eum condemnandum probationes debent esse luce meridiana clariore; quantò magis ad condemnandum Ecclesiam Matrem suam cum omnibus progenitoribus suis, imò totam Ecclesiam Catholicam, quæ est, & fuit à tempore Apostolorum, & per septemdecim sæcula perseveravit usque in præsens. Totam istam Ecclesiam, id est omnem Ecclesiam Christianam, velut idololatriæ ream, omnes Patres Patrum suorum ad Orcum condemnat scèta Calviniana. O quam horribilis impietas! quam insolens temeritas! quam monstruosa injustitia, in quam affectus suos precipitat ista scèta!

277 Et in quo Calvinistæ fundant diffamationem condemnationemque tam impiam, tam horribilem? Vel in imaginariis suppositionibus, quas sine legitima probatione pro libito fabricant, quæque nec subsistunt, nec ullibi unquam subsistunt,

nisi in infano cerebro pseudo-ministrorum suorum. Vel in irrationabilibus, ridiculis & temerariis glossis, seu expositionibus, quibus verba Salvatoris, Patrumque expressiones interpretantur, non ut sonant, sed ut volunt, à proprio, naturali, & litterali, quem præ se ferunt sensu, à Christianis omnibus recepto, ad improprium, figuratum, naturæque & litteræ adversum, ea miserè distorquentes. Ubi enim Catholici, juxta Magni Augustini regulam, in hærentes naturali litterali que sentui, quem verba Salvatoris & Patrum præ se ferunt, cum omnibus sæculorum omnium Christianis Societatibus & Ecclesiis, corpus Christi accipiunt pro vero corpore Christi, mutationemque panis in corpus Christi accipiunt pro mutatione panis in verum corpus Christi, idedque corpus Christi in Ecclesia adorant: Calvinistæ contra naturam, contra litteram, contra ideam quam verba illa, *hoc est corpus meum*, semper fecerunt in mente omnium Societatum, Ecclesiarumque Christianarum, per corpus Christi intelligunt non corpus Christi, sed figuram, typum, vel virtutem, excludentem veritatem corporis Christi; perque mutationem panis in corpus Christi, intelligunt mutationem panis in figuram, vel virtutem, seu neficio quid aliud, excludens veritatem corporis Christi. Quod profectò ridiculum est, irrationabile, contra naturalem sensum, & contra universalem intelligentiam, acceptionemque omnium Christianarum Societatum, Ecclesiarumque, non præsentis dumtaxat sæculi, sed omnium sæculorum, à temporibus Christi & Apostolorum. Neque enim intelligentia illa, acceptioneque omnium Societatum, Ecclesiarumque Christianarum, præsentis incepti sæculo, sed eam ipsa à Majoribus suis acceperunt, prout ipsa testantur. Nec designabile est sæculum, in quo universalis illa acceptio & intelligentia Christianarum omnium Societatum atque Ecclesiarum incepterit. Cùm nec designabile sit v. g. sæculum decimum sextum, nec decimum quintum, nec decimum quartum, nec decimum tertium, nec duodecimum, nec decimum, nec nonum, nec ullum præcedentium sæculorum. Quodcumque enim Calvinistæ designaverint, ridiculè & temerariè designabunt, remque incredibilem, & probatu impossibilem sibi probandam assument. Mutatio enim universalis, quæ non inest à natura, non præsumitur, sed probari debet. Impossibile verb est probare mutationem universalem in toto Christiano Orbe factam circa intelligentiam verborum Christi, *hoc est corpus meum*, addeque circa rem omnium maximam, cujus mentionem nulli Scriptores, nulli Historici fecerunt. Impossibile, inquam, probare mutationem tam grandem, tam sensibilem, ut pro vero, reali & substantiali corpore Christi totus Orbis Christianus accipere & adorare id ceperit, quod pro figura, vel virtute dumtaxat illius, adoratione indigna, Majores omnes accepissent, & adorare nefas omnibus retrò sæculis tenuissent; nec tamen mutationem tam grandem, tamque enormem & sensibilem ulli advertissent, sed in intelligentia, acceptione, & religione Majorum sese perseverare credidissent; vel si qui mutationem advertissent, nulli, sive Superiores, sive inferiores, mutationi tantæ, tamque insolitæ sese opposuissent, nulli de mutatione tam horribili conquesti fuissent, nulli eam condemnassent, nulli novitatem seu innovationem objecissent (quod profectò nusquam legitur objectum fidem Catholico-Romanam hac in re sequentibus, sed Berengarianis, Petrobruffianis, & Calvinistis dumtaxat) nulli zelum suum contra tantæ mutationis Authores acuisse (ut semper fit, semperque factum fuit in omni magna sensibilibus mutatione) sed extinctis, sopitis, vel dor-



mientibus omnibus iuste passionis actibus, contra antiquæ fidei, religionisque mutationem innovacionemque nunquam non nasci solitis, in tantam mutationem & innovacionem omnes Christianæ Nationes & Ecclesiæ (etiam ab invicem communione sejunctæ, nec ullam non captantes occasionem altera alteram de innovacione carpenti) non communicato consilio, sed fortuito simul uniformiter consensissent, simulque omnes ab avita fide & doctrina Majorum suorum uniformiter recessissent, ab ea declinando in novam insolitamque fidem & doctrinam, sensibus & rationi humanæ sibi relicte repugnantem, nullis ad hoc Prædicatoribus per Orbem Christianum missis, qui tantæ mutationis Authores fuissent; nullis etiam miraculis, prodigiis, vel signis insolitis in ejus confirmationem editis. Sine quarum circumstantiarum concurrentia, cum mutatio & innovatio tanta in toto Orbe Christiano, seu omnibus Ecclesiis & Societatibus supradictis nullo sæculo fieri potuerit; talem autem concurrentiam ullo sæculo contingere nullo profus modo probari possit, manifestè concluditur illam non esse factam, nec Calvinistas habere jus illam supponendi, sed ipsi onus incumbere argumentis manifestis probandi.

278. Et hoc præ oculis habendum in omni controversia cum modernis hæreticis; qui cum originaliter Catholici fuerint, & quidem Catholico-Romani, atque ex Catholico Romana Ecclesia, velut ex Ecclesia Matrice nati, reddere debent rationem, cur sint filii desertores, & accusatores Matris suæ? Et quia desertionem suam colorare solent multis prætextibus & suppositionibus, quas non probant, ante omnia videndum, quis jus habeat supponendi, & cui onus incumbat probandi. Certum est autem quòd cum in multis accusatores sint Matris suæ, multarumque accusationum prætextu colorare soleant suum ab illa recessum, seu apostasiam, ipsis non competat jus supponendi, sed onus incumbat probandi. Cum accusatoris sit probare, non supponere. Et namque *incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. L. 2. de probat. Et actor (qualis est accusator) non probante, si qui convenitur, est nihil ipse præstat, obinebit. L. qui accusare C. de edendo.*

279. Sed & aliunde ipsis incumbit onus probandi, solaque Ecclesia Romano-Catholica, & filii manentes in sinu ipsius, jus habent supponendi veritatem articulorum quos credunt, quia scilicet fides ipsorum ab antiquitate & consensu totius penè Orbis Christiani, tam vehementem habet præsumptionem veritatis, ut præsumptio ista habenda sit certa, quamdiu non eliditur contrariâ demonstratione evidenti & plenâ. Deus enim cum sit ratio suprema, haud dubiè vult quòd secundum rationem judicemus: secundum rationem verò judicare est, sequi certitudinem & evidentiam, dum nobis affulget; verisimilitudinem verò certitudini proximiorum, dum certitudo omnimoda haberi nequit. Vult proinde ut statim abjiciamus opiniones verisimilitudini isti contrarias.

280. Hoc proximè apparuit in Calvinistis, sequentibus suam de sensu verborum Christi opinionem. Habent enim contra se perspicua verba Salvatoris; habent contra se regulam legitime interpretandi Scripturam; habent contra se perpetuam universalis Ecclesiæ fidem, quam rejicere non potest nisi novator & hæreticus, qui non credit Apostolo 2. Timoth. 3. Ecclesiam vocanti *columnam & firmamentum veritatis*. Nec credit Salvatori Matth. 16. dicenti: *Porte inferi non prævalent adversus eam*. Habent contra se præscriptionem septemdecim sæculorum, concordemque intelligentiam tot, & tam variarum Nationum. Quæ profectò maximum est veritatis argumentum. Habent

denique contra se manifestas expressiones Sancto- rum. Quas quàm ridiculè explicent; patet applicanti glossas ipsorum, v. g. ad testimonium Cyrilli Hierosolymitani n. 176. productum. Quando enim dicit 1.º. *Cum Christus ipse sic affirmet de pane, hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* Sic glossant: cum Christus de pane affirmaverit, hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare, hoc esse figuram continentem virtutem corporis Christi?

Cum 2.º. dicit: *Aquam aliquando in vinum convertit in Cana Galilee. Ergo dignus est cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset.* Sic glossant: aquam realiter in vinum convertit in Cana Galilee: ergo dignus est cui credamus, quòd vinum transmutaverit in figuram continentem virtutem sanguinis Christi.

Cum 3.º. dicit: *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, ut sumpto corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis.* Sic glossant: sub pane vero & reali datur tibi figura corporis, & sub vino vero & reali datur tibi figura sanguinis, ut sumpta figurâ corporis & sanguinis, efficiaris ei comparticeps figuræ continentis virtutem corporis & sanguinis.

Cum 4.º. dicit: *Sic Christophori erimus, hoc est Christum ferentes, cum corpus ejus & sanguinem in membra nostra recipimus.* Sic glossant: sic erimus typhochristiferi, hoc est typum seu figuram Christi ferentes, cum figuram & virtutem corporis & sanguinis in membra nostra recipimus.

Cum 5.º. dicit: *Hoc sentis, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi.* Sic glossant: hoc sciens, & pro certo habens, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem non continentem figuram & virtutem corporis Christi, etiamsi gustus panem esse sentiat non continentem figuram & virtutem corporis Christi, sed esse figuram continentem virtutem corporis Christi.

Quid quæso magis ridiculum? Quid magis alienum à plano, obvio & naturali sensu expressionum S. Cyrilli? Quid magis absurdum, quàm inducere Cyrillum, in Catechesi sua instructum neo-baptizatos, nullum habentes usum Ecclesiastici sermonis, nec alium sub cortice verborum S. Cyrilli sensum intelligere valentes, nisi naturalem & obvium, quem verba præ se ferunt; non cum tamen sensum intendentem, nec intelligi volentem, sed sensum excludentem veritatem ejus, quod verba sua planè, obviè, naturaliter, & ad litteram significant. Quod quid est, nisi velle ut neo-baptizati illi per corpus Christi intelligant non corpus Christi, per sanguinem non sanguinem, per non panem panem? Nimis profectò absurdum est sic catechizare recentem natos in Christo, talem usum verborum corporis, sanguinis, panis, &c. non habentes, nec intelligere valentes, nisi exprimat. Quod Cyrillus non fecit.

Nimis quoque absurdum, verba Salvatoris, veterumque Patrum trahere ad sensum contrarium idææ, quam verba illa nata sunt imprimere, de factoque impræstunt in mente omnium vel ferè omnium Societatum Nationumque Christianarum. Verus quippe sensus verborum Salvatoris ille est quem Salvator per illa significare voluit. Atqui Christus per verba illa, *hoc est corpus meum*, significare noluit sensum contrarium idææ, quam prævidit per verba sua naturaliter imprimendam in mente omnium vel ferè omnium Nationum Christianarum, & soium non imprimendam novissimis temporibus in mente paucorum Philosophorum Berengarianorum, & Calvinianorum. Cum enim intrudere voluerit omnes Christianos, tam



tam præsentem quam futurum, per sacratissima verba quæ protulit, dum apud nos vixit; omnibus Christianis loquutus est, in persona eorum qui tunc ipsum audiebant. Omnes (inquam) Christianos tunc habuit objective præsentem, nec ignoravit idæam quam impressura erant; non ignoravit (inquam) verba sua ab omnibus Christiani Orbis Nationibus accipiendi in sensu naturali, literali & obvio, quod utique panis post consecrationem, sive contentum sub specie panis verè, realiter, & substantialiter esset corpus suum, de Maria Virgine acceptum. Quoddam hunc sensum non solum secuturi essent parvuli omnes, quos vocare venit ad regnum suum, sed & omnes ipsum imitari in voluntaria paupertate, penitentia, & mortificatione carnalis vitæ, totumque corpus Ecclesiæ suæ, exceptis pauculis ultimâ mundi ætate sub illius finem natis, qui per philosophicas argutias probare conarentur totum Christianum Orbem in errore esse & fuisse, omnesque Christianos, ipsis exceptis, verba Christi perperam intellexisse, & intelligere de vero, reali, substantialique Christi corpore, cum Christus, dicendo, *hoc est corpus meum*, solum dicere voluisset, hoc est figura corporis mei.

187 Nihil profecto absurdus, nihil horribilius, nihil magis alienum à charitate Christi erga Ecclesiam sponsam suam, quam talem Christo tribuere voluntatem, quâ sic instituire voluerit sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, ut in horribilem circa illud errorem præcipitare voluerit omnes omnium sæculorum Christianos & Christianas Nationes, à quibus non bene intelligerentur verba consecrationis, sed à pauculis dumtaxat Philosophis, qui surgentes sub finem, pugnarent adversus Ecclesiam Matrem suam, faciemque interiorum & exteriorum ipsius subvertere conarentur; exteriorum quidem, per abolitionem divinæ politiæ seu hierarchiæ, sacrarumque cæremoniarum, per quas sexdecim sæculis rexisset filios suos; interiorum verò, per abolitionem poenitentia, voluntariæque paupertatis, & castitatis, seu observationis Consiliorum Evangelicorum, atque introductionem Moralis detestabilis.

188 Cum Christus elegerit viam fidei ad revelandum mysteria regni sui, & fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi, non per discussionem mysterium in seipsis: oportuit in locis ex instituto declarantibus mysteria fidei, verba Christi intelligibilia esse illis, qui ea accepturi erant in sensu obvio, simplici, & communi, quem naturaliter in presura erant in mente fidelium. At qui sensus ille simplex, communis & naturalis, manifestatur per communem acceptionem, intelligentiam & consensum omnium Nationum Christianarum. Ig tur verus sensus verborum Christi nobis manifestatur per communem acceptionem, intelligentiam & consensum omnium Nationum Christianarum.

## CAPUT XXI.

*Hæretici contra se habent rationem Christianam.*

189 Potuit enim haud dubie Christus, ut suam in nos dulcedinem charitatemque demonstraret, suum nobis corpus sanguinemque verè, realiter, & substantialiter dare, in illudque panem, & vinum in sanguinem convertere; sicut aquam in vinum convertit in Cana Galilææ. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Quid enim non potest Omnipotens? Si potuit, voluit. Si potuit & voluit, fecit. Qui omnia quacumque voluit, fecit. Neque enim noluisse credi potest, qui se voluisse, tam apertis & perspicuis verbis declaravit.

Tom. III.

tavit (dicens: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum. Accipite & bibite: hic est enim calix sanguinis mei, &c.*) ut apertiora atque ad significandam suam istam voluntatem accommodatiora feligere non poterit, nec Spiritus sanctus apertiora selegerit ad significanda mysteria Trinitatis, Incarnationis, &c. ut supra vidimus. Cùmque claritati verborum Christi regula accedat oracula sacra interpretandi; accedat & fides universalis Ecclesiæ, quæ verba illa in aperto quem præ se ferunt sensu, semper intellexit; accedat denique perpetuus consensus omnium Societatum Nationumque Christianarum, uti etiam supra demonstravimus. Nec credibile sit Christum in institutione novi Testamenti per sententiam obsecrum & figuratum decipere voluisse Nationes omnes in se credentium; ex hisce omnibus certissime concluditur errare Calvinistas, perspicua verba Salvatoris exponentes contra sensum naturalem & obvium quem præ se ferunt, & secundum quem Ecclesia tota hæcenus ea intellexit; errare (inquam) dum Ecclesiæ Spontæ Christi tantum invident bonum, tantam felicitatem, tantam gloriæ & honoris altitudinem, ut ipsi datum sit in rei veritate possidere, quod in signis tantum & figuris Synagoga habuit.

In istius honoris possessione à septemdecim Ecclesia est sæculis. Quotquot in Ecclesia sanctitate & sapientia floruerunt, hunc ipsi honorem detulerunt, ut verba ipsorum cap. 17. relata perspicue declarant, sæculoque septimo Patres septimæ Synodi contestantur. Nec aliam de hoc mysterio fidem fuisse Patrum septimi & sequentium sæculorum, quam sex priorum; non aliam (inquam) fidem discipulorum, quam magistrorum, non aliam omnium Nationum Christianarum sequentium, quam præcedentium temporum, demonstratum est à num. 182. ad 208. confirmatque Augustinus l. 2. contra Julianum c. 10. dum testatur, Patres in materia fidei nunquam posteris tradidissent rem à se adinventam, sed quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Omnes isti (eodem Augustino teste) fuerunt docti, graves, sancti, veritatem acerrime defensores adversus garrulas novitates. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus, atque regionibus, ab Oriente & Occidente, velut ex universis totius Christiani Orbis Synodo congregatos vides (Calvinista) non in locum, quò navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare posse ad homines. Quanto tibi essent isti Judices optabiles, si teneres Catholicam veritatem; tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam (id est omni sæculo & toto mundo) receptam fidem... Talius (post Apostolos) sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, edificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Ab illis proinde, tam sanctis utique, tamque in sanctis literis erudiis, quos Deus dedit Christianorum Rectores, Doctoresque populorum, discere debes, quid de hoc mysterio credere debeas, & maxime ab Ecclesia, quæ tot in Conciliis id definiit. Sicut enim ab Ecclesia Scripturas, sic ab Ecclesia verum Scripturarum sensum accipere debes, exemplo Sanctorum omnium qui hæreticis hæcenus restiterunt. Nusquam enim hæcenus à veritate deviasse sunt deprehensi, qui hanc regulam tenuerunt. Quicumque verò erraverunt à fide, ut Ariani, Sbelliani, Nestoriani, Eutyriani, &c. idè erraverunt, quia Ecclesiam doctentem non audierunt, sed ab ea recedentes, secundum privatam spiritum suum eloquia sacra interpretari præsumperunt, contra illud Petri, *Omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit.* Errorum proinde omnium fons & origo est separatio ab Ecclesia Catholica, maximumque



erroris atque perversitatis argumentum præbent, quotquot Scripturam interpretantur contra eum sensum, quem Catholica Ecclesia tenet, semperque tenuit, nec tales docet unctio Spiritus sancti, sed ipsos Deus, ob superbiam, cum Ethnicis & Publicanis, tradidit in spiritum erroris. Quia Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.

## CAPUT XXII.

Inania sunt argumenta hæreticorum ex Scriptura.

292 **P**rimò arguunt ex Joan. 6. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Ergo (inquit) caro Christi, ore manducata, non prodest quidquam, sed manducata spiritu per fidem.

Respondeo negando consequentiam: ut pote non magis legitime ex illo Joan. 6. deducam, quam si quis ex illo eodem loco inferret: ergo caro Christi crucifixa nobis non prodest quidquam, sed apprehensa spiritu per fidem. Ex ipsomet contextu illius loci perspicua est inanitas Calviniani istius argumenti. In eo namque Salvator eam quam propugnamus veritatem disertè declarat, dicens: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quæ verba vel ipsi Capharnaïta (quibus ibi Christus loquebatur) sicut & discipuli Christi, de reali & orali manducatione intellexerunt, & idè scandalizati & offensi abierunt retrò, modum istius oralis manducationis non intelligentes. Nullam verò scandalizati & offensionis causam apparentem habuissent, si verba Salvatoris in sensu tropico, vel objectivo, non in reali & vero accepissent. Patres etiam passim omnes illa Christi verba, aliæque ibidem subijuncta, nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, &c. de reali & orali, non tropica & figurati, vel mystica & spiritali dumtaxat per fidem manducatione interpretati sunt, ut Irenæus l. 4. c. 34. Origenes hom. 16. in Num. Cyprianus l. de Orat. Dom. Basiliius in reg. moral. reg. 27. Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 5. l. 5. c. 1. & l. 6. c. 1. Hilarius l. 8. Trin. Augustinus & uterque Cyrillus postea referendi, Leo Mag. serm. 6. de jejun. 7. mens. Chrysostomus homil. 45. in Joan. Concilium Ephesinum in approbatione epist. Cyrilli ad Nestorium. Et Nicænum II. act. 6.

293 Enimverò si sua illa verba Salvator intelligi noluisse de reali & orali, sed de mystica vel figurata dumtaxat per fidem manducatione, totam illam Judæorum litigationem, discipulorumque offensionem facile compeverisset, dicendo, se non loqui nisi de manducatione per fidem, vel de manducatione suæ carnis, non in se, sed in figura. Sed hoc noluit, quin ipsos potius in ea persuasione, quæ credebant ipsum loqui de orali manducatione, confirmavit, duplici juramento: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nec correxit nisi modum carnalem, animale, & crassum, quo id intelligebant. Ad quem corrigendum, sic dixit verba sua spiritaliter intelligenda, ut spiritalis intelligentia non destrueret veram, realem & spiritali manducationem.

294 Aio ergo 1<sup>o</sup>. cum Cyrillo Hierosolymit. Catech. mytag. 4. & Augustino tr. 27. in Joan. Salvatorem ibi promississe se daturum carnem suam in verum, realem & substantialem cibum, ore manducandum, non carnali & animali modo, ipsam dilaniando, & in partes sectam masticando, sed modo spiritali, id est ad modum rerum spi-

ritualium, totam in toto, & totam in qualibet parte panis consecrati, nec sub propria specie, sed aliena. Atque hoc, non illo modo manducatum, prodesse voluit carnem suam. Idèdè dixit: *Caro non prodest quidquam* (inquit Augustinus) *sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.* Ille namque sensus est, qui Judæos & quosdam discipulos turbavit. *Putabant enim* (ait Cyrillus) *quod eos ad manducandas (modo carnali) carnes hortaretur. Cùmque illi, quæ dicta fuerant, non spiritaliter accepissent (modo proximè dicto) offensi abierunt retrò.* Ita etiam Chrysostomus homil. 16. in Joan. *Non de sua ipse carne dixit Christus, cùm ait: caro non prodest quidquam; sed de iis, qui, quæ dicuntur, carnaliter accipiunt.* Ita denique Cyrillus Alexandrinus loco proximè referendo: *Invidiam se ad belluinam aliquam crudelitatem putabant, ita ut carnibus quidem vesci inhumaniter, & sorbere sanguinem juberentur; & quæcumque vel solo auditu horrenda sunt, facere cogentur.*

Aio 2<sup>o</sup>. cum Cyrillo Alexandrino l. 4. in Evang. Joan. quod licet natura carnis per se vivificare nequeat, id ipsum tamen præstat Verbum vivificum in se habens (id est Verbo hypostaticè unita) & totam ejus efficaciam profertens. *Non enim Petri v. g. ait Pauli, vel cuiusvis alterius caro id in nobis præstabit; sed unica & sola Salvatoris nostri Christi, in quo habitavit omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Quapropter de reliquis omnibus verè dicitur, quod caro non prodest quidquam. De Christo solo non potest. Quia salva fide negari non potest, Christi carnem natam, crucique affixam, nobis multum profuisse. Si enim caro Christi nihil prodesset (ait Augustinus ubi supra) *Verbum caro non fieret propter quod in eo vita habet, hoc est unigenitus.*

Secundo arguunt: verbum est in Scriptura sèpè sumitur pro significato, ut Exodi 12. *Agnus est phasè, id est transitus Domini.* Ergo sic accipipotest cùm Christus ait: *hoc est corpus meum*, quasi dicat: *hoc est signum, seu figura corporis mei.*

Respondeo dissimulato antecedente, negando consequentiam. Dato enim quòd Deus sic locutus fuerit Judæis in veteri lege, quando omnia in figuris contingebant illis. Non sic discipulis suis in nova lege, quando testamentum suum condidit, quando figuris succcessit veritas, quando venit hora, ut de mylteris regni sui palam & sine figura loqueretur eis. Idèdè ergo omnes Patres, & omnes Christianæ Nationes, illa Salvatoris verba semper intellexerunt, ut simpliciter & naturaliter sonant, de vero, reali & substantiali corpore Christi, non de signo & figura illius dumtaxat. Verba autem illa Exodi vel ipsi Judæi figuratè acceperunt. Denique consequentia illa perinde illegitima est, ut ista: ergo in illis propositionibus, *Verbum caro factum est. Hi tres unum sunt*, sermo non est de vera, reali & substantiali Incarnatione, Unitate, &c. sed de signo & figura illius dumtaxat.

Arguunt 3<sup>o</sup>. postquam Christus dixit: *hic est calix sanguinis mei*, addidit: *non bibam amodo de hoc gemine vitis*: ergo vinum in calice remansit, tamquam signum & figura sanguinis Christi.

Respondeo negando consequentiam. Eo quippe modo sanguinem suum in Eucharistia vocavit *genimen vitis*, quo corpus suum vocavit *panem*. Mos enim Scripturæ est, qualibet res eorum nominibus appellare, ex quibus factæ sunt, vel quorum speciem vel similitudinem gerunt. Homo quippe, ex terra formatus, terra, lutum, pulvis, cinis appellatur. Serpens factus ex virga Aaron, virgæ nomen retinuit: *devoravit virga Aaron virgas eorum.* Angeli, in specie virorum apparentes, viri vocantur. *Et ecce vir Gabriel*, &c. Quia ergo corpus & sanguis Christi in Eucharistia facta



sunt ex pane & vino, eorumque speciem gerunt, panis & vinum, seu geminos vitis appellantur.

268 Arguunt 4<sup>o</sup>. negari nequit, in verbis Christi apud Lucam: *hic calix novum Testamentum est in sanguine meo*, esse figuram, quæ continens accipitur pro contento.

Respondeo nec à nobis negari, nisi figuram excludentem veritatem corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, verè, realiter & substantialiter existentis. Qualis non est metonymia illa apud Lucam.

299 Arguunt 5<sup>o</sup>. in verbis Christi: *hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* demonstrat panem. Sed panis esse nequit corpus Christi realiter & formaliter, sed tropicè, seu figurativè & virtualiter duntaxat, quatenus significat corpus Christi, illiusque virtutem continet. Probat major, tum quia ipsemet Christus id declarat Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Similiter Apostolus 1. Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, &c.* Tum quia pronomen *hoc* id demonstrat quod Christus accepit, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis. Sed accepit *Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.* Matth. 26. Ergo pronomen *hoc* demonstrat panem.

Respondeo negando majorem. Ad primam ejus probationem, aio, corpus Christi à Christo, & Apostolo post ipsum, ideo vocari panem, quia de pane factum est, ut dixi in responsione ad tertium argumentum. Ad secundam probationem, dico quod pronomen *hoc* demonstrat id quod Christus dedit discipulis suis, panem utique consecratum; non demonstrat tamen id quod Christus accepit, eo modo quo accepit. Sic enim verba ista, *accepit, benedixit, fregit, dedit*, regunt eundem casum, ut regant diversimodè sumptum. Accepit enim panem nondum consecratum, sed consecravit, sive ex pane corpus suum fecit, priusquam daret.

300 Arguunt 6<sup>o</sup>. verba Christi, *hoc est corpus meum*, sunt sacramentalia: sunt igitur sacramentaliter, id est figurativè intelligenda. Cum Sacramentum sit essentialiter signum.

Respondeo distinguendo consequens: sunt igitur sacramentaliter intelligenda, tamquam signa merè speculativa, nego. Tamquam signa practica, sive efficiencia quod significant, concedo. Ista namque est præstantia Sacramentorum novæ legis supra Sacramenta veteris legis, quod non sint signa merè speculativa, prout ista, sed signa practica, ut constat ex verbis quibus pertinetur forma Baptismi, quæ non solum significant, sed & causant animæ ablutitionem.

301 Arguunt 7<sup>o</sup>. *Patres nostri eandem escam spirituales manducaverunt, & eundem potum spirituales biberunt.* 1. Cor. 10. Sed esca & potus spiritualis ipsorum, non erat corpus & sanguis Christi verè & propriè, sed tropicè & figuratè duntaxat. Idem ergo dicendum de cibo & potu nostro spirituali.

Respondeo cum Chrysofomo & Theophylacto negando consequentiam: utpote æque illegitimam, ac si quis inferret nos hodie comedere & bibere figuram nudam, id est non continentem virtutem corporis sanguinisque Christi, ex eo quod talem figuram comederunt biberuntque patres veteris Testamenti. Apostolus ergo illo loco non vult Hebræos manducasse eandem escam & potum nobiscum, sed eandem inter se, ita ut eandem escam manducarent boni & mali. Vel si eandem nobiscum, eandem in figura & significatione, quam nos manducamus & bibimus in veritate. Cum ad id significandum Christus Joan. 6. dicat: *Non Moyses dedit vobis (Judæis) panem de celo; sed Pater meus dat vobis panem de celo.* Tom. III.

verum. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Quod respiciens Augustinus l. 2. contra epist. Petil. c. 37. *Aliud (inquit) est Pascha, quod ad huc illi (Judæi scilicet) de ove celebrant; aliud autem quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Illi (ut rursus ait tr. 26. in Joan.) manducaverunt corpus & sanguinem Domini in figura, nos in veritate. Sive (ut ait in Psal. 77.) *idem in mysterio cibus & potus illorum qui noster; sed significativè idem, non specie.* Quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus. *Judæi habebant quondam umbram (ait Salvianus l. 2. ad Ecclesiam) nos veritatem. Judæi manna manducaverunt, nos Christum. Judæi carnes ovium, nos corpus Dei. Judæi pruinam cæli, nos Deum cæli.*

Arguunt 8<sup>o</sup>. ex Matth. 15. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Si ergo corpus Christi in os intraret, in secessum mitteretur.

Vah putidum argumentum! pudeat Calvinistas isto stercoreitarum argumento uti: cum Christus de vulgaribus & corruptibilibus cibis ibi loquatur, qui in corporis alimentum sumuntur, & pro parte sui in secessum emittuntur: non de cibo Eucharistico & incorruptibili, qui non sumitur in alimentum corporis, sed animæ, nihilque ex se habet corruptibile & impurum, quod in secessum emittatur.

Arguunt 9<sup>o</sup>. ex Matth. 24. *Siquis vobis dixerit, ecce hic est Christus (v. g. in pane consecrato) nolite credere.*

Respondeo argumentum istud evidenter esse frivolum. Cum ex contextu pateat, Christum loqui de pseudo-prophetis, qui dicturi essent, se esse Christum: *Multis venient in nomine meo, dicentes: ego sum Christus, & multos seducens.* De his ergo, non de Eucharistia dicit: *Siquis vobis dixerit, ecce hic est Christus, nolite credere.*

Arguunt 10<sup>o</sup>. ex Matth. 26. *Pauperes semper habebis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Ergo Christus non semper futurus erat præsens realiter & substantialiter in Eucharistia.

Respondeo negando consequentiam: quia contextus & circumstantiæ sermonis manifestum faciunt, Christum ibi loqui de præsentia sua visibili, & adjuvabili per corporalia beneficia, uti declarat Marcus 14. *Semper pauperes habebis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere. Me autem non semper, illis beneficiis indigentem, habebitis.* Quod profectò dixit ad compeccandam murmuracionem Apostolorum, contra Magdalenam indignantium, pro eo quod oleum pretiosum fuderat super caput Redemptoris. Quam murmuracionem eo colorabat prætextu, quod potuisset unguentum istud venditari multo, & dari pauperibus.

Arguunt 11<sup>o</sup>. ex Joan. 16. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Respondeo ibi etiam sermonem esse de deificatione quoad præsentiam visibilem, secundum quam cum hominibus conversatus fuerat triginta tribus annis.

Arguunt 12<sup>o</sup>. ex Act. 17. *Deus non in manufactis templis habitat.*

Respondeo argumentum contra realem Christi in Eucharistia præsentiam inde peti. (sicut & omnia præcedentia) meram esse ad decipiendum indoctum populum cavillationem. Neque enim Paulus ibi loquitur de Christo, vel sacratissimo corpore ipsius; sed de Deo Creatore, secundum divinitatem suam spectato (uti manifestum est ex contextu.) Deus autem, secundum divinitatem suam, in manufactis templis non habitat, quasi



illis indigens. Audi contextum: *Hic celi & terra cum sit Dominus, non in manufactis templis habitas, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo. Cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.*

## CAPUT XXIII.

*Inanitas eorum que obijciunt ex Patribus.*

307 **A**rguunt 1<sup>o</sup>. ex Tertulliano l. 4. contra Marcionem c. 40. dicente, quod Christus accepit panem, corpus suum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei.

Repondeo postrema Tertulliani verba, id est figura corporis mei, construenda non esse cum immediate precedentibus, corpus meum, sed cum pronomine hoc, quod ex mente Tertulliani demonstrat panem, non qui manet, sed qui mutatur, ita ut sensus sit: *hic panis*, id est illud quod olim fuit figura corporis mei, per consecrationem desinens esse panis, est corpus meum. Transpositione namque usus est Tertullianus, ne inverteret ordinem verborum Salvatoris, hoc est corpus meum. Sicut lib. contra Praxeam c. 9. transpositione usus est, ne inverteret ordinem verborum Apostoli, cum dixit: *Christus mortuus est*, id est *unctus*: neque enim *ly id est unctus* refertur ad adjectivum *mortuus*, quod immediate præcedit, sed ad substantivum *Christus*. Similiter l. 4. contra Marcionem c. 11. cum dixit: *Aperiam in parabolam auream meam*, id est *similitudinem*: *ly id est similitudinem* non addidit ut explicaret vocabulum immediate præcedens, *auream meam*, sed illud quod immediate præcessit, *parabolam*.

308 Quodque interpretatio nostra legitima sit, probatur ex contextu, scopoque Tertulliani, qui est, libris illis refellere duplicem Marcionis errorem, quorum primus est, quod Christus non habuerit corpus verum & reale, sed phantasticum. Secundus, quod lex vetus à malo Deo condita fuerit, ideoque à Christo abolita. Primum errorem multis argumentis Tertullianus exagitat tribus prioribus libris. Posteriolem refellit lib. 4. ubi ostendit, Christum non venisse, ut legem solveret, sed ut adimpleret, exhibendo eorum veritatem, quarum figura in veteri lege habebantur. Et hinc rursum ostendit, Christum habuisse verum corpus, quia verum corpus suum dedit discipulis suis, dicendo: *accipite, hoc est corpus meum*. Quod autem tunc ipsis dederit verum corpus suum, probat ex eo quod tunc dederit illis corpus, cujus figura panis fuit in veteri lege. *Acceptum* (inquit) *panem, & distributum discipulis, corpus suum illi fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem olim non fuisset* (non dicit, figura non esset, ut demonstrat per figuram se non intelligere Eucharistiam; sed non fuisset, olim scilicet in veteri lege) *nisi veritatis esset corpus*, id est nisi figuræ veritas, sive verum corpus figurato succederet. Quod autem panis in veteri lege præfiguraverit corpus Christi, probat testimonium Hieremias, Isaiæ, & Genesios. Imprimis ex verbis Christi dicentis apud Hieremiam: *Adversum me cogitaverunt cogitatum, dicentes: Venite, conciamus lignum in panem ejus, scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum* (Christus, per quem lux umbris, veritas figuris successit) *quod tunc voluerit significare panem, satis declaravit, corpus suum vocari panem. Sic & in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis, id est verum & substantiale corpus suum, confirmavit; nullius enim corporis sanguis esse potest, nisi carnis, id est carne constantis. Nam & si qua*

corporis qualitas non carne opponatur nobis, ce id sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis; probatio carnis de testimonio sanguinis. Ut autem & sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Eiasas. *Quis* (inquit) *qui advenit ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor...* Quare rubra vestimenta tua, & indumenta sicut de foro torcularis pleno concalcato?... Multo manifestius in benedictione Jude, ex cuius tribu carnis census Christi processurus jam tunc Christum in Juda delineabat: *Lavabis* (inquit) *in vino stolam suam, & in sanguine urve amicum suum, stolam & amicum carnem demonstrans, & vinum sanguinem. Ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.*

309 Ecce illo ipso loco, ex quo contra veram & substantialem corporis Christi in Eucharistia presentiam disputat Calvinista, Tertullianus ex ipso Eucharistia Sacramento probat in Christo fuisse verum corpus & sanguinem: quia corpus & sanguis Christi in Eucharistia præfigurata fuerunt veteribus illis figuris panis & vini. Cum igitur figura sit veritatis, seu rei veræ figura, figuræ illæ veteris Testamenti non fuerunt figuræ corporis & sanguinis phantastici, seu phantasticæ, aut figuratæ dumtaxat existentis in Eucharistia, sed veræ, realiter & substantialiter existentis. Et quia vinum figura fuit veri sanguinis (figura enim non est nisi rei veræ figura, ut proxime dixit) verus autem sanguis non est nisi veræ carnis, verique proinde corporis, ex eo quod in Christo (existente in Eucharistia) fuerit verus sanguis per vinum in veteri lege præfiguratus, novam conficit probationem, quæ ostendit in Christo veram fuisse carnem, verumque corpus. Unde lib. 5. *Panis* (inquit) *& vini Sacramento jam in Evangelio probavimus corpus & sanguinis Domini veritatem adversus phantasia Marcionis.* Unde lib. de resurrectione carnis c. 8. dicit, quod caro *corpore & sanguine Christi vescitur.* Quibus certè non vescitur per fidem, quæ carnis actus non est, sed intellectus. Et lib. de pudicitia c. 9. *opinitate Domini corporis vescitur.*

Arguunt 2<sup>o</sup>. Origenes in cap. 15. Math. dicit Eucharistiam esse corpus typicum, symbolicumque. Hieronymus l. 2. contra Jovin. ait, Christum in typum sanguinis sui obtulisse vinum. Ambrosius l. 4. de Sacram. *similitudinem pretiosi sanguinis bibis.* Et c. 5. altaris oblationem vocat figuram corporis & sanguinis Christi. Et lib. 4. Offic. c. 4. ait, Christum offerri *hic in imagine, ibi in veritate.* Basilus in Liturgia sua, Eucharistiam vocat *antypoon*, id est figuram corporis Christi.

311 Repondeo 1<sup>o</sup>. nec illos Patres, nec alios, in Eucharistia admittere typum, symbolum, similitudinem, antypoon, figuram, imaginem, quæ excludat veram, realem substantialemque Christi in ea presentiam, sed quæ ipsam compatiatur, idque manifestum esse, tum ex eo quod aliis locis eam perpicuis verbis tradant. Tum ex eo quod ab omnibus Nationibus Christianis crediti fuerint assertores, non eversiones istius veritatis, realitatis, & substantialitatis. In illis proinde locis, in quibus usi sunt expressionibus objectis, his usi sunt in sensu à Catholicis recepto, non in sensu Berengariano, vel Calviniano. Et sic dum v. g. in Eucharistia figuram admiserunt, non proprietatem proprietatemque excluderunt. Nec certè figura veritatem semper excludit, nec proprietatem, ut constat ex Apostolo ad Hebræos 1<sup>o</sup>. de Filio Dei dicente, *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Non omnis proinde figura, umbra est & falsitas, imò plerumque veritas signumque rei sæpe presentis, non semper absentis, ut patet in sanguine, qui signum est animæ quam



verè continet. Quomodo etiam columba, quæ super Christum baptizatum descendit, signum fuit Spiritûs sancti realiter præsentis; linguæ igneæ, signum ejusdem super Apostolos realiter illapsi die Pentecostis; pulsus celer & elevatus, sicut & faciei ardor, signum febris præsentis; Christus ipse, post resurrectionem suam discipulis apprensus, cunctibus in Emmaüs, fingensque se longius ire (secundum Augustinum) figuravit scriptum post paucos dies realiter ascensurum in cælum, iter à communi hominum via longius remotum. Et idem ipse rursus in Evangelio positus dicitur in signum cui contradicetur. Et apud Isaiam, stare in signum popalorum. Et incretente oblatum in hoc mysterio, signum & figura sui ipsius in cruce eructe oblatis, juxta illud: *hoc facite in meam commemorationem*. Denique corpus Christi verè, realiter & substantialiter existens in Eucharistia 1. quatenus ibi sub specie panis, figura, symbolum & signum est sui ipsius sub propria specie. 2. quatenus ibi incretente offertur, signum & symbolum est sui ipsius eructe oblatis in cruce. 3. signum & symbolum est corporis sui mystici, quod est Ecclesia. 4. signum & symbolum est unitatis ejusdem corporis mystici, secundum hanc Ecclesiæ Collectam: *Ecclesie tue, quasumus Domine, unitatis & pacis propitius dona concede, que sub oblatis numeribus mystice designantur*. 5. temporalis perceptio ipsius in hoc mysterio, signum est futuræ sempiternæ fruitionis in cælo, prout rursum Ecclesia canit: *Fac nos... divinitatis tue sempiternâ fruitione repleri, quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfiguratur*. Sicque Christus in Eucharistia signum est rememorativum passionis præteritæ; demonstrativum præsentis unitatis Ecclesiæ; prognosticum futuræ gloriæ. In hoc ergo mysterio corpus Christi & veritas, & figura est (inquit Augustinus re-latus can. utrum sub figura de consecr. dist. 2.) *veritas, dum corpus Christi, & sanguis, virtute Spiritûs sancti, in verbo ipsius, ex panis & vini substantia efficitur. Figura verò est id quod exterius sentitur*. Illi modi & sensus omnes Catholici sunt, cumque Catholicæ de hoc mysterio assertionis veritate consistunt. Cùm igitur aliquo ex istis modis, semper ab omnibus Nationibus Christianis intellecti fuerint Patres, qui nobis obiciuntur, perperam à Calvinistis in sensu contrario intelliguntur. Nostra quippe expositio prævallet antiquitate, universalitate, omniumque Nationum consensu. Unde

312 Respondeo 2. Eucharistiam ab Origene vocari corpus Christi typicum, & à Basilio antypum aliquo ex dictis modis.

313 Hieronymus ibi manifestè solum vult, materiam consecrandam in sanguinem, non esse aquam, sed vinum; vinumque proinde consecrandum, non aquam, offerri in typum, seu signum sanguinis. Quod enim panis consecratus, & vinum consecratum verè & realiter sint Christi corpus & sanguis, docet epist. 1. ad Helioid. ubi ait, quod Sacerdotes Christi corpus sacro ore conficiunt. Epist. 85. ad Evagr. ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur. In Psal. 145. *Panem caelestem... accipimus, quia vera Christi caro est*.

314 Ambrosius docet nos bibere similitudinem sanguinis Christi, vel quatenus species vini, sub qua bibitur, est similitudo sanguinis ipsius, vel quatenus sanguis Christi, quatenus in altari offertur & bibitur, similitudo est sanguinis ejusdem quatenus in cruce effusi. Quomodo etiam oblationem altaris vocat figuram corporis & sanguinis Christi in cruce oblatis. Denique eatenus dicit, nos Christum habere hic in imagine, in cælo verò in veritate; quatenus hic habemus Christum velatum sub speciebus panis & vini in cælo verò videbimus eum

sicut est: ita ut imaginem non opponat substantiæ, sed claræ notitiæ; nec veritati velatæ, sed revelatæ: veram enim, realem & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam aperte doceri ab Ambrosio, constat ex dictis n. 175.

## CAPUT XXIV.

*Augustinum totum esse suum, Berengarius & Calvinus in vanum gloriantur.*

Patet ex solutione argumentorum, quæ ex 315 Augustino obiciunt. Arguunt itaque 1. ex epist. 23. ad Bonifacium, ubi sic: *Sicut secundum quemdam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est; Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita Sacramentum fidei, fides est. Sed Sacramentum fidei, Baptismus utique, non est verè & propriè fides, sed secundum quemdam modum, id est significativè dumtaxat. Ergo similiter.*

Respondeo confrenti hunc Augustini locum, cum aliis n. 178. relatis (ubi Catholicam de Eucharistia veritatem diversis verbis tradit) perspicuum esse, quod Sacramentum corporis & sanguinis Christi cum Sacramento fidei non comparatur absolute & per omnia, sed secundum quemdam modum, in quantum scilicet utrumque est Sacramentum, ad eundem signum rei, cujus est Sacramentum. Tamen in eo proximè differant quod Eucharistiæ, non fidei Sacramentum verè, realiter, & substantialiter sit res, cujus est Sacramentum, corpus scilicet & sanguis Christi; licet non modo visibili, palpabili, & divisibili, sicut fuit in cruce, & in humana conversatione; & sic non secundum omnem, sed secundum quemdam modum, invisibiliter utique, impalpabiliter, indivisibiliter. Neque enim Augustinus dicendo secundum quemdam modum, excludit modum verum, realem & substantialem. Cùm epist. 28. dicat quod anima hominis immortalis est secundum quemdam modum. Et epist. 3. *Ut hominem suscipere dignaretur (Verbum) & cum illo uniretur quodammodo*. Non idem tamen negat, animam humanam esse verè, realiter & substantialiter immortalem, nec Verbum homini verè, realiter & substantialiter unitum.

Arguunt 2. ex serm. de Sacramento altaris 316 ad infantes, ubi dicit, Eucharistiam esse corpus Christi, sicut nos sumus corpus Christi. Sed nos non sumus corpus Christi, verè, realiter & substantialiter. Ergo nec Eucharistia sic est corpus Christi.

Respondeo nec ibi ab Augustino fieri comparationem secundum omnem modum, sed secundum aliquem dumtaxat, inter modum quo Eucharistia est corpus Christi, & modum quo nos sumus corpus Christi. Eucharistia namque est corpus Christi naturale; sicut nos sumus corpus Christi mysticum.

Arguunt 3. Augustinus ibidem dicit, quod 317 panis est corpus Christi. Quod intelligi nequit in sensu proprio, sed figurato tantum.

Respondeo ex contextu apparere quod hoc dicat de corpore Christi mystico, cujus unitatem representat panis ex multis granis coalescens. Nisi dicere malis, quod Augustinus in tantum dicit panem esse corpus Christi, in quantum id quod secundum exteriorem speciem est panis, secundum interiorem veritatem est corpus Christi, quod secundum exteriorem illam panis speciem, representat fidelium unitatem. *Sicut enim (inquit) ut sit species visibili panis, multa grana in unum consperguntur; ita & Dominus Christus... mysterium pacis & unitatis nostræ in sua mensa consecravit*.



318 Arguunt 4<sup>o</sup>. ex tract. 27. in Joan. Quid parat dentes, & ventrem? crede & manducasti.

Respondeo Augustinum ibi non loqui de manducatione corporis Christi, sed de fide in Verbum incarnatum, sicut & de quocumque opere Dei, quo anima spiritualiter alitur in vitam eternam. Cum enim Judæi Christum quaererent propter cibum corporis, non animæ, ut Christus ipse ait Joan. 6. *queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis*; Christus eos ibi hortatur, ut ipsum quarant propter cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam eternam, id est non propter cibum corporis, sed animæ: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam eternam*. Quo dicto, Judæis interrogantibus: *quid faciemus ut operemur opera Dei*, quibus anima in vitam aeternam? Respondit Jesus, & dixit eis: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*. Hæc sunt verba, pro quorum explicatione Augustinus subjungit: *hoc est manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam eternam* (credere utique in eum, quem misit Pater) *ut quid parat dentes, & ventrem? crede & manducasti... ipsam fidem dixit opus Dei*.

319 Ad Eucharistiam pronde non pertinent verba objecta, quia ibi non loquitur de manducatione Dominici corporis, nec negat ad illud suscipiendum rectè parari os & ventrem: cum 1. 2. contra advers. legis & Prophet. c. 9. fateatur ore suscipi, non corde tantum: *Mediatorem Dei & hominum, Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendamque sanguinem dantem, fidei corde, atque ore suscipimus*.

320 Et quamvis loco objecto Augustinus loqueretur de manducatione Dominici corporis, non protinus esset contrarius. Duplex est enim Dominici corporis manducatio, corporalis, quæ corpus Dominicum ore suscipitur quoad se, & mystica, quæ corde suscipitur quoad fructum, & spirituale alimentum animæ. Quod si forte de posteriori loquatur in verbis objectis; non ideo negat priorem, ut numero precedenti vidimus.

321 Arguunt 5<sup>o</sup>. ex tract. 26. in Joan. *Credere, hoc est manducare panem vivum. Qui credit in eum, manducat, invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur*.

Respondeo inanitatem argumenti perspicuam esse ex proximè dictis. Sic enim Augustinus ibi loquitur de manducatione spirituali & mystica panis vivi, ut non neget corporalem & oralem. Solent enim Patres, sicut Augustinus, Scripturæ sensum allegoricum proferre, sine præjudicio sensus literalis. Unde ibidem allegoricè exponit talem fimbriam vestimenti Christi, de quo Luc. 8. *Quid est tetigit, nisi credidit?* non ideo tamen negat verè, realiter & literaliter tetigisse. Quomodò etiam conc. 1. in Psal. 68. allegoricè exponit solum Christi in cruce; sicut & solum, de qua in historia Samaritanæ: *Fidem quippe ipsius stitabat; & de cruce, cum diceret, sicut, fidem illorum quaerebat*. Nec ideo negat Christum verè, realiter & literaliter stitisse.

322 Arguunt 6<sup>o</sup>. ex lib. 20. contra Faust. c. 11. ubi Manichæos irridet, dicens: *Ore aperto expectatis quis inserat Christum, tamquam optima seipultura, faucibus vestris*.

Respondeo non irridere Manichæos, quod sentiant Christum in Eucharistia ore suscipi (scipsum enim irrideret, uti n. 319. vidimus); sed quod fabularentur, omnes arbores esse crucem Christi, de qua Christus deponeretur, & in sepulchrum inferretur, cum fructus ex arbore decerpi ore expectentur. Imò usque adeo delirabant, ut ipsis objiceret ibidem: *Vobis per fabulam vestram, in esum omnibus, Christus ligatus apponitur*. Et lib. de fide contra Manich. c. 34. *Dicitis magno errore...*

*Christum quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori... in cucurbitis, & in porris, & in portulaca, & in cæteris hujusmodi rebus. Magna ridicula, magna caecitas, &c.*

Arguunt 7<sup>o</sup>. ex lib. contra Adimant. c. 12. 323 *Non enim Dominus dubitavit dicere, hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*.

Respondeo 1<sup>o</sup>. Augustinum illic disputare contra Manichæos, qui Christo non tribuebant corpus verum, sed phantasticum, nec proinde de vero Christi corpore intelligebant verba Salvatoris, *hoc est corpus meum*, & per signum corporis sui, intelligere Sacramentum corporis sui, quod illius signum est non separatam, sed conjunctam. Siquidem Adimantus (quem ibi refellit) ut probaret contrarietatem veteris Testamenti cum novo, objiciebat Deuteronomio 12. *veritum esse carnem cum sanguine manducare, eò quod sanguis sit anima carnis*. Cui contrarium esse prætendebat Evangelium, dicens, non esse timendos eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quod falsum esset, si sanguis foret anima carnis. Ad quam objectionem duo respondet Augustinus. Primò in Deuteronomio id dictum de anima pecoris. In Evangelio de anima hominis. Secundò sanguinem eatenus in Deuteronomio dici animam carnis, quatenus signum est animæ præsentis; ad eòque præceptum illud Deuteronomii in signo esse positum. Quod declarat à simili: *Non enim Dominus dubitavit dicere, hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*. Cum enim sanguis signum sit animæ realiter præsentis, non absentis; ad eòque conjunctum, non separatam: cum Dominus dixit, *hoc est corpus meum*, signum dedit corporis sui realiter præsentis, non absentis, &c. quatenus dando corpus suum sub specie panis, dat signum corporis sui præsentis. Species namque panis, determinata per verba illa Christi, signum est corporis verè, realiter & substantialiter præsentis.

Respondeo 2<sup>o</sup>. probabiliùs ex solis illis Augustini verbis efficaciter non argui. neque pro nobis, neque pro Adversariis. Quia de Eucharistia mysterio Augustinus ibi non agit, nisi obiter, ad ostendendum quòd sanguis possit dici anima carnis, tametsi non sit nisi signum ipsius. Ad quod ostendendum cum duplici utatur exemplo, tum Eucharistia, de qua proximè; tum petra. (de qua 1. Cor. 10. *Petra erat Christus*, significativè utriusque) tam utitur exemplo signi conjuncti (quale est Eucharistia) quam signi separati, cujusmodi est petra illa. Cum verò ait: *Non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*, non explicuit de quo signo loqueretur, an conjuncto? an separato? Ex illa ergo Augustini expressione præcisè, nec efficaciter pro nobis argui potest, nec pro Adversariis. Sed pro eruenda circa hoc Augustini mente, ad alia clariora loca recurrendum, ubi hoc mysterium explicat.

Arguunt 8<sup>o</sup>. Augustinus in Psal. 3. dicit quòd *Christus Judam adhibuit ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram Discipulus commendavit, & tradidit*.

Respondeo ex dictis n. 311. patentissimum esse, neque ex isto Augustini testimonio, neque ex aliis ejusmodi, tum ipsius, tum aliorum Patrum expressionibus, contra veram, realem & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam argui posse: cum Augustinus sic admittat in hoc mysterio figuram, ut non excludat veritatem & realitatem corporis sanguinisque Christi. Neque certè scopus seu intentio ipsius eo loco id postulat, sed solum quòd eo in convivio Christus dederit signum unitatis & pacis. Ad quam ibi hortatur exemplo Christi, qui cum ipsemet Juda tradidit pacem perpe-



tud servare voluit. Quod probat tum ex osculo, quod ab ipso benigne suscepit, tum ex eo quod ipsum admiserit ad convivium, in quo pacis & unitatis signum tradidit. Convivium quippe Eucharisticum, & Sacramentum est corporis sanguinisque Christi, verè, realiter & substantialiter presentis, & signum sensibile unitatis & pacis. Idèdè verò Augustinus ibi potius dicit, Christum pro signo unitatis dedisse figuram corporis sui, quam corpus suum: quia corpus Christi, secundum se præcisè, non est sensibile signum istius unitatis, sed secundum species panis & vini, quæ in tantum sunt figura corporis & sanguinis Christi, in quantum sunt signum sensibile ipsius.

326 Arguunt 9<sup>o</sup>. ex concione in Pf. 98. *Non hoc corpus, quod videtis, manducatur estis, & bibitur illam sanguinem, quem sursuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquid commendavi vobis, spiritualiter intellectum vivificabit vos.*

Respondeo Augustinum non negare quod manducatur essent idem corpus quoad substantiam, sed quoad existendi modum: neque enim illud manducatur erant in statu mortali, passibili, visibili, & divisibili; in quo fuit quando visus fuit, & crucifixus; sed in statu immortalis, impassibili, invisibili, & indivisibili. Verba itaque ista: *Non hoc corpus, quod videtis, manducatur estis*, Lanfrancus optimè explicat dicens: *ipsum quidem, & non ipsum: ipsum invisibiliter, & non visibiliter.* Ipsum indivisibiliter, & non ipsum extensè, & divisibiliter: ipsum in statu immortalitatis, & impassibilitatis, & non ipsum in statu mortalitatis, & passibilitatis. Unde Augustinus subdit: *Esti necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est invisibiliter intelligi.* Neque enim Christi corpus in hoc Sacramento existit modo naturali, sed sacramentali. Propter quod dixit: *Sacramentum aliquid commendavi vobis.* Addendo verò, *spiritualiter intellectum vivificabit vos*, veram substantiam Dominicæ carnis non excludit, sed carnalem intellectum illius, qualis erat Capharnaitarum, qui putabant quod Dominus præcisus erat particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, ut ibidem Augustinus observat. Simili sensu ibidem dicit, quod Anna, mater Samuelis, *non carnaliter Samuellem habere voluerit*, non excludendo substantiam carnis, sed finem carnalem: quia ipsum habere voluit, ut Deo, non carni serviret. Quodque substantiam carnis Christi Augustinus non excludit ab hoc Sacramento, perspicue declarat, eodem loco dicendo: *De carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem (quam utique de carne Mariæ accepit, & in qua hic ambulavit) nobis manducandam ad salutem dedit.* Ipsam (inquam) in seipsa, non in figura, non in virtute vel effectu, sed ipsam carnem Verbo unitam, ideòque adorandam, prout aperte significant verba sequentia: *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

327 Arguunt 10<sup>o</sup>. ex lib. 3. de doctr. Christ. c. 16. ubi postquam dixit: *Si præceptura, Scripturæ, locutio flagitium aut facinus videtur jubere... figurata est: exemplificat in hisce verbis Christi Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: quia factus vel flagitium videtur jubere. Figura est ergo præcipiens Passioni Dominicæ commendandum, & suaveriter, atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.*

Respondeo verba Christi Joan. 6. non videri flagitium aut facinus jubere, nisi intellecta de carne Christi eo modo manducanda, quo à Capharnaitis putabatur, modo utique carnali, ferino & eructo, ipsam in partes scilicet masticando. Sic

proinde intelligendo, verissimè ab Augustino dici, quod figurata sit locutio, præcipiens communicare passionibus Christi. Sed quia nulla est apparentia flagitii vel facinoris, Christi carnem manducare, realiter quidem, & substantialiter, sed modo spiritali, indivisibili & incremto: hoc modo intellectam Christi locutionem Augustinus non vult esse figuratam, sed priori modo duntaxat.

328 Ecce quam inania sunt argumenta Berengarianorum & Calvinistarum ex Augustino, ut ostensum est ex ipsomet Augustino. Et profectò cum tota hæc Ecclèsa, omnesque Societates & Nationes Christianæ ipsum intellexerint in sensu à nobis allato; nimium petulantis ingenii est, illi sensui, ab omnibus recepto, ipsaque antiquitate & universalitate consecrato, Augustinianoque textui & scopo conformi, cum pauculis contradicere, conquisitisque obsecratoribus Augustini testimoniis, clariore textu ejusdem per ea obcurare; cum econtra ad obscuriores locutiones illustrandas (ut ipse ait l. 2. de doctr. Christ. c. 9.) de manifestioribus sumantur exempla, & quadam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant. Itaque sensus uno loco obcurus, per clariora alia loca est illustrandus. Quemadmodum enim hæreticorum est ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt male interpretari; ita solis est prudentiæ & pietatis Catholice, ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare, inquit Facundus Hermian. l. 9. c. 5.

## CAPUT XXV.

*Hæreticorum à ratione argumenta digna non sunt Philosopho, multo minus Theologo Christiano.*

329 **C**um adversus divinam omnipotentiam pugnent, ne refutatione quidem digna sunt. Quomodo (inquunt) corpus Christi, cum omnibus partibus suis, in cælo occupans sexpedale ut minus spatium, in Eucharistia redigi potest ad punctum? Quomodo accidentia panis & vini existere possunt sine subiecto? Quomodo idem Christi corpus existere potest extensum in cælo, inextensum in Sacramento? Quomodo torum & integrum in omnibus panibus consecratis, atque in infinitis propè locis? Quomodo corpus Salvatoris omnes aequaliter sumunt, sive qui comedunt magnum, sive qui comedunt parvum panem consecratum? Quomodo nutriuntur corpora nostra accepto Sacramento? Non enim nutriuntur ex substantia panis, quæ secundum nos per consecrationem esse desit. Neque ex substantia corporis Christi, utpote quæ in substantiam corporis nostri minime convertitur. Multo minus ex accidentibus solis panis & vini. Quomodo ex pane consecrato nascuntur vermes specie panis corrupta? Quomodo acetum, & spiritus vini provenit ex calice consecrato? Quomodo Deus purissimus non polluitur, dum à sordidissimis peccatoribus sumitur?

330 Ecce qualibus argumentis omnipotentia divina humana contradicit infirmitas, quam possidet vana! inquit Augustinus l. 22. Civ. Dei c. 11. Hæc utique objiciunt, qui ab Ecclèsiæ unitate divisi, dum fieri nolunt discipuli veritatis, magistri sunt erroris, ait S. Fulbertus episc. 1. At si Deum omnipotente credis, & hoc consequitur ut credas, hæc per Omnipotentem fieri posse, nec Deum purissimum magis pollui, dum os & stomachum peccatoris ingreditur, quam solares radios, dum in sordidissimam cloacham illabuntur.

331 Dic, quisque hæc objicis, an ea quæ dixisti, infinita Dei potentia ideò non potest, quia finitas intellectus tuus, quomodo ab Omnipotente fieri



possint, capere non potest? At recognosce infinites plura & maiora Deum facere posse, quam tu, & creaturæ omnes, etiam Angelicæ, capere valeatis. An Trinitatis mysterium idem impossibile, quia tibi, & creaturis omnibus incomprehensibile? An similiter mysterium Incarnationis? Ista utique mysteria Argant, & veteres hæretici similibus impetuntur arguentis, quibus tu mysterium Eucharistiæ. Quomoddò (inquirebant) Pater & Filius & Spiritus sanctus idem esse possunt in natura, & non esse idem in persona: cum quæcumque eadem sunt uni tertio, eadem sint inter se? Quomoddò æternus fieri potest temporalis? Immetus fieri parvulus? impassibilis pati, immortalis mori, &c.? Quomoddò factus infans exire potuit ex claufo Virginis utero, &c.?

332 Ad hæc igitur omnia una est responsio: apud homines hæc impossibilia sunt; apud Deum autem omnia possibilia sunt. Et, ut tolerabile sit quòd hæc obijciantur à Muhametanis; intolerabile profectò quòd similia obijciantur à Christianis, qui ex reliquis mirabilibus operibus Omnipotentis utcumque capere possunt, quòd hæc quoque possit Deus. Idem ergo corpus pluribus in locis simul ponere potest, qui plura in uno eodem loco; ut cum Christus exit è tumulo claufo, vel ad discipulos janus clausus ingressus est. Nec Christi corpus ad punctum spatii minus redigi potest Omnipotentis virtute, quam Camelus per foramen acis transire. Quod Deo possibile Christus Matth. 19. contestatur. Nec Deo difficile miraculum, quo corpus Saluatoris æquè integrum sumunt, siue qui magnum, siue qui paruum panem consecratum sumunt; quàm miraculum illius miraculi præfiguratum, olim paratum in Manna, de quo, nec quis plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus. Exod. 16. Neque cæteræ difficultates apud Deum sunt difficultates, qui in hoc mysterio memoriam facere voluit mirabilium suorum, multaque proinde miracula facere, ad miraculum miraculorum maximum occultandum. Vide tamen infra num. 382. & ex ibi dicendis apparebit, quòd dum corpora nostra nutriuntur accepto Sacramento, non nutriuntur ex substantia corporis Christi, neque ex substantia panis, quæ remanserit, neque ex folis accidentibus, sed ex substantia miraculosè de novo creata, idem præstante quòd substantia illa panis præstitisset, si remansisset. Et simili modo ex pane consecrato, siue potius, ex materia creata in locum illius, generantur vermes, & alia consequuntur, quæ in objectione tanguntur.

333 Nec opus est ad obijcta illa plura addere, quæ Catholici solent in Physica copiosius dissolvere, & ad quæ sancti Patres ne quidem dignati sunt respondere, considerantes, quòd ut Ermulfus Rosenfis Episcopus ait ipse. to. 2. pag. 440. has nosas disputaciones illi obijcere solent, quos amor humane laudis, quos favor fatigat popularis, qui gaudent imperitis scrupulosarum parare laqueos questionum, quibus sacrarum non sufficit robur scripturarum; quibus potius est sequi rationem sapientie secularis, quæ stulta facta est à sapientia Dei, quam fidei veritatem, quæ inscrutabilis penetrat, & rationis impotentiam pertransiens, ascendit usque ad ipsum numum Dei. At iustus ex fide vivens, humiliter sequens, non sensum suum preferendo, sed Domini sui mandata reverenter amplectendo, omnia credit, quæ Spiritus sanctus credenda esse præcipit. NON QUÆRENS QUOMODÒ HOC VEL ILLUD ESSE POSSIT, sed ad omnia divinitus imperata, quæ legit, vel audit, utpote mitis & humilis corde, humillimè acquiescit.

334 Hanc etiam viam inuisit videtur Concilium Tridentinum sess. 13. c. 1. dum sic loquitur: Nos

enim hæc inter se pugnant, ut ipse Saluator noster semper ad dexteram Patris in calis affideat, iuxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, eadem existens ratione, quam est verbis exprimeret vix possumus, possibile tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, esse qui possumus, & constantissimè credere debemus. Ita etiam Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, &c.

## CAPUT XXVI.

Corpus & sanguis Christi non sunt realiter & substantialiter in Eucharistia per impanationem; sed per veram realemque transubstantiationem, seu conversionem totius substantie panis in substantiam corporis, & totius substantie vini in substantiam sanguinis Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.

Est fidei veritas, contra Calvinistas & Lutheranos, ab eodem Concilio Tridentino definita sess. 13. c. 4. his verbis: Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerbat, verè esse dixit; idcirco per suam semper in Ecclesia Dei fuit, idcirco nunc denudata hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantie panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantie vini in substantiam sanguinis eius. Quæ conversio convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata. Et can. 2. Si quis dixerit in sacrosanct. Eucharistia Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantie panis in corpus, & totius substantie vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia apostolicè Transubstantiationem appellat. anathema sit.

Hoc anathema specialiter pertingit Lutherus, in hoc mysterio impanationem docens, & transubstantiationem negans. Vult enim quòd substantia panis & vini in eo remaneat realiter unà cum corpore & sanguine Christi. Sed Catholica veritas (quam ante Tridentinum definitierant Concilia. Later. sub Innoc. III. cap. firmiter de sum. Trin. Constantiense sess. 8. & Florentinum in Decreto de Sacram.) fundatur in veritate verborum Christi, hoc est corpus meum. Neque enim Chilitus ait: in hoc latet corpus meum, vel cum hoc est corpus meum, vel hic est corpus meum: sed hoc est corpus meum. Quod non esset verum, si substantia panis sub propria specie, seu propriis accidentibus ibi remaneret. Quia pronomen hoc demonstraret panem: sensus proinde foret, panis est corpus meum. Quod aperte falsum est: cum nulla sit identitas inter panem & corpus Christi. Omnis verò prædicatio unius de alio in communi omnium sensu affirmatio est identitatis, inter utrumque. Si enim absque illa identitate, unum de alio prædicare liceret, de nihilo aliquid, de tenebris lux, de luce tenebræ, de Christo Belial, de Belial Christus prædicari possent. A quo abhorret communis sensus omnium.

Quòd autem pronomen hoc demonstraret substantiam panis, si ibi sub propria specie remaneret, tamen etiam corpus Christi ibi esset, probatur, quia quando due substantie simul sunt in eodem loco, quarum una ibi ad sensum est sub propria specie, altera ibi ad sensum non est sub propria



pria specie, tunc pronomen demonstrativum *hoc*, ex communi hominum sensu, ad sensum demonstrat substantiam sub propria specie ibi sensibilibiter existentem; non substantiam ibi invisibilibiter delitescentem. Tametsi enim Deus invisibilibiter sit in pane: panem communem habens in manu, ex communi usu & sensu hominum verè dicere nequit: *hoc est Deus*. Et dato quòd in eo invisibilibiter esset Angelus, vel dæmon, dici non posset: *hoc est Angelus, hoc est dæmon*. Neque dum Christus resurgens in eodem loco invisibilibiter fuit cum lapide sepulchrali, cum pariete, vel janua cenaculi (dum januis clausis ad discipulos ingressus est) demonstrato eo quod ibi videbatur, verum fuit dicere: *hoc est Christus*. Quia pronomen *hoc* (in istis casibus) ex communi usu & sensu in ejusmodi propositionibus demonstrat hoc quod sub propria specie ibi sensibilibiter & visibilibiter existit: ad hoc sensus est: *hic panis est Deus, Angelus, dæmon, hic lapis, hic paries est Christus, &c.* Quod cum falsum sit, solum dici potest, in *hoc*, vel *cum hoc*, vel *hic est Deus, Angelus, dæmon, Christus, &c.* Similiter ergo in hoc mysterio solum dici potest: *hic est corpus meum: in hoc, vel cum hoc est corpus meum*. Non, *hoc est corpus meum*.

338 Et ista est ratio, propter quam ex veritate verborum Christi *persuasum in Ecclesia Dei semper fuit*, substantiam panis in hoc mysterio non remanere, sed in corpus Christi transubstantiari; idè enim (Tridentino teste) *id persuasum in Ecclesia Dei semper fuit, quoniam Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerbat, verè esse dixit*. Igitur persuasum in Ecclesia Dei semper fuit, verba Salvatoris, *hoc est corpus meum*, non fore vera, si substantia panis sub propria specie, cum corpore Salvatoris ibi remaneret.

339 Itaque ex universali illa persuasione, quæ in Ecclesia Dei semper fuit, atque ex dictis cap. 17. 18. & 19. in omnibus totius Christiani Orbis Societatibus & Nationibus, usque in hodiernum diem perseverat, veritas verborum Salvatoris postulat definitionem substantiæ panis, sub specie panis, conversionemque ipsius in substantiam corporis Christi. Quia ex communi hominum sensu verè dici nequit: *hoc contentum sub hac specie panis est corpus meum*, quamdium substantia panis ibi est sub propria specie. Quamdium enim ibi est, ex communi hominum sensu & usu per pronomen *hoc* ad sensum demonstrat, & sic veritas propositionis Christi tollitur.

340 Rectè proinde Guitmundus l. 3. de verit. corp. & sang. Dom. *Hos impanatores suo ipse Dominus verbo oris sui interfecit, cum accipiens panem, gratiaque agens, ac benedicens ait: hoc est corpus meum. Non ait: in hoc latet corpus meum. Nec dixit: in hoc vino est sanguis meus. Sed dixit: hic est sanguis meus.*

341 Rectè sancti Doctores, rectè Nationes omnes Christianæ ex verbis Salvatoris transubstantiationem, seu conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, cum universa Ecclesia concluderunt, seu potius in ipsis Salvatoris verbis contenta agnoverunt. Idèdum dum Lutherus, vel etiam Scotus & Durandus (hac in re nimia subtilitate evanescentes, cumque Catholicis omnibus sic credentes transubstantiationem, ut veritati verborum Christi præjudicare non credant impanationem) negant transubstantiationem in verbis Domini contineri in re; perinde est ac si factio suo dicant: omnibus quidem Christianis Societatibus & Nationibus, omnibus etiam sanctis Doctores, totique Ecclesiæ Dei persuasum est, transubstantiationem in verbis Salvatoris, *hoc est corpus meum*, contineri. Sed ego Lutherus, ego Scotus, declaro non contineri, meaque autoritate confirmo: melius namque assequor sensum sacrorum ver-

Tom. III.

borum illorum, quàm omnes hæcendū Christiani, omnes Patres, cum universa Christi Ecclesia, affecuti fuerint. Quod profectò ridiculum est, nec sapienter dici potest.

Quòd autem toti Ecclesiæ persuasum semper 344 fuerit, transubstantiationem Christi verbis contineri, Concilii Tridentini Patres id attestantes n. 338. audivimus. Quòd etiam omnibus Christianis Societatibus & Nationibus id hæcendū persuasum fuerit, constat ex dictis cap. 18. & 19. Quòd denique sanctis etiam Doctoribus passim omnibus id persuasum fuerit, ex ipsorum testimoniis demonstratur. Quid enim expressius, quàm quod Tertullianus l. 4. contra Marc. c. 40. ait: *Acceptum panem... corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo?*

Quid expressius, quàm quod Gregorius Nyssæ 343 nus orat. Catech. c. 37. ait: *Rectè ergo nunc quoque Dei verba sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari virtute benedictionis, in illud transelementatā eorum naturā.* Quòdque Cyrillus Hierosolymitanus Catech. mystag. 4. dicit: *Cum igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, ac dicente: hic est sanguis meus; quis (inquam) dubitet, ac dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando convertit in vinum... Et non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem verbis illis transmutasset?*

Quid expressius, quàm illud Ambrosii l. de ini- 344 tiant. c. 9. *Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur... Forte dicas: aliud video: quomodo tu mihi dicis quòd corpus Christi accipiam? Probemus non hoc esse quòd natura formavit, sed quòd benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis (id est consecrationis) quàm naturæ: quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebas Moyses, projecit eam, & facta est serpens... Si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Et l. 4. de Sac. c. 4. *Panis iste; panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi... sermonibus Domini Jesu... Si enim tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur?**

Quid expressius, quàm istud S. Cæsarii homil. 345 7. de Pasch. *Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui convertit... In Christi substantiam terrena & mortalia commutantur?*

Et nonne pari expressione S. Gaudentius Episcopus Brixienfis tr. 2. in Exodum: *quod annuntiatum est credas, quia quòd accipis, corpus est panis illius celestis, & sanguis illius sacre vitis: nam cum panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Credamus... Ipse naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia & potest, & promissus, efficit proprium corpus. Et qui aquam vinum fecit (per transubstantiationem aquæ in vinum, in Cana Galilææ) de vino sanguinem suum (simili transubstantiatione) facit dicendo: *hic est sanguis meus.**

Et Chrysostrabus homil. 83. in Matth. *Non sunt 346 virtutis humane ea opera, quæ tunc in cæna consecravit Christus, dicendo: hoc est corpus meum, &c. ipse quoque nunc operatur & perficit. Qui autem hæc sanctificat & transmutat ipse est. Et homil. de prodit. Judæ, hoc est corpus meum, Sacerdoticus: hoc sanè dictum proposita munera convertit, atque transmutat.*



348 Et S. Germanus ep. Const. Theor. rer. Eccl. to. 8. Biblioth. Patrum: *Obsecrat Sacerdos, ut fiat, sive transmutetur ipse panis & vinum in corpus & sanguinem Christi.*

349 Et Damascenus l. 4. fid. orthod. c. 4. ex eo quod *Christus non dixit, hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum*, postea deducit, quod ad illa verba supervenit Spiritus sanctus, per quem panis fit corpus Christi. ... *Quod si queras (inquit) quo pacto id fiat? satis tibi sit audire, quod per Spiritum sanctum id fiat; quemadmodum ex sancta Dei Matre per Spiritum sanctum, Dominus sibi ipsi carnem condidit: nec quidquam amplius nobis perspicuum & exploratum est, quam quod verbum Dei (hoc est corpus meum) est verum & efficax, atque omnipotens ut ea efficiat, que nulla ratio humana queat indagare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per manducationem, & vinum & aqua in bibentis & comedentis corpus & sanguinem immutatur; sic panis & vinum, que proponuntur in altari, per sancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.*

350 Et Paschasius l. de corp. & sang. Dom. Sensibilis res, panis scilicet & vinum, intelligibiliter virtute Dei, per verbum Christi, in carnem ipsius & sanguinem divinitus transfertur. Similia videri possunt apud Amalarium & Drummarum (Spicil. to. 7.) Remigium Antisdior. in cap. 10. Epist. 1. ad Cor. Bedam homil. hiem. de SS. Epiaphan. Fulbertum Carnoensem epist. 1. Algerum l. 1. de corp. & sang. Dom. c. 6. ubi absurdissimam de impanatione heresim, suo tempore exortam, refellit.

351 Finio cum Euthymio & Theophylacto. Quorum ille cap. 64. in Matth. explicans verba Christi, *hoc est corpus meum*, dicit, quod idem Christus non dixit: *hec sunt signa corporis & sanguinis mei, sed hec sunt corpus meum.* Quia, quemadmodum supernaturaliter assumptam carnem dolescit, & hec (panem scilicet & vinum) ineffabiliter transmutat in vivificum corpus, & in ipsum pretiosum sanguinem suum. Theophylactus vero in cap. 26. Matth. dicens: *hoc est corpus meum*, ostendit quod ipsum corpus Domini est panis qui sanctificatur in altario. *ineffabilis enim operatione transformatur. Et adeo panis quidem apparet, sed revera caro est.* Et in cap. 14. Marci: *hoc est corpus meum...* Non enim figura & exemplar quoddam Domini corporis panis est, sed in illud ipsum convertitur corpus Christi.

## CAPUT XXVII.

*Satis sit argumentis contradicentium hareticorum.*

352 Obijciunt 1.º in Evangelio nulla sit mentio transubstantiationis, nec apud Matthæum, nec apud Marcum, nec apud Lucam, sicut nec apud Paulum. Quia nihil ibi legitur de mutatione substantiæ panis in substantiam corporis Christi, cujus saltem mentio fieri debuit in descriptione historici institutionis hujus mysterii.

Respondet Lutheranos & Calvinistas sic obijciendo 1.º. egregios esse imitatores Arianorum, Sabellianorum, &c. qui simili modo obijciebant in Scriptura nullam fieri mentionem Trinitatis, quia nulla Scriptura dicit quod natura Patris Filio communicetur, non communicata paternitate, quodque Filius ita sit realiter unum cum Patre in natura, ut non sit realiter unum in persona. Cui objectioni quemadmodum occurritur, dicendo, quod Trinitatis mysterium comprehendatur in his Scripturæ verbis: *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, &*

*hi tres unum sunt.* 1. Joan. 7. Quia Joannes declarando distinctionem Personarum, earumque unitatem, id totum comprehendit, quod tangitur in objectione Arianorum & Sabellianorum. Sic objectioni Lutheranos & Calvinistas occurritur, dicendo, quod Christus mutationem substantiæ panis in substantiam corporis sui comprehendit, dicendo: *hoc est corpus meum*: cum enim in hisce verbis omnes Patres, omnesque Christiane Nationes & Societates eum univ. Eccl. Eccl. comprehensam intelligant mutationem substantiæ panis in substantiam corporis Christi, solique Lutherani & Sacramentarii id negent, ipsorum est probare, non supponere, quod non comprehendatur, ipsique hodie merito regerimus, quod Manichæis olim Augustinus: *Vos tam parci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, quin dignum auctoritate, contra fidem omnium sæculorum, unanimesque intelligentiam omnium Patrum, totiusque Ecclesiæ, nihil proferatis.*

Obijciunt 2.º. transubstantiationis nomen est in Ecclesia novum: neque enim in Scripturis à Spiritu sancto, neque ab Apostolis, neque à Patribus usurpatum legitur, sed à Concilio Lateranensi post 1200. annos in Ecclesiam inductum.

Respondet similiter Arianos consubstantialitatis nomen olim catamutatos fuisse. Quibus sicut Ecclesia per Athanasium respondit satis esse quod res illo nomine significata, non esset in Ecclesia nova, sed in Scripturis & Patribus declarata; quam Ecclesia novo vocabulo idem expressisset, ad novam heresim opportuno vocabulo significantius retundendam: sic illud idem sibi repositum accipiant Lutherani.

Obijciunt 3.º. Ambrosium l. 4. de Sacram. c. 354. dicentem: *Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut imperant esse que non erant; quanto magis operatorius est, si sint que erant, & in aliud commutentur.* Ergo cum corpore & sanguine Christi manent, que erant substantia scilicet panis & vini.

Respondet negando consequentiam. Tum quia in aliis codicibus legitur: *quanto magis operatorius est, ut que erant, in aliud commutentur*, ut Lanfrancus observat. Tum quia panis & vinum in Eucharistia sunt que erant quoad accidentia sua, & in aliud commutantur quoad substantiam.

Obijciunt 4.º. Chrysostrum in epist. ad Casarium Monachum, ubi sic: *Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus: divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem appellatione panis; dignus autem habitus Domini corporis appellatione; etiam si natura panis in ipso permansit. & non duo corpora, sed unum corpus Filii predicatur, &c.*

Respondent aliqui nullam Chrysostrum ad Casarium epistolam extare, illamque, que obijciunt, supposititiam esse. Sed quia Emericus Bigonius obijctæ epistolæ codicem manuscriptum in Bibliotheca PP. Dominicianorum Florentiæ comperit, aliter

Respondet nihil in epistola ista contrarium esse transubstantiationi, imò transubstantiationem in ea aperte tradi: si enim post consecrationem jam non duo corpora, sed unum corpus Filii Dei: igitur post consecrationem non manet panis in substantia. Aliàs in corpore Filii corpus esset panis; duoque proinde corpora. Per naturam ergo panis, quam cum corpore Christi dicit permanere, non intelligit corpus, seu substantiam, vel naturam interiorem panis, seu naturam strictè & in philosophico rigore acceptam, prout ab accidentibus distinguitur, sed complexionem accidentium seu qualitatum sensibilem, quibus quidpiam vel quispian dicitur esse talis vel talis naturæ, unus



naturâ frigidus, alter calidus, &c. Neque enim vox *natura* à Scriptoribus antiquis in illo semper rigore philosophico sumitur, sive apud Græcos, sive apud Latinos; sicut neque vox *substantia*, prout constat ex eo quod Hilarius can. 10. in Matth. in Resurrectione futurum esse dicat, *ut caro nostra refundatur in naturam spirituum animæ*. Et idem est de voce *essentia*, quâ veteres Patres Græci & Latini non semper utuntur ad significandum aliquid à proprietatibus distinctum, sed sæpe ad significandas ipsasmet proprietates: naturam enim, substantiam & essentiam rei accipiunt, non secundum quod in se est, sed secundum quod sub sensum cadit, remque unam ab alia sensibilibiter discernit; præsertim cum ipsa quoque accidentia essentiam, adeoque naturam & substantiam suam habeant, voces istas non in rigore metaphysico, sed secundum frequentem sermonis usum accipiendo. Nihil proinde ex istis vocibus, utpote nimium æquivocis, & variæ acceptionis, hæretici concludere possunt.

357 Obijciunt s<sup>o</sup>. Theodoretum, Lutherani contra transubstantiationem, Calvinista contra realitatem Christi in Eucharistia præsentiam. Utrique ex Dialogis ipsius contra Eutychnianos, in quibus Catholicum introducit sub nomine *Orthodoxi* disputantem contra Eutychnianum sub nomine *Eranisti*. Calvinista obijciunt ipsum Dialogo primo dicentem, quod Dominus in hoc mysterio nomina mutavit, corporique dedit symboli nomen, symbolo nomen corporis, & quia sibi metipsum dedit nomen vineæ, symbolo dedit sanguinis nomen. *Volebat enim* (inquit) *eos qui sunt mysteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur, sed propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratia, credere.*

358 Et confirmatur, quia Theodoretus eo Dialogo probare intendit contra Eutychnianum, Verbum (utpote immutabile) non esse factum carnem per mutationem sui in carnem, sed per carnis assumptionem, eâ se induendo tamquam velamine. Quod probat ex Hebr. 10. *Initiavit vobis viam novam per velamen, id est carnem suam*. Quodque carnem assumptionem tamquam vestimentum, probat ex Genetis 49. ubi Jacob de Messia loquens: *Lavabit* (inquit) *in vino stolam suam, & in sanguine vineæ pallium suum*. Per stolam enim, palliumque, Christi corpus intelligitur. Neque enim vestimenta sua à carne sua distincta, Salvator lavasse legitur in sanguine vineæ; sed cum de se ipse dixerit: *Ego sum vitis vera*, istius vineæ fructus sanguis est Christi. Scimus autem ex vulneribus Salvatoris fontes sanguinis in reliquum corpus ipsius fluxisse; ideoque Prophetam merito prædixisse, quod lavaret in vino stolam suam, & in sanguine vineæ pallium suum: *Sicut enim nos mysticum vitis fructum post sanctificationem, sanguinem Dominicum appellamus; sic vere vitis sanguinem vineæ sanguinem nominavit*. Sic etiam corpus suum Christus nominavit panem, & carnem frumentum, & in institutione Eucharistiæ visibilia symbola corpus & sanguinem appellavit, sed naturam non mutavit: *qui enim corpus naturale frumentum & panem appellavit, & vitem rursus seipsum nominavit, si visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed naturam gratiam addens.*

359 Secundus locus Theodoreti, cui Lutherani multum insistant, desumitur ex Dialogo secundo, ubi Eranistes dicit: *Retibus, quæ ipse texisti, captus es*: Neque enim symbola mystica, post sanctificationem recedunt à sua natura: manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videntur tangique possunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur.

360 Verum-enimverò, nec Lutherani, nec Calvi-

nista gloriabuntur Theodoretum esse suum, si ad duas reflectant regulas. Prima, quod cum verisimile non sit, Authorem celeberrimum in re magni momenti varium fuisse, sibi que contrarium; vera intelligentia cujusque expressionis ipsius talis esse debet, ut cum cæteris expressionibus ipsius concordet. Cumque probabile non sit doctissimum Theodoretum in puncto Eucharistiæ à sui temporis Ecclesia discordasse: necessariò conficitur, sensum cujusque expressionis ipsius conformem esse sensui Orthodoxorum sui temporis, cæterarumque expressionum ejusdem Theodoreti, ita ut ex dictis sensibus, si unus concordet cum sensu Orthodoxorum sui temporis, cæterarumque expressionum Theodoreti; alius verò sensus non concordet; ille, non iste, haud dubiè habendus sit genuinus & verus.

361 Secunda regula est, quod sensus verus alicujus expressionis desumendus non sit ex sola literali significatione singulorum terminorum, sed ex conjunctione omnium, & idem quæ ex ejusmodi conjunctione fideles concipere solent. Unde quia fideles, audita hac propositione, *Verbum caro factum est*, concipere solent verum esse factum hominem, verus sensus istius propositionis est, quod Verbum non solum assumpsit carnem, sed corpus & animam hominis. Et quia per mutationem Eucharisticam fideles intelligere solent non qualemcumque, sed substantialem; deca intelliguntur Patres, dum in Eucharistia dicunt panem in Christi corpus converti, seu mutari. Hoc posito

Ad primum Theodoreti locum respondeo, Calvinista inde perperam concludere, quod sicut Genet. 49. sanguis Christi non vocatur sanguis vineæ in sensu proprio, sed metaphorico; ita fructus vineæ à Theodoro non vocetur sanguis Christi in sensu proprio, sed metaphorico. Quia expressiones istas Theodoretus in eo comparat, in quo habent similitudinem; non in eo in quo Theodoretus ipse earum agnoscit dissimilitudinem. In eo similitudinem habent, quod sicut Christus seipsum vineam & frumentum appellat, & sanguinem ipsius Propheta vineæ sanguinem vocat, & Christus corporis sanguinisque nomine honoravit id quod naturâ suâ panis erat, & vinum; sic panis & vinum naturâ suâ haud magis sunt corpus sanguisque Christi, quàm Christus ipse naturâ suâ vitis sit & vinum. In eo verò dissimilitudinem agnoscit Theodoretus, quod Christus, vocando se vitem, se non mutavit in vitem; neque vocando se panem, se mutavit in panem; nec proinde fecit, ut panis vitisque nomina sibi realiter convenirent: sic verò panem vocavit corpus suum, ut panem realiter mutaverit in corpus suum; sic etiam vinum appellavit sanguinem suum, ut ipsum realiter mutaverit in sanguinem suum; sicque posteriores expressiones in reali conversione fundantur, non priores.

362 Quod autem Theodoretus hanc dissimilitudinem agnoverit, inter priores posterioremque expressiones; quod (inquam) agnoverit nomina panis & vini Eucharistici à Christo mutata esse in nomina corporis & sanguinis sui, reipsâ convertendo panem vinumque in corpus & sanguinem suum, constat 1<sup>o</sup>. ex eo quod in priori loco sic seipsum explicet: *Volebat enim eos qui divini mysterii participant, non attendere naturam eorum quæ cernuntur, sed per nominum mutationem, mutationi, quæ ex gratia facta est, fidem adhibere*. Vult ergo mutationem nominum factam, propter mutationem quæ in hoc mysterio realiter facta sit per gratiam; vult (inquam) mutationem nominum, in hoc mysterio ideo factam, ut fidelis quisque crederet mutationem quæ in re sit per gratiam. Id enim expressè declarat, dum de us loquitur, qui mysteriis participant, ipsique ju-



- bet non attendere ad naturam rerum quæ videntur, sed credere mutationem ex gratia factam.
- 363 2<sup>o</sup>. idipsum amplius constat ex posteriori loco, ubi explicans, qualis sit ista per gratiam facta mutatio: Est enim (inquit) mutatio quæ non cernitur oculis, sed mente intelligitur: *intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.* Hæc Theodoretus expressè dicit de pane & vino, quæ Christi corpus & sanguis appellantur. Nihil autem simile dicit de Christo, dum vitis & frumentum nominatur. Neque enim Christus intelligitur, neque creditur factus vitis & frumentum, neque adoratur ut factus vitis & frumentum. At verò panis & vinum intelliguntur & creduntur illa quæ facta sunt, corpus scilicet & sanguis Christi, & ut facta corpus & sanguis Christi adorantur.
- 364 3<sup>o</sup>. idipsum constat ex eo quòd expressio illa Theodoretii desumpta sit ex Liturgiis in Ecclesia tunc usurpatis, invocationeque Sacerdotis, de qua paulò antè facta est. Per istam namque invocationem Sacerdos expressè postulat à Deo, ut panis & vinum à Deo fierent corpus sanguisque Christi. Quem fuisse Ecclesiæ loquendi modum Theodoretii tempore certum est ex Constitutionibus Clementis, Eusebio Cæsariensi, Cyrillo Hierosolymitano, Gaudenzio, & Augustino.
- 365 4<sup>o</sup>. ipsemet contextus id manifestat: in eo namque Eranistes Orthodoxum compellit ad confitendum, quòd symbola, quæ ante consecrationem vocabantur panis & vinum, post consecrationem vocentur corpus & sanguis Christi. Et ut ostendat se non loqui de nominibus sine re, concludit sic: *Es credis te corpus Christi, & sanguinem percipere?* Respondet Orthodoxus: *Ita credo.* Ergo (infert Eranistes) *mutatus est panis.* Utique in corpus Christi, quod se percipere Orthodoxus proximè confessus est: quippe idè Eranistes ipsum compulsi ad id confitendum, ut ex ista confessione inferre possit, uti de facto infert, quòd symbola alia sint ante consecrationem, alia post consecrationem, per eamque proinde mutantur, utique in corpus sanguinemque Christi. Dum ergo Theodoretus subiungit, quòd symbola *intelliguntur ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur*, ex toto illo discursu & contextu manifestum est, ipsum velle, quòd symbola post consecrationem id reverà sunt quod facta sunt, adeoque reverà mutata in id quod reverà facta sunt.
- 366 Neque ergo prior Theodoretii locus favet Calvinistis, neque posterior Lutheranis; sed uterque stabilit realitatem corporis sanguinisque Christi in hoc mysterio, transubstantiationemque panis & vini in ipsum, juxta communem isto tempore Ecclesiæ Catholicæ sensum.
- 367 Ad cuius majorem evidentiam, observandum, quòd scopus Theodoretii in secundo Dialogo est Eutylianorum hæresim confutare, qui hoc in puncto Apollinaris errorem sectantes, docebant unicam esse in Christo naturam. In quo licet omnes convenirent, in explicationis modo non conveniebant. Inter varios porò explicationis modos, unus erat, quòd cum Dei Filius sibi naturam copulavit humanam, de Virgine sumptam, ex utraque natura, divina & humana, sic facta esset una, ut humanam divina absorbuisset, sicut gutta mellis, in mare projecta, absorberetur à mari. Et iste est modus, contra quem Theodoretus pugnat in isto secundo Dialogo.
- 368 Modum verò istum Theodoretus sic intelligebat, atque intellectum impugnabat, ut natura humana divinæ unita, ex mente Eutychiani (contra quem agit) in naturam divinam mutata esset, ita ut non foret amplius ejusdem speciei cum natura nostra, nec retineret proprietates, & caracte-
- res naturæ nostræ, nec spatium post Ascensionem circumscripta foret. Theodoretus econtrà probat Christi corpus, etiam post Returrectionem & Ascensionem, fuisse circumscriptum, visibile, palpabile, retinuisseque formam, figuram, essentiamque humani corporis.
- Cumque ad id probandum ex mysterio Eucharistiæ arguisset, Eutychianus ex eodem mysterio pro se arguit similiter: cum enim Orthodoxus confessus fuisset symbola post consecrationem vocari corpus & sanguinem Christi, corpusque & sanguinem Christi percipi in hoc mysterio, inde Eutychianus concludit: *Sicut ergo symbola Domini corporis & sanguinis alia sunt ante Sacerdotis invocationem, per invocationem verò mutantur, & alia fiunt, ita Dominicum corpus post Ascensionem in divinam substantiam mutatum est.*
- Cui Theodoretus respondet, symbola quidem 370 mutari in corpus sanguinemque Christi, taliaque credi, & ut talia adorari, sed ex hoc non sequi intentum Eutychiani, imò sequi contrarium: quia sicut symbola non amittunt figuram panis & vini, remanentque sensibilia ut antè, cæterisque panis proprietates retinent; sic corpus Christi figuram & formam non amisit humanam, nec proprietates, qualitatesque corporis humani: *Retibus, quæ ipse texisti, capus es. Neque enim symbola mystica, post suam sanctificationem recedunt à sua natura: manent enim in priorè substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius. Intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur. Confer igitur imaginem cum archetypo. Et videbis similitudinem. Uporter enim figuram esse similem veritati. Illud enim corpus priorem habet formam, & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam, immortale autem post Resurrectionem, & immune à corruptione factum est, sedemque à dextris adeptum ab omni creatura adoratur. Quia Domini natura corpus appellatur.*
- Rectè Theodoretus at: *Confer igitur imaginem 371 cum archetypo: quia Eranistes argumentatus fuerat, non à pane & vino, sed à symbolis, id est à speciebus panis & vini, ad corpus Christi jam glorificatum, velut ab imagine ad archetypum. Et inde Theodoretus intulerat, symbola illa veri corporis Christi esse symbola: Upterimè, oportet enim imaginis esse archetypum, nam & picturæ naturam imitantur, & eorum quæ videntur pingunt imagines.* Si igitur divina mysteria antypa sunt corporis veri: corpus ergo Domini nunc quoque corpus est, non in divinitatis naturam mutatum, sed divinâ gloriâ repletum. Itaque argumentum Eutychiani inferentis naturam humanam in Christo conversam in naturam divinam, ex eo quòd panis in Eucharistia conversus sit in corpus Christi, Orthodoxus benè retorquet dicens: in Eucharistia non solum est Christi corpus, sed vera quoque panis accidentia & proprietates (uti Eranistes admittebat) ergo similiter in Christo vera sunt accidentia & proprietates corporis. In Christo proinde verum est corpus; cum accidentia illa (tametsi absque subjecto esse queant) secundum Scripturam tamen verè Christum afficiebant (propterea enim Christus flevisse dicitur, tristis, fatigatus, passus fuisse, comedisse, &c.) non secundum naturam divinam. Ergo secundum humanam. Ab Eucharistia proinde ex concessis ab Eraniste validum argumentum Orthodoxus apud Theodoretum deduxit. Sed quid vel apparenter contra transubstantiationem inde deduci queat, non apparet.
- Objiciunt 6<sup>o</sup>. Gelasium I. adversus Eutychem & Nestorium, dicentem: *Non desinit esse substantia, vel natura panis & vini.*
- Respondet hæc Gelasium non esse Pontifi-



cem Romanum, sed Gelasium Cyzicenum (Scriptorem Græcum, qui vixit tempore Basilici Tyranni) uti cum aliis eruditus Baronius offendit. Nondum exortis quidem adversariis transubstantiationis, liberiori usus expressione, dixit substantiam vel naturam panis & vini remanere, sed de symbolis id intelligens, more istius sæculi, ut de Theodoro vidimus. Symbola quippe in Christi corpus mutari, unamque ex ipsis & corpore Christi naturam constari contendebant Eutychiani, ut inferre possent corpus Christi in divinitatem pariter transformari. Sed antecessens negabant Orthodoxi, panis hypostasim delinere dicentes, manentem symbolorum, non hypostasi, sed usâ, seu essentia, quam & naturam, & substantiam legitimo sensu appellabant. Utenim supra dixi, habent accidentia certo sensu substantiam suam, tamen juxta Aristotelis apices (in quos nec Græci nec Latini Patres jurabant) substantiæ accidentia opponantur. Perperam ergo Gelasius objicitur, tamquam adversariis transubstantiationis, pro qua eodem libro aperte se expressit, dicens: *panem mutari Spiritu sancto perficiente in divinam naturam, seu substantiam. Quod quid est, nisi transubstantiationem exprime?*

373 Obijciunt denique Rupertum, qui impanationis assertor etiam Baronio & Bellarmino visus est, quia revera lubricè hac de re locutus est l. 2. in Exodum l. 6. in Joan. & l. 2. Offic. c. 2. & 9. Verum imprimis à Berengario, adeoque & Calvini se abhorreere sententia proficitur in epistola nuncupatoria Commentariorum in Joannem. Deinde in fine ejusdem expressè dicit, *panem & vinum in veram corporis & sanguinis Domini transire substantiam. Quæ ipsissima est transubstantiationis doctrina. Quam confirmat l. 2. Offic. c. 2. dicens, quod panis & vinum in verum corpus & sanguinem Domini transformantur. Denique quæ in contrarium dicere videtur l. 2. in Exodum, l. 6. in Joan. &c. benignam patitur expositionem, sententiamque Catholicam. Cum enim permanere ait panis substantiam, id ait cum modificatione, secundum exteriorem speciem, quæque sensibus subactam, sive substantiam visibilem, prout in Joannem loquitur. Non loquitur ergo de substantia prout accidentibus opponitur. Solum etiam negat accidentia panis, in accidentia Domini corporis converti, dum ibidem ait, *panem & vinum non mutari in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem. Denique dum dicere videtur, panem eodem modo à Verbo assumi, quo humanitatem, non vult panem Verbo hypostaticè unitum fuisse, sicut humanitatem, sed idem Verbum, quod assumptum humanitatem, convertere substantiam panis in substantiam corporis à se assumpti. Unum enim mysterium per aliud explicavit, mysterium videlicet Eucharistiæ per mysterium Incarnationis (cujus est extensio) falsis utriusque mysterii differentiis.**

## CAPUT XXVIII.

*Transubstantiatis pane & vino in corpus & sanguinem Christi, in hoc mysterio species sacramentales remanent sine substantiali subjecto, tamdiuque Christi corpus & sanguis sub illis remanent, quamdiu substantia panis & vini sub illis remaneret, si per consecrationem ibi esse non desisset.*

374 Quod species sacramentales, id est accidentia panis & vini, figura, color, odor, sapor, &c. in hoc mysterio remanent, ad sensum patet: eas enim percipimus visu, odoratu, gustu, tactu. Quod autem remanent absque subjecto,

saltem substantiali (quod addo propter opinionem S. Thomæ, in qua sola quantitas panis & vini remanet absque omni subjecto, cætera verò accidentia subjiciantur in quantitate) inde convincitur, quod non remanent in substantia panis & vini, utpote ex dictis amplius non existente. *Manifestum est etiam, quod hujusmodi accidentia non sunt in substantia corporis & sanguinis Christi, sicut in subjecto (ait S. Thomas q. 77. a. 1.) quia substantia humani corporis nullo modo potest hinc accidentibus affici. Neque etiam est possibile, quod corpus Christi, gloriosum & impassibile existens, alteretur ad suscipiendas ejusmodi qualitates. Et idè relinquitur quod accidentia in hoc Sacramento manent sine subjecto. Quod quidem virtute divinâ fieri potest. Cum enim effectus magis dependeat à causâ primâ, quàm à causâ secunda, Deus qui est primâ causâ substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest accidens in esse, subtrahâ substantiâ, per quam conservabatur in esse, sicut per propriam causam; sicut etiam effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis. Sicut humanum corpus formavit ex utero Virginis sine virili semine.*

Et confirmatur ratione divi Basilii homil. 6. in 375.

Hexæmeron: *Cum enim Deus possit plura facere, quam nosse intellectus intelligere. Et intellectus intelligat accidens præter subjectum: ergo Deus potest hoc facere, quod accidens sit sine subjecto. Idque Basilius à Deo factum existimat in primâ lucis creatione: lucem enim solis primò creatam, tribus diebus subsistisse dicit sine subjecto. Solis enim corpus, subjectum ipsius, non nisi quarto die conditum est. Atqui (inquit) incredibile nemini videatur, & à fide abhorrens, quod dictum mihi est, aliud nimirum quoddam esse à luce splendorem, aliud item corpus subsidens luci, ac subjectum. Primum enim res omnes compositæ sic à nobis dividi solent, in ipsam essentiam susceptivam, & in eam quæ ipsi accidit qualitatem. Ut igitur diversa sunt hæc naturæ, albedo, inquam, & corpus dealbatum; sic & ea quæ modo diximus differunt quidem, unita tamen, quarto die, sunt potentia Creatoris. Itaque ne mihi dixeris, fieri hæc non posse, ut lux à corpore solis separetur. Neque enim ego lucis à solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico. Sed asserendum esse censeo, quæ mentis sola acquisitione cogitationeque disparatâ à se possunt, ex re ipsa se juncti facultate Creatoris utriusque naturæ posse.*

Unde cum inter Wiclefi propositiones secunda 376 fuisset: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.* Propositio illa cum aliis ejusdem hæretici in duobus Conciliis Londinensibus anno 1382. & 1386. condemnata fuit, sicut & in Concilio Romæ celebrato, & in Concilio Constantiensi sess. 8. Ex quibus omnibus consecrarium est actualem inhaerentiam accidentis in subjecto, non esse de essentia ipsius, sed aptitudinalem duntaxat, cum naturali quidem exigentia subjecti, cui actu inhaereat; sed cui Deus non teneatur satisfacere; imò possit ipsum accidens supra naturalem exigentiam suam sine subjecto conservare. Sic corpus naturaliter postulat actualem extensionem, sine qua tamen divinitus esse potest.

Porro accidentia panis & vini, quæ sine subjecto diximus remanere, ea maxime quæ sensu percipiuntur, idè species panis & vini vocari solent (inquit Estius in 4. dist. 12.) quia nimirum speciem seu similitudinem panis & vini referunt, sub quibus, tamquam alienis involucri velata quodammodo continentur corpus & sanguis Christi. Ut fides locum habeat (ait S. Thomas opusc. 57.) dum visibile invisibiliter sumitur, sub aliena specie occultatum, & sensus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi nois,



378 Quia verò corpus Christi & sanguis in hoc Sacramento succedunt substantia panis & vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium supraddictorum, quae non sufficeret ad corruptionem panis & vini, propter talem immutationem non desinit corpus Christi esse sub hoc Sacramento (ait S. Thomas a. 4. in corp.) sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color, aut sapor panis, vel vini, sive ex parte quantitatis, sicut cum dividitur panis, aut vinum in tales partes, quòd adduc in eis possit salvari natura panis aut vini. Si verò fiat tanta immutatio, quòd fuisset corrupta substantia panis & vini, non remanent corpus & sanguis Christi in hoc Sacramento. Et hoc sive ex parte qualitatum (sicut cum ita immutatur color & sapor, & aliae qualitates panis & vini) sive etiam ex parte quantitatis, puta si pulvis rotatur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis, vel vini.

379 Species itaque sacramentales, quia retinent idem esse, quòd prius habebant, substantia panis & vini existente, idè sicut esse horum accidentium poterat corrupti, substantia panis & vini existente, ita etiam potest corrupti, è substantia abeunte. Sanctus Thomas ibidem. Possunt etiam ex istis speciebus generari vermes, corpus hominis nutrirì, &c. Quòd a. 5. sic explicat sanctus Doctor: Videtur dicendum, quòd in ipsa consecratione, miraculose datur quantitas dimensiva panis & vini, quòd sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiae. Et idè ex consequenti datur praedictae quantitati dimensiva omne illud quòd ad materiam pertinet. Et idè quòd quòd possit generari ex materia panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex dicta quantitate dimensiva panis, vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti. Haecenus S. Thomas.

380 Aliis tamen videtur, in tanta corruptione specierum, ut aliud compositum generetur (prout fit in nutritione humana, combustionem, vermium ex speciebus consecratis generatione, &c.) materiam quidem requiri, sed illam subfistit a Deo in illo ipso instanti, quo desinit esse illa species, & in quo aliud compositum generatur. Et hoc sine novo miraculo (inquit Bellarminus) sicut enim cum disposita est materia corporis humani sufficienter, Deus animam creat & infundit; & hoc non dicitur miraculum, quia hoc exiget ordo rerum à Deo institutus: ita etiam quando per alterationem specierum panis eo venit, ut adsint dispositiones requiritae ad aliquam formam introducendam, exigente ordine rerum, Deus materiam substituit, & in illo ipso instanti, ab agente naturali, medianibus dispositionibus praemisissis, introducit formam substantialem. Atque haec est simplicissima & tutissima explicatio hujus rei. Sic enim omnia coherent. Nam nec dicimus fieri generationem & corruptionem sine materia, nec multiplicamus miracula, nec dicimus ab agente naturali fieri materiam aut certè nihil ab eo fieri, sed totum à solo Deo: & simul ostendimus, nihil materiae mundo deperire ex tot panum consecratione. Porro dispositiones ille inchoantur manente Christi corpore: ultima autem dispositio, cum qua simul & materia substituitur à Deo, & forma ab agente naturali introducitur, fit in illo instanti, quòd est primum non esse corporis Domini in Eucharistia, & primum esse rei genitae.

381 Si dicas, illo instanti species sacramentales amplius non esse. Respondet Bellarminus, verum esse quòd non sint in sua natura; sed sunt tamen in natura aliarum qualitatum introduciarum. Neque est hoc novum aut singulare, sed commune & ordinatum in omni generatione & corruptione.

## Triplex modus recipiendi hoc Sacramentum.

382 HAc de re docet nos Tridentinum sess. 13. c. 3. quòd rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc Sacramentum accipiendi distinxerint: quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores. Alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto proposito illum panem caelestem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt. Tertios porro sacramentaliter simul & spiritualiter: hi autem sunt, qui ita se prius probant & instruunt, ut vestem nuptialem induiti, ad divinam hanc mensam accedant.

383 Ad hoc intelligendum, sciendum (inquit sanctus Thomas opusc. 58. de Sacram. altaris cap. 17.) quòd in cibo altaris duo sunt, scilicet Sacramentum, & virtus Sacramenti. Sacramentum (ut dicit Augustinus) in duobus consistit, visibili panis & vini specie, & invisibili carne & sanguine Christi. Virtus ergo Sacramenti est sanatio à damnatione mortis aeternae. Et Sacramentum quidem tam mali quam boni Christiani manducant, id est sub visibili specie panis & vini corpus & sanguinem Christi; sed virtutem Sacramenti mali non manducant spiritualiter, id est salutem ad vitam aeternam. Boni verò manducant utramque simul, scilicet Sacramentum, & virtutem Sacramenti.

384 Sciendum secundo ex Catechismo Romano eos se maximis & caelestibus bonis privare, qui cum ad corpus Domini Sacramentum etiam sumendum parati esse possint, satis habent spiritu tantum sacram Communionem accipere.

385 Sciendum tertio ex eodem Catechismo, quòd licet hoc Sacramentum recipientes spiritualiter tantum, sive in voto & desiderio, fide & charitate animato, forè non recipient omnes fructus & effectus Sacramenti, sacramentaliter simul & spiritualiter recipient, ingentes tamen recipient.

386 Sciendum denique ex S. Thoma loco citato circa spirituales manducationem tria esse consideranda. Primum est differentia personarum sic manducantium... Secundum est modus istius manducationis. Tertium est effectus ex tali manducatione proveniens. Differentia personarum sic manducantium est triplex, incipientium, proficientium, perfectorum. Matib. 15. Manducantium fuerunt quatuor millia virorum, excepti mulieribus & parvulis. In parvulis incipientes; in mulieribus proficientes; in viris perfecti significantur. Primi, scilicet incipientes, manducant spiritualiter ratione fidei salutaris. Secundi ratione bonae conversationis. Tertii ratione devota meditationis.

387 Non leviter pertranseundus, sed plurimum observandus est primus ille modus, quo incipientes Eucharistiam spiritualiter recipere dicuntur ratione fidei salutaris. Servit enim plurimum ad dissolvendas varias difficultates circa Eucharistiam, ejusque necessitatem emergentes. De ista namque manducatione loquitur Augustinus, dum asserere videtur Eucharistiam esse parvulis necessariam ad salutem, sicut & dum in celebri loco num. 318. à Calvinista objecto ait: *Ut quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti, spiritualiter utique, ratione fidei. Credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare. Qui credit in eum, manducat eum, invisibiliter saginatur, quia & invisibiliter renascitur.* Quisquis proinde per Sacramentum fidei, id est per Baptismum in Christo renascitur, hoc modo spiritualiter panem vivum manducat, spiritualiter Jesum recipit, quia corpori Christi mystico incorporatur, membrumque ipsius efficitur. Et



Et iste unus (tameñ non unicus) est modus, quo intelligitur illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quo loco (secundum Augustinum) etiam infantes comprehenduntur. Videri potest Augustinus l. 1. de peccator. merit. c. 20. & l. 3. c. 4. ubi sic: *Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamatur, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam aeternam posse habere praeter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento baptismatis imbuuntur.* Eodem sensu locum illum Innocentius I. intellexit in epist. ad Patr. Concil. Milevit. quae est 92. inter epist. S. Augustini. cum dixit: *Illud verò quod est vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemii, etiam sine baptismatis gratia, posse donari, per factam est: nisi enim manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, &c.*

388 Ex quibus locis perspicuum est, nec Augustinum, nec Innocentium, ibi agere de manducatione corporis Christi, tamquam contenti sub speciebus panis & vini, sed de primo illo modo manducationis per fidem, sive de manducatione quae sit ipsamet unio cum Christo per fidem, vel baptismum, per quem unum istam explicat Augustinus. Et hoc sensum de primo isto modo spiritualis manducationis corporis Christi locuti sunt Theologi, qui manducationem corporis Christi parvulis necessariam asseruerunt necessitate mediis. Respexerunt enim ad rem Sacramento Eucharistiae significatam (ait Estius) & non contentam, quae est corpus Christi mysticum, id est Ecclesia, extra quam nemo salvus esse potest: non autem ad rem significatam, simul & contentam, quae est corpus Christi verum, sine cuius reali participatione contingit salus.

389 Secundus modus recipiendi spiritualiter corpus Christi (juxta S. Thomam) est per bonam conversationem. *Iste cibus conversationis* (inquit) *consistit in tribus virtutibus, quasi tribus serculis, scilicet innocentia, penitentia & misericordia.* Quod probat ex Augustino, & Scriptura, dicente: *Panem de altari spiritualiter manducare, est innocentiam ad altare portare, debitorum peccata dimittere.*

390 Tertius modus est per devotam meditationem, continentem tria, quae in comestione corporali consistunt, quae sunt, appetitus, masticatio, & delectatio. *Primo* (inquit) *debemus spiritualiter esurire Christum, cibum nostrum, intimo corde desiderando. Secundo* *debemus spiritualiter masticare totum Christum, scilicet membra & caput, id est nosmetipsos, & Sanctos, & Salvatorem mundi districte discussione cogitare, nos ipsos disjudicando, Sanctorum vitam ad imitandum pertractando, Incarnationis Christi beneficia devotè mente ruminando. Tertius* *est modus spiritualis manducationis* (ait Estius in 4. dist. 9. S. 1.) *dum quis percipit effectum Sacramenti Eucharistiae, sive Sacramentum recipit suscipiat, sive voto ac desiderio tantum, utpote vel necessitate aliqua prohibitus, vel ob reverentiam abstinens ab actuali susceptione Sacramenti.* De tertio illo modo Communionis spiritualis loquitur Tridentinum supra n. 382. sicut & Theologi, dum aiunt posse nos spiritualiter communicare, dum sacramentaliter non possumus.

## CAPUT XXX.

*Solus homo viator est subiectum capax receptionis, seu sacramentalis, seu spiritualis hujus Sacramenti.*

391 **D**E receptione sacramentali constat ex dictis lib. 1. ubi generaliter ostensum est solum homi-

nem viatorem esse subiectum capax Sacramenti: nullum quippe Sacramentum inditutum est, nisi pro homine viatore.

De receptione spirituali idipsum facile ostenditur. Neque enim Angeli, neque homines beati sunt capaces illius. Consistit namque in desiderio recipiendi hoc Sacramentum. Beati verò, sive Angeli, sive homines, utpote frucentes aeternae felicitate, Christumque perfectissime possidentes, in eo statu non sunt, in quo desiderium ejusmodi concipere queant.

Audiendus tamen hic S. Thomas q. 80. a. 2. 393 *Dicendum* (inquit) *quod in hoc Sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie Sacramenti, id est sub velamine specierum panis & vini. Dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter ipsum Christum. Uno modo prout in sua specie consistit. Et hoc modo Angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, in quantum ei ununtur fruitione charitatis perfectae, & unione manifesta (quem panem expectamus in patria) non per fidem, sicut nos ei hic unimur. Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus hujus Sacramenti: in quantum scilicet aliquis credit in Christum, cum desiderio sumendi hoc Sacramentum. Et hoc non solum est spiritualiter manducare Christum; sed etiam spiritualiter manducare hoc Sacramentum. Quod non competit Angelis. Et ideo licet Angeli manducent spiritualiter Christum; non tamen convenit eis spiritualiter manducare hoc Sacramentum.*

Si dicas non esse rationem, cur Angeli in corpore assumpto non sint capaces hujus Sacramenti. 394 Respondeo optimam esse rationem, partim 395 quia sunt incorporei, nec eorum in corpore assumpto manducatio vera & propria esse potest. Cum vitalis operatio non sit. Partim quia non est, nec esse potest in eis, uti nec in aliis beatis, etiam cum corpore glorificato, desiderium recipiendi Christum sub aliena specie, quem clarè vident & possident in propria.

## CAPUT XXXI.

*Non omnes qui recipiunt Eucharistiae Sacramentum, effectum recipiunt Sacramenti.*

396 **C**onstat ex eo quòd aliqui sacramentaliter dumtaxat recipiunt hoc Sacramentum, id est Sacramentum, & non virtutem, sive fructum & effectum Sacramenti, uti de peccatoribus illud indignè recipientibus ex doctrina Patrum declarat Tridentinum supra n. 382. Idemque amplius constat ex Apostolo 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non disjudicans corpus Domini.* Idipsum exemplo Judae demonstrat Augustinus 397 tr. 26. in Joan. *Nonne buccella Dominica venenum fuit Judae, & tamen accepit? Et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit; sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo Fratres, panem caelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata, etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis, dimitte nobis debita nostra, sicut & vos dimittimus debitoribus nostris. Et lib. 5. contra Donatist. c. 8. Sicut enim Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se diabolo praeiit; sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat, etiam illis*



quibus dicebat Apostolus: qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.

398 Itaque qui sceleratè vivunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali Communionem mundari, dicant nihil ad emendationem sibi proficere, dicente Propheta: quid est quod dilectus meus fecit in domo mea scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas? cap. qui sceleratè de Consecr. dist. 2.

399 Unde sciendum (inquit S. Thomas opusc. 58. c. 19.) quid duplex est effectus corporis Domini, scilicet bonitatis quoad bonos; severitatis quoad malos. Et tamen ipsum semper immutabile & bonum in se manet; sed iusto iudicio effectus ejus mutatur in his qui malè eo untur. Et hoc est quod Ecclesia canit: mors est malis, vita bonis: vide parvisumptionis quam sit dispar exitus.

## CAPUT XXXII.

Hujus Sacramenti, dignè suscepti, effectus quinque.

400 PRIMUS effectus est adunatio hominis ad Christum. Constat ex Florentino in Decreto Eugenii IV. dicente, quod hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè suscipiens, est adunatio hominis ad Christum. Quæ quidem adunatio seu unio ad eum perfecta, ut fideles hoc Sacramentum cum debita devotione suscipientes, & spiritu & corpore unum sint cum Christo. Christum enim totum recipiunt, id est corpus, animam, divinitatemque ipsius. Et si (Apostolo teste) cui adheret Deus, unus spiritus est cum Deo: per eam profectò adunationem fidelis quisque adheret Deo. Igitur unus est spiritus cum ipso. Est etiam una caro: quia per dignam hujus Sacramenti susceptionem concorporei, ut ita dicam, & consanguinei Christi facti sumus, ut Cyrillus Hierosolymitanus ait Catech. mystag. 4. Nec solum sanctificamur spiritu, sed & corpore. Nam ut idem Cyrillus prosequitur, panis celestis, poculumque salutis, animam & corpus sanctificant. Et sicut animam sanctificant, faciendo fumentem unum spiritum cum Deo; sic & corpus sanctificant, faciendo eundem unum corpore cum homine Deo. Quia, ut Cyrillus Alexandrinus ait l. 10. in Joan. pag. 863. non aliter vivificari nec sanctificari potest quod naturâ suâ est corruptibile, quam si corporaliter unum sit corpori ejus, qui secundam naturam suam est vita, & sanctitas. Fiquè per dignam hujus Sacramenti susceptionem, ut (eodem Apostolo teste) membra simus corporis ejus, de carne ejus, & ossibus ejus. Non enim aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transeamus (ait S. Leo serm. 14. de Pass. Dom.) ut scilicet in quo mortui, & conspuli, & consuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu & carne gesserimus, dicente Apostolo: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. In eo igitur differentia est inter divinum hunc, carnalemque cibum, quod carnalis cibis transit in substantiam nostram; hoc autem Sacramentum suscipiendum transimus in corpus sanguinemque Christi, prout Augustino Christus ipse dixit: Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.

401 Secundus effectus ex priori consequens, est unio fidelium inter se. Quæ enim ununtur uni tertio, ununtur inter se. Fideles autem per dignam hujus Sacramenti susceptionem ununtur uni tertio, videlicet Christo. Igitur ununtur inter se. Et hoc est quod Apostolus 1. Cor. 10. contestatur: Quo-

viam unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. Unitatem enim fidelium inter se, quam Baptismus inchoat, Eucharistia perficit, dum non spiritu tantum, sed & carne nos Christo conjungit.

Tertius effectus est augmentum & abundantia gratiæ, augmentum proinde fidei, spei, & charitatis. Quia enim per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur (inquit Florentinum loco citato) consequens est quod per hoc Sacramentum in sumentibus dignè, gratia augetur. Et hoc idè quia cum ex Christi passione fructus omnis spiritualis, seu gratia nobis proveniat, consentaneum est in hoc Sacramentum, tantò copiosorem præ cæteris Sacramentis nobis gratiam conferri, quando magis præ cæteris Sacramentis hinc passio Christi recollitur & repræsentatur (inquit Estius in 4. dist. 12. §. 5.) Nam alia quidem Sacramenta ad certum aliquem effectum passionis Christi consequendum sunt instituta: istud autem præcipuè ad hoc ut jugiter in memoriam passionis ejus & offeratur, & sumatur, quemadmodum ex Evangelis & Paulo liquet. Unde publicè voce testatur Ecclesia, quod in hoc sacro Christi convivio recollitur memoria passionis ejus, & mens impletur gratiâ. Quia, ut Augustinus ait l. 2. contra epist. Parm. c. 6. qui dignè manducat & bibit, gratiam sibi manducat & bibit. Per quam novum vigorem accipit, sine quo Patres existimant graves tentationes superari non posse. Unde Cyprianus epist. 54. ad Cornel. laonens (inquit) esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, & mens deficit, quæ non recepta Eucharistia erigit & accendit.

403 Quartus effectus est spirituale nutrimentum. Quia omnem effectum, quem materialis cibis & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spirituales, inquit Florentinum ubi supra.

404 Quintus effectus est peccatorum præteritorum purgatio, seu remissio, atque à futuris præservatio. Deus enim ultituit, & sumi voluit Sacramentum hoc, non solum tanquam spirituales animarum cibum, quo alantur & confortantur, viventes vitam illius qui dixit, qui manducat me, & ipse vivet propter me (ait Tridentinum sess. 13. c. 2.) sed & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Enimvero (ut Estius loco citato observat) Sacramentum hoc non tantum porrigitur tanquam cibis hominis sani & robusti, verum etiam tanquam cibis medicinalis infirmi, quo pellatur & expurgetur quidquid est vitiosum, & consumatur quidquid est crudum & indigestum in anima hominis, atque ipse impofterum adversus occurrentes tentationes velut antidoto quodam præmuniatur.

405 Et idè S. Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. Si quotiescumque (inquit) effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, deo solum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper deo habere medicinam. Et cap. 5. Qui manducaverit hoc corpus, fietis remissio peccatorum.

406 Si petas quare hoc Sacramentum à Tridentino vocetur antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, cum per illud libidine etiam liberemur à sceleribus, sive mortalibus. Hoc quippe Ecclesia petit in quadam postcommunione: sit ablutio scelerum.

Respondet rationem esse, quia remissio peccati mortalis non est effectus hujus Sacramenti per se. Neque enim hoc Sacramentum per se sive ex primaria Christi intentione institutum est ad remittendum mortali peccatum: cum sit Sacramentum vivorum. Remissionem tamen peccati mortalis



## CAPUT XXXIII.

talis aliquando confert per accidens, sive ex secundaria Christi institutione, dum scilicet cum devotione percipitur ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet, sed de eo est imperfecte contritus. Ita expressit S. Thomas 3. p. q. 79. a. 3. in corp. *Hoc Sacramentum operatur remissionem peccati, perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet.* Et hoc modo ibidem ad 1. explicat quod in dicta Collecta petimus, *petimus ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum, quorum conscientiam non habemus, secundum illud Psal. 18. Ab occultis meis lava me Domine.* Vide l. 1. c. 27. ubi hac de re pluribus actum.

407 Porro ad effectus jam enumeratos ceteri facile reducuntur, qui in sacris Literis, vel apud Patres, vel in sacro Missae Officio solent Eucharistiae tribui. Cujusmodi sunt spiritualis pinguedo, cordis castimonia, in ipsum etiam appetitum sensitivum diffusa, semen immortalitatis, beataque resurrectionis, in corpus derivatum, perseverantia finalis, beatitudo sempiterna.

408 Neque verò Sacramentum hoc in solam animam digne suscipientis operatur, sed & aliqui effectus ipsius ad ipsum quoque corpus sese extendunt, teste Cyrillo nostro Alexandrino ubi supra, dicente: *Christus enim existens in nobis sicut sevientem in nostris membris carnis legem.* Unde Zachar. 9. Sacramentum hoc vocatur *vinum germinans virginis.* Quamvis enim corpus non sit immediatum subiectum gratiae, ex anima tamen redundat effectus gratiae ad corpus. Et hoc sensu hujus Sacramenti pia frequentatio stimulum carnis retundit, & legem membrorum enervat, sive (ut Catechismus Romanus ait) *carnis libidinem cohibet ac reprimis.* Dum enim *charitatem igne animos magis incendit, concupiscentiae ardorem refingit necesse est.* Augmentum quippe & nutrimentum charitatis diminutio est cupiditatis, ut Augustinus ait q. 36. inter 83.

409 Denique *siquis vestram* (inquit Mellissus Doctor serm. in cena Dom.) *non tam saepe modo, nec tam acerbo sentit iracundia motus, invidia, luxuria, aut ceterorum hujusmodi, gratias agit corpori & sanguini Domini: quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Et, ut Cyrillus ait ibidem, *perturbationes mortificat.*

410 Quo autem instanti conferantur laudati effectus, nemo novit, nisi qui efficit. Ante sumpcionem non conferri, Doctores conveniunt. Valde probabile est tunc conferri, quando manducatur, sive trajicitur ab ore in stomachum. Infundata verò quorundam opinio est, quamvis Christus sub speciebus praesens est in corpore communicantis, tamen nova & nova gratiae augmenta conferri, nisi forte qui sumpsit, toto illo tempore se magis ac magis disponat, & ratione majoris devotionis aliquid novae gratiae ab ipso fonte gratiae in se existente recipiat. Quando enim causa efficiens est, subiectumque dispositum, in instanti totum suum producit effectum. Neque ex eo quod gratia promissa sit manducantibus, sequitur novam & novam gratiam dari toto tempore, quod Christus manducatus est in manducante. Alias majorem hostiam manducans, ceteris paribus, majorem reciperet gratiam. Cujus nullum est fundamentum.

411 Nec divinus cibus noster in hoc similis est corporali. Quia corporalis non nutrit quando sumitur, sed quando digeritur, & ad hoc necessaria est mora praecedens & concomitans. Eucharistia verò tunc nutrit cum sumitur, quia effectus ipsius spiritualis est, & instantaneus.

*Gravissimum Doctorum sententia est, quod ad recipiendum gratiae augmentum, ultra statum gratiae, usque adeo requiratur in homine utente ratione, devotio actualis, vel virtualis, ut sine ea accedentes, licet a peccato mortali sint immunes, si tamen accedant cum peccatis venialibus, in ipsa Communionis commissis, tantaque tepiditate & languore, ut ut actualis & virtualis devotio totaliter impediatur, nullum ex sacrosanctae Eucharistiae perceptione gratiae augmentum consequantur.*

I Ta enim S. Thomas in 4. dist. 12. q. 2. a. 1. 412 in respons. ad 3. quast. hisce verbis: *Dicendum quod omnis perfectio acquirenda impeditur per remissionem propriae dispositionis. Sicut autem dispositiones materiales se habent ad perfectionem formae, ita actus se habent ad perfectionem finis. Unde cum hoc Sacramentum perficiat conjugendo finem, ad hoc quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet quod ad sit actualis devotio. Et quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impeditur potest (cum distractiones varie ipsam impediunt, & peccata venialia virtutum actus tollant) absque peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediti; ita quod aliquis augmentum gratiae non consequatur: nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed forte reatum venialis peccati, ex eo quod imparatus accedit.*

At (inquit Natalis Alexander Th. Dogm. & Mor. to. 3. c. 3. proposit. 8.) sententiam hanc S. Doctor retractavit 3. p. q. 79. a. 8. ubi dicit, quod effectus hujus Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae, vel charitatis, sed etiam quaedam reflectio spiritualis dulcedinis: quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiae & charitatis. Verum hic locus facile conciliatur cum priori, dicendo quod articulo illo octavo sanctus Doctor non loquatur de venialibus, devotionem actualem & virtuales ex toto, sed ex parte dumtaxat impediensibus. Maxime cum eadem 3. p. q. 80. a. 10. devotionem actualem vel virtuales exigit in sumente. Dicit enim quod *in sumente requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat.*

Angelicæ doctrinae ex 4. sentent. distinct. 12. 414 subscribit S. Bonaventura ibidem p. 2. a. 1. q. 1. Dicit enim quod *hoc Sacramentum efficaciam non habet, nisi in digne accedente. Digne autem accedere in hoc consistit, quod homo se prepares sicut debet. Tantum enim Sacramentum recipere, sicut recipitur alius cibus, non est congruum, nec fructuosum. Et quia in hoc Sacramentum praesens est divina Majestas, & summa exprimitur charitas, ideo debet recipi cum honore & devotione. Ad hoc ergo quod Sacramentum hoc habeat in aliquo efficaciam, primo oportet cibum istum ab aliis discernere per fidem. Secundo hospitium preparare per sui ipsius preparationem. Tercio in hospitium preparatum recipere cum honore & devotione. Hoc enim important Apostoli verba: "non dijudicans corpus Domini." Unde concludit quod *vir justus spiritualiter non manducat, quando distrahitur per cogitationes extrinsecas, sed tunc quando movetur actus fidei & charitatis: quia tunc spiritualiter masticat & incorporat. Et ideo si negligit, non reportat effectum.* Nec soli Doctores Angelicus & Seraphicus sic docent, sed & utriusque Magister Alexander de Ales, celeberrimus Avila n. 487. exhiben-*



430  
 dus, Cajetanus, Paludanus, Sylvester, Nugnus, & ipsos referens Contentonus to. 8. disert. 4. c. 1. specul. 3. Franciscus de Gener, Episcopus Vafionensis, Theol. Mor. to. 3. tr. 4. c. 11, Merbeckius Sum. Chrif. p. 3. q. 7. & feqq. Neefen de Eucharift. tr. 4. q. 5. Boudart Manual. Theol. to. 5. tr. 3. §. 9. q. 6. Huyghens in fuis Observationibus de Eucharift. c. 14. n. 18. faventque à Societ. Salazar contra abufus frequentior. Commun. c. 7. §. 1. & cap. 8. §. 7. & cap. 13. §. 3. Perlunus facri Convivii dift. 2. c. 6. Suffrenius Anni Chrifiani p. 3. c. 9. §. 7. ubi fic: *Quifquis corpus Chrifii cum peccato venidit, & citra preparationem accipit, hand dubie irreverenter accipit, & juxta S. Anselmum, indignam profectò Communionem, tamenfi levena & venialem, facit, id est non admittit peccatum lethale.* Iftis omnibus accedit illuminatiffimus Doctòr Taulerus ferm. 4. fefti facratiff. Sacram. dicens, quòd *multi cum venialibus culpis tepide accedunt, & ideo nihil reportant gratia. Quippe quia, ob multa magnaque ipforum impedimenta, nullus patet accessus, ficque vani, diffoluti, inanes, frigidis perseverant; nec aliquem referant fructum; imò deficiunt potius.*

415  
 Nec deunt rationes, quibus hæc fententia fua-deri poteft. Prima est quia Chriflus hoc Sacramentum instituit per modum fpiritualis cibi & potus, qui ut nutrit, corroborat, augeat, debet fpiritualiter masticari & incorporari per devotionem fufcipientis, ficut cibus & potus materialis per actionem vitalem fumentis. Ad id namque fignificandum SS. Patres magnam paffim devotionem in communicante requirunt, & tepidos hac in re graviter redargunt, velut indignos qui participant huic Sacramento, in quo præfens est divina Majeftas, & fumma exprimitur ipfius erga hominem charitas. Enimverò *fi non decet ad facras ulla fuciones quemquam accedere, nifi sanctè; certe quò magis fanctitas & divinitas caleftis hujus Sacramenti viro Chrifiano comperta est, eo diligentius curare ille debet, ne abfque magna reverentia & fanctitate ad id percipiendum accedat, inquit Tridentinum feff. 13. c. 7.* Taliter verò non accedit, imò irreverenter accedit, qui tepide & abfque ulla devotione accedit; indignus proinde cui tantus hofpes benedicat, fuaque vifitationis fructum impendat; quemadmodum indignus efferet omni favore & beneficio Principis, qui ipfium in domum fuam abfque ulla reverentia exciperet.

416  
 Secunda ratio est quia ad percipiendum fructum hujus Sacramenti, non fufficit illud sacramentaliter, fed oportet & fpiritualiter fumere. Tridentinum verò ibidem c. 8. explicans quà ratione fpiritualiter fumatur, dicit id fieri *fide vivà, que per dilectionem operatur.* Unde S. Bonaventura in Breviluquio p. 6. c. 9. dicit quòd *ut quis dignè accedat, oportet quòd fpiritualiter comedat, ut fic Chriflum per recordationem fidei masticet, & per devotionem amoris fufcipiat.* Et in non habentibus quidem ufum rationis fufficit habitu fpiritualiter comedere, five per charitatem habitualem; fecus in ufum illum habentibus. Quia Tridentinum in verbis proximè relatis charitatem operantem, feu actuaalem vel virtuaalem requirit, dum requirit *fidem vivam, que per dilectionem operatur.*

417  
 Tertia ratio: ficut gratia, fic gratia augmentum hominibus ratione utentibus nunquam infunditur abfque ipforum difpofitione & cooperatione, feu pio motu liberi arbitrii ipforum, uti poft S. Thomam docet Tridentinum feff. 6. c. 7. his verbis: *Justitiam in nobis recipientes, unusquisque fuam, fecundum mefuram, quam Spiritus fanctus partitur fingulis prout vult, fecundam propriam cujusque difpofitionem & cooperationem.* Quod ficut verum est de prima gratia infufione, verum est & de illius augmento: utpote quod eadem proportio-

naliter difpofitiones requirit, quas prima infufio; ficut enim habitus abfque voluntatis conatu non acquiritur, ita nec augetur; & ficut forma fine proportionatis difpofitionibus primò non producit, ita nec intenditur, &c.

Quarta ratio: diviniſſimæ Euchariftiæ perceptio 418 est ofculum, quo caeleſtis Sponſus dignatur animam fideliem, ingrediturque ad intima peſtoris ipſius. Atqui dignus non eſt ofculo diviniſſimi Sponſi, qui dignus non eſt ipſius familiaritate. Quà profectò dignus non eſt, qui ad ipſum abfque ulla devotione languidus & tepidus irreverenter accedit. Dignè ergo non accedit. Solus verò dignè accedens percipit fructum ipſius.

Quinta ratio: quòd quis majori cum devotione accedit, tantò ampliore fructum ipſius percipit; tantò etiam minore, quòd minori cum devotione. Nullum ergo fructum percipit, ſi nulla cum devotione accedat. Si enim defectionis, etiam intra limites peccati venialis, tantò magis impedit fructum, quòd eſt major; non apparet quomòdò fructum totaliter non impediatur, ſi devotionem totaliter auferat.

Sexta ratio eſt Cajetani 3. p. q. 79. *Si qualibet ſumptione Euchariftiæ (etiãſi nullus interior charitatis actus, ob mentis diftractionem, interveniat) augetur gratia, inferiorum penè Sacerdotum, quos credimus verè in gratia celebrare, charitas habitualis jam eſſet major intenſivè, quàm credi rationabile ſit: cum tanta multitudine (id eſt tantum augmentum) charitatis in tanta Sacerdotum multitudine oſioſa pareat. Quoniam nec extra apparent, nec intus de ſe ſeſtantur, nec ipſi experientur effectus ullos tantæ charitatis. Et tamen certum eſt quòd ſicut amor Dei non eſt oſioſus, ſed operatur magna ſi eſt; ita tam magna augmentatio amoris Dei non eſt oſioſa, ſed operatur tantò majora, quòd major ipſa eſt. Neque enim charitas habitualis in adultis oſioſa magis eſſe poteſt, quàm habitus avaritiæ, luxuriæ, ambitionis, &c. ſed datà opportunitate in actus ſibi proportionatos proſilit; aliàs eſſe non præſumitur, uti docent ſancti Patres. Cùm igitur nihil ſimile appareat in tot illis Sacerdotibus à tot annis quotidie vel ſerè quotidie celebrantibus, credibile non eſt, nec præſumendum, gratiam in ſingulis celebrationibus, in gratia factis, in illis auſtam eſſe. Si enim gratiæ, ac per conſequens charitatis aliarumque virtutum infularum augmentum in quavis Communionem accepiffent, aliquod illius augmenti veſtigium, ſeu effectus, poſt tot Communionum millia, non poſſet non apparere. Et ipſi non poſſent non experiri longè majorem inclinationem ad actus charitatis, aliarumque illarum virtutum, quàm in principio. Alſt ipſi contrarium in ſeipſis experiantur.*

Hiſce rationibus accedit divina viſio, quam extatica Virgo S. Maria Magdalena de Pazzi habuiſſe refertur 4. p. vitæ c. 13. ubi fic: *Vidit in raptu Ordines Religioſos, ſignificatos per multas ſeminas, ornatas arboribus & vitibus, & in eis vidit aliquos Religioſos paſce ſuis; & eos eſſe, qui magno cum fervore & guſtu ſumunt Euchariftiam, & magnum inde fructum percipiunt. Alios vidit evellere vitet, & earum loco plantare ſpinas; & hos eſſe, qui communicant caſu, cum exiguo, imò nullo guſtu, & NULLUM FRUCTUM CAPIUNT: quia Jeſus tranſit per illos, & non ſubſiſtit in eis. Ideò tales non producant in Religione aliud quàm ſpinas peccatorum.*

Atque ex ipſis multi ſeſe exiſtimant eſſe in ſtatu gratiæ, & via ſalutis, cum non ſint, uti to. 1. lib. 10. pluribus demonſtravi. Timeant ergo Religioſi & ſæculares Sacerdotes, timeant & Laici, quorum illi ex quotidiana, iſi ex occiduana Communionem aded parùm, imò nihil proficere vi-



dentur in spiritu. Unde hoc?

Respondet Georgius de Rhodéz disp. 1. de Euch. 3. sect. 1. §. 3. his verbis: "Hic mihi sanè, ut verum fatear, vix quidquam occurrit, quod dici posse putem. Non enim satisfaciis argumento, si dicas, habitus supernaturales non dare facilitatem, nec excludere habitus vitiorum, nec mortificare passiones: quia ut hoc verum sit, auxilia tamen gratiæ tam copiosa, quæ recipiuntur ex tanta frequentia Sacramenti, omnino debellarent omnes vitiorum habitus."

Respondeo ergo tria. Primum, multos sibi blandiri sæpè, dum existimant se immunes esse à peccatis mortalibus, quibus tamen pleni sunt. Secundum, illos minimam gratiæ partem accipere in Eucharistia; & aliunde per distractiones, & vitam tepidam obtinere illa auxilia gratiæ quæ, propter habitus malos intensissimos, illis prorsus inutilia sunt. Tertium, illos in peccatam tepiditatis insensibiles fieri ad divina, & propter contemptum levium peccatorum incidere in peccata gravia, per quæ Sacramento-rum omnis efficacia enervatur. Hactenus Theologus ille Societatis, certè non Rigorosa. Cujus secunda ratio potius probat nullam, quam minimam ab ipsis gratiam recipi. Si enim vita tepida ipsorum obruit illa auxilia gratiæ, illaque inutilia reddit, profectò & impedit ne recipiantur, ne in vanum recipiantur. Prima ratio confirmat ea quæ dixi tomo illo. l. 1. c. 10. p. 1. cap. 23. Accedit etiam hinc omnibus doctrina Sanctorum cap. 35. & 36. proferenda.

## CAPUT XXXIV.

*Contrariis argumentis obviatur.*

411 **O**bjicies 1<sup>o</sup>. argumenta superiori capite deducta nimis probant, eum utique qui inde vorè accedit, in devotione veniali, peccare mortaliter. Tum quia indignè accedit, adedque iudicium sibi manducat & bibit. Tum quia sciens & volens effectum hujus Sacramenti totaliter impedit, sive illi obicem ponit. Vix autem concipi potest quòd aliquis effectum hujus Sacramenti sciens & volens in se totaliter impediatur, & mortaliter non peccet.

Respondeo negando antecedens. Quia licet hoc sensu iudicium sibi manducat & bibit, quòd se privet augmento gratiæ, adedque iudicium sibi manducat privationis augmenti gratiæ; sibi tamen non manducat iudicium eternæ condemnationis, sicut ille qui in statu peccati mortalis accedit. Nec mortaliter peccat, qui effectui Sacramenti obicem ponit peccati venialis, sed qui ei obicem ponit peccati mortalis. Quia peccatum veniale per se sive ex natura sua non est obex augmenti gratiæ (cum per se equè comparabile sit cum augmento gratiæ, quam cum gratia ipsa) sed ex institutione Christi, qui licet ad dignam fructuosamque Eucharistiæ perceptionem sub gravi peccato exigat immunitatem à mortali peccato; ob fragilitatem hominum solum sub veniali exigit immunitatem à veniali, devotionem impediens. Quomodo etiam solum sub veniali prohibet relationem Communionis ad finem venialiter malum, v. g. ad finem vanæ gloriæ, tamen sub mortali prohibeat relationem ipsius ad finem mortaliter malum.

Quamvis ergo peccati mortalis reus sit, quisquis Sacramentum frustrat effectum, per id quod per se est obex ipsius: secus si ipsum frustrat effectum, per id quod per se non est obex ipsius, sed solum est defectus dispositionis ex divina institutione sub veniali requisita in reverentiam hujus

Tom. III.

Sacramenti. Nec verò dubium, à Deo Sacramentum hoc sic institui potuisse, ut deficiente ejusmodi dispositione Sacramentum hoc non produceret ad gratiæ augmentum. Sic verò instituisse, probant argumenta superiori capite deducta.

Objicies 2<sup>o</sup>. ægrotus tantò magis recurrere debet ad medicum, quantò magis se fenferit ægrotum. Frigidus etiam ac tepidus, tantò magis accedere debet ad ignem, quantò magis friget & aiget. At Christus in Eucharistia medicus noster est, ignis est. Omni ergo fructu non frustrat ægrotos ad se recurrentes, nec omni calore frigidus & tepidus ad se accedentes.

Respondeo totum esse verum, dummodò recursum & accessum ille cum debita fiat reverentia & devotione: sine qua si omnis ægrotus, tepidus & frigidus tantò magis Eucharistiæ suscipere deberet, quantò magis infirmus, tepidus & frigidus; tantò magis eam suscipere deberet, quantò magis peccator & indignus. Quod dixit quidem impius Lutherus, sed dicere non potest pius Catholicus.

Objicies 3<sup>o</sup>. Concilium Tridentinum sess. 13. c. 7. explicans verba Apostoli, *probat autem seipsum homo*, probationem istam consistere declarat in eo quòd nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiæ accedere debeat. Igitur aliam probationem Tridentinum ad dignam fructuosamque Communionem non requirit nisi statum gratiæ.

Istud est præcipuum adversæ partis argumentum, sed ruinosum, & in præcipitium ducens: utpote super quo nescio quæ paradoxa, absurdaque confectaria nonnulli Casuistæ non superadificant.

Primò namque Molina in *Instruct. Sacerd. c. 6. §. 1.* Confessarii (inquit) invitare debent peccatores quoscumque ad communicandum semel in hebdomada, à qua arcendus est nullus, quamlibet magnus peccator, dummodò se disponat. Imò ad id est exhortandus: neque enim peccata magna, neque in ea relapsus ipsos prohibere possunt. Item: si veniret ad me peccator, totus onustus peccatis, ipsumque viderem penitentem, seseque emendare proponentem, ipsi consulerem singulis Dominicis communicare. Et sequenti sabbatho, si rediret ad me cum totidem peccatis, ipsumque viderem contritum cum intentione se emendandi, adhuc magis animos ipsi adjicerem ad singulis hebdomadis communicandum. Et si per plures hebdomadas in eadem flagitia relaberetur, hortarer ipsum ad frequentem Communionem.

Secundò, qui ex humana fragilitate semel in mente labuntur in mortale peccatum, liberè communicare possunt bis aut ter in hebdomada; imò sæpius ratione occurrentis solemnitatis, indulgentiæ, &c. Marcus à S. Francisco in præfat. libri, cui titulus: *Aurifodina, sive Mine d'or, &c.*

Tertio, qui ex eadem fragilitate semel aut bis in hebdomada sedantur mortali crimine, possunt equidem semel in hebdomada communicare. Idem ibidem n. 15.

Quarto, Tridentinum sess. 13. c. 7. manifestè docet, ad dignam Communionem solum requiri statum gratiæ. Ibidem p. 4. c. 9. n. 13.

Quinto, satis probabile est, ne venialiter quidem peccare eum, qui conscius plurium peccatorum venialium, absque prævio de eis dolore communicat, dummodò in eis actu non complacat. Gobat de Sacram. tract. 4. casu 15. n. 217. refert TANNERUM, Valentiam, Rhodéz, &c.

Sextò, ne quidem venialiter peccat in divini- mum Sacramentum, qui illud accipit cum voluntaria distractione Joannes Sancius in select. disput. 23.

R 2



- 428 Septimò, præmissâ Confessione, Sacerdos celebrare, & Laicus communicare licitè potest post habitam eo die copulam carnalem, vel pollutionem voluntariam, sive secum, sive cum compliçe, sive per fornicationem, sive per adulterium, sive per peccatum contra naturam, seu quocumque alio modo. Mascarenhas de Sacram. tr. 4. disp. 5. n. 284.
- 429 Octavò, consulendum est proximè dictis, ipso die voluntariæ pollutionis, fornicationis, adulterii, &c. ad sacram mensam accedere, dummodò doceant, & confiteantur. Idem ibidem n. 285.
- 430 Nonò, Communio multò magis consulenda est conjugatis, ipso die copulæ habitæ causâ voluptatis. Joannes Sancius loco citato.
- 431 Decimò, extra culpam est quisquis Eucharistiam sumit, sibi non conscius peccati mortalis. Sefimafonus Auctor questionis: *an melius sit frequentius, quam rarius communicare.* Contra quem Arnaldus librum scripsit de frequenti Communione.
- 432 Undecimò, etiam illi qui sui ipsorum amore tument, ac sæculo prodigiosum in modum addicti sunt, quamlibet implicati mortalibus delictis, dummodò prius confiteantur, laudabiliter communicant octavo quolibet die. Idem ibidem, ad id eas proferens rationes quæ vel nihil probant, vel probant ipsos, præmissâ Confessione, laudabiliter communicare quotidie.
- 433 Nonnullas quidem ex allatis propositionibus negat nositer Marcus à S. Francisco Carmelita exalceatus in Aurifodina sua. Sed in ea p. 3. c. 4. & p. 4. c. 9. ea tradit principia, ex quibus consequi videntur. Idem censet de peritque aliis, qui tria cum ipso principia sequentia tradunt. 1<sup>o</sup>. quòd ordinariè facili sit conversio peccatorum, quamlibet grandium, frequenter, & citò in eadem gravia relabentium, nec multò eget tempore, vel labore, nec laboriosis penitentiar operibus. 2<sup>o</sup>. quòd sine illis Confessariis ordinariè credere debeat delicti peccatoribus, etiam consuetudinariis, se contritos asserentibus, ipsosque statim absolvere, nisi manifesta ratio, distincta à frequentia, cito, & facili illo relapsu, appareat in contrarium. 3<sup>o</sup>. quòd ad dignam fructuosamque Communionem solummodò requiratur status gratiæ. Si enim hæc vera sunt, omnes allatæ propositiones suapte sponte fluunt. Si enim ad dignam fructuosamque Communionem status gratiæ sufficit, & hic, non præmissis penitentiar operibus, à delictis peccatoribus tam citò & facili obtineri queat: igitur non obstante quotidiano in eadem gravia relapsu, quotidie absolvi poterunt, postque confessionem & absolutionem, dignè & fructuosè, nedum semel in hebdomada, sed & quotidie communicare.
- 434 Ad objectionem itaque respondeo 1<sup>o</sup>. nihil probare, quia nimium probat, secundum allata principia Auctorum illius. Qui enim statuunt principium illud: in conscio peccati mortalis à Tridentino non requirit nisi reconciliationem cum Deo, per confessionem, ordinariè statuunt & primum ac secundum principium n. præcedenti expontum. Quibus suppositis ex objectione consequuntur omnes propositiones à n. 423. ad 433. enarratæ.
- 435 Respondeo 2<sup>o</sup>. negando antecedens. Valdè enim differunt duæ istæ propositiones. Prima, *ea probatio necessaria est, ut nullus, sibi conscius mortalis peccati, absque præmissâ sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Secunda, *ea probatio sufficit, vel unice consistit in hoc quòd nullus sibi conscius, &c.* Primum quidem asserit Tridentinum; sed non secundum. Neque secundum magis inferri potest ex primo, quam inferri queat: ergo, secundum Tridentinum, quilibet peccator, quamlibet magnus, quamlibet consuetudinarius, & recidivus, statim atque confessus fuerit, ad sacram Communionem dignè & fructuosè accedere potest. Quo dato sequentur omnes propositiones supradictæ. Unde Perlinus è Soc. Jesu Theologiæ olim Coloniarum Professor, sacri convivii dist. 2. c. 6. inanem ostendit objectionem illam ex Tridentino, dicens: *Neque Tridentinum aliter sensit capite illo 7. fest. 13. ubi haudquaquam invenies quod adversarij putant, dignè communicare illum, qui absque lethali communitas. Quòd si dixerint, aperitè legi: cum asserat, communicare in dignè, qui lethali adstrictus scelere communicas: hinc enim rectè colligitur (à contrario) dignè communicare, qui ab illo immunis communicat. Respondimus es falli, & malè colligere. Malum namque ex quolibet defectu; bonum ex integra causa, ut omnes sciunt.*
- Noster quoque Lumbicus in observat. Theol. 436 circa propositiones ab Innoc. XI. damnatas n. 503. rectè observat, Tridentinum loco citato solum determinasse controversiam quæ tunc erat: an utique, datâ cupiâ Confessarij, necessariò præmittenda foret Confessio? an sufficeret contritio? An verò, præter contritionem & Confessionem, ultra requiretur alia dispositio devotionis & reverentiæ, atque immunitatis ab affectu ad venialia peccata? tunc controversiam non fuisse, nec Tridentinum ex professo determinasse, nisi quatenus (in favorem asseritionis nostræ) requisivit præparationem cum magna reverentiâ & sanctitate.
- Objicies 4<sup>o</sup>. communicare est manducare. Ad 437 manducandum autem fructuosè nihil amplius requiritur, quam usus vitæ: igitur ad communicandum non requiritur nisi usus gratiæ, quæ est vita spiritualis animæ.
- Respondeo argumentum istud non infirmare, sed firmare doctrinam cap. 33. utpote quo conficitur ad fructuosam Communionem requiri usum vitæ spiritualis, qui usus est charitas vel devotio actualis vel virtualis, sine qua alimentum istud spirituale non proficere, experientia probat. Sine ea proinde cavendum à Communione, sicut infirmis & convalescentibus cavendum à nimia nutritione. *Impura namque corpora, quæ magis nutris, eò magis laedi, ut habet Medicorum aphorismus.* Argumentum autem nimis nutritionis in convalescente, est quòd alimentum ipsi non proficit. Quod dum Medicus perspicit, alimentum nimis validum (quale est Eucharisticum) nimis proinde nutriens ipsi subtrahere debet.

## CAPUT XXXV.

*Decipiuntur multi & valdè multi Christiani, etiam Sacerdotes & Religiosi, qui ex eo quòd abstineant à peccatis mortalibus grossis & visibilibus, existimant se dispositos ad dignam fructuosamque Communionem, cum non sint.*

**P**robatur 1<sup>o</sup>. quia multi & valdè multi Christiani, etiam Sacerdotes & Religiosi, venialia peccata cavere, & emendare parùm vel nihil curant, imò valdè negligunt. At is valdè timendum est, ne extra statum gratiæ sint, prout ex Scriptura, & dictis Sanctorum ostendi to. 1. l. 10. p. 3. c. 22. à n. 192. ad 205. quippe versantur in proximo periculo peccati mortalis, valdè negligenter faciunt opus Dei, sunt tepidi illi (de quibus Apoc. 3.) quos Deus incipit evomere ex ore suo, peccant graviter contra primum maximumque præceptum, sicut & contra præceptum cum timore & tremore operandi salutem suam, contra præceptum quoque vigilandi omni tempore, necnon contra præceptum, quo Christiani omnes, maxime Ecclesiastici & Religiosi, sub gravi obligatione tenentur seridè quotidie ad perfectionem



tendere, seriatimque operam navare ad quotidie augendam in se dilectionem Dei. Quæ omnia ibi copiosè probata videri possunt; confirmatque Iveninus de Sacram. differt. 4. q. 7. c. 3. a. 2. dum docet quòd peccata venialia, quæ voluntariè sapius committuntur, in Communionis indignè suscipiendæ discrimen adducant.

439 Probat 2<sup>o</sup>. quia tales aded deficiunt à vita Christiana, Ecclesiastica & religiosa, ut vix fieri possit, quòd diu sint in statu gratiæ, & ordinariè sint extra viam salutis, prout probatum est ibidem à n. 205. ad 220.

440 Probat 3<sup>o</sup>. quia de iis Taulerus serm. 4. suprà laudato dicit, quòd in mortalium peccatorum præcipuo sunt constituti, jamque propè est, ut vel intus, vel foris incomparabile eorumdem peccatorum damnam incurvant. Imò frequenter, antequam advertant, ipsi sibi multa gravia collabuntur. De iis verò loquitur, qui hominum amicitias superstiti, & vanas animi recreationes ac levitates expectant, & in delectationibus propter Deum emori renuntiant. Et de iisdem subiungit: Ipsi ad reverendissima Christi Sacramenta accedere non metuntur, suas nihilominus consuetudines & modos retinentes, nec aliquid ex prædictis repudiare volentes. . . . Verum utrum ipsi feliciter hinc discessuri, & ad extremum salvandi sint, vehementer incertum est: eo quòd fundus eorum sponte irretitus est. Unde ubi necessitas extrema ingruerit. . . . nequiti profusus quo in statu sint, nec facile Deum invenire poterunt, &c. Sermone verò 1. dixerat: si nolle cupis, aurum dignè hoc Sacramentum percipere, vide si cor tuum magis abstractum sit ab omnibus extra Deum, & si vita quam ipsum in te operatum est, foris appareat, & operetur in exteriori homine tuo, in sensibus, in moribus, in conversatione, in verbis, in actibus tuis. . . . Quod quisquis in se non sentit, sed potius cor suum vanitati & otio deditum, ac vacuum, & extrinsecus se dissolutum, ac levem in risu, in verbis, in cultu corporis, stoliditatis quoque vacantem, ac potissimum per immoderatas suas recreationes perennem tempus, & cor denique suum miserè negligentem invenit, atque sciens & sponte talis perseverat, ac nihilominus ad hoc reverendissimum accedit Sacramentum, magno se periculo exponit. Credite mihi, ut Iohannes citum inconvenientem rejicit, sic Dominus Deus ejusmodi hominem ex ore suo multaque præstare ei non accedere.

441 Probat 4<sup>o</sup>. quia illuminatissima Virgo Mediolanensis, sanctissimæ memoriæ, dicta in sæculo Virginia Negya, in Claustro Soror Angelica Paula Antonia, epist. 19. (ex iis, quæ in Concilio Tridentino per R. P. Didacum Laynez, Generalem Societatis, ad id à Legatis Concilii commissum, approbata fuerunt) dicit, ad sacramentam indignè accedere, non solum eos qui accedunt in statu peccati mortali; verum etiam eos qui ad eam accedunt, nec Christi mortem annuntiant. Quippe nos docet magnus ille Apostolus 1. Cor. 11. ab eo panem hunc indignè manducari, qui non judicat corpus Domini, i. sive causam mortui. Ex quo ipso adstringitur ad mortendum omni peccato, sibi que ipsi, & cupiditatibus suis, ad signata Domini Jesu portandum in corpore suo, ad ea que de sunt passionum Christi adimplenda, & ad glorandum in cruce ipsius, atque in infirmitatibus suis. Quodnam est autem iudicium, quòd sibi manducat ejusmodi anima? De ea hic non loquor, que in mortali perseverat crimine; sed de ea que communicat, nec curat proficere in virtute, nec in perfectione progredi, sed in sua tepiditate, degenerique negligentia seipsum fruet. Audite S. Paulum predicantem: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Ipse est status homi-

num istorum, qui semper eadem manent, in passionibus suis ferventes, magni boni incapaces, debiles & fragiles, ignorantes & cæci, pigri & somnolenti, spiritu torpentes, absque fervore, in tenebris ambulantes, nec nunquam in virtute & perfectione proficientes. Dum conspiciunt homines, qui sacramentum Communionem à longo tempore recipiunt, nec solitam vivendi morem unquam mutant, hi sunt qui non annuntiant mortem Domini, cum sincero, ut oportet, desiderio sibi metipsis moriendi, ut vivat in ipsis Christus. Siqua forte eorum animas de eo cogitatio, vel desiderium aliquod subeat, evanida dumtaxat cogitationes sunt, & imaginaria desideria: cum non respondeant gratiæ Sacramenti, nec faciant quòd oportet ad consequendum id quòd desiderant. Ipsi namque satis est, quòd tres vel quatuor lacrymas, inter communicandum, ex oculis suis molliter exsillent. Et post tempus istud ad solitas redeunt ambitunculas, ad suos affectus, ad laudis appetitiones, ad disti actiones, ad vanitates, reque similes. Non pudet juniores Caluistas audire Virginem, per quam locutus est Spiritus sanctus.

Probat 5<sup>o</sup>. quia S. Bonaventura de præpa. 442 rât. ad Miss. c. 5. Apostoli verba, probet autem seipsum homo, sic exponit: Proba te ipsum, ex quanta charitate, & quali fervore accedis: non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata; que per negligentiam & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissoluta vitæ, & male consuetudinis, licet (in quantum venialia) non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & inaptum, & ineptum ad celebrandum, nisi dicitur potueris, & stipula venialium per afflatum Spiritû, & flammam charitatis ventilentur & consumantur, exardescendo igne caritatis, ex consideratione propriæ vilitatis. Ideo cave ne nimis tepidus & inordinatus accedas, & inconsideratus: quia indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspicere & considerate. Unde Apostolus: "iudicium tibi manducat & bibit. Quod apertiùs insinuat, dum subdit, dicens: "Ideo inter vos imbecilles multi sunt, scilicet per fidei inconstantiam; & infirmi, id est gravi peccato sauciati; & dormiunt multi, scilicet per torporem & desidiam.

Probat 6<sup>o</sup>. quia eadem Apostoli verba Ba- 443 filius Magnus l. 1. de Bapt. c. 3 sic interpretatur, ut Apostolus non solum exigat probationem expurgatam à peccatis mortalibus, sed & eò usque à venialibus; ut iis h. mo mori non renuat, sed emendare curet: *Paulus enim contestatur* (inquit) *Christum Dominum nobis corpus suum manducandum præcepisse, in perpetuam Passionis suæ commemorationem, ita scilicet, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est; atque aded nos erga mortem ipsius religiosos ac memores præstando, vite nostre sanctitatem & sanctimoniam, quam qui non habet, & ad sancta nihilominus accedit, horrendam sibi damnationem acquirat. Sanctimoniam verò istam explicans dicit, oportere, ut quisquis accedit ad corpus & sanguinem Domini, in commemorationem ejus qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, non solum purus sit ab omni mortali inquinamento carnis ac spiritûs, ne iudicium sibi manducat & bibit; verum etiam aperte palamque ostendat se memoriam ejus recollere, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit, exhibendo se mortuum quidem peccato, mundo ac sibi; viventem autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. Alius (inquit) Communionem nihil habet utilitatis, juxta sententiam Domini dicentis: "Caro non prodest quidquam. Imò accersit sibi, quæ talis est, iudicium, Apostolo quoque dicente: "Qui edit & bibit indigne, iudicium sibi manducat &*



bibit, non dijudicans corpus Domini. "Non enim terribile tantum iudicium habet, qui cum carnis ac spiritus inquinamento ad sancta accedit indignè; sed & qui negligenter & inutiliter edit ac bibit. Quia per memoriam ejus, qui pro nobis est mortuus & resuscitatus, non custodit illud Apostoli: "Confringit nos charitas Christi iudicantes hoc, quòd si unus pro omnibus mortuus est, oportet ergo omnes mortuos esse" . . . Nam velut sine conscientia (id est discretionè, & iudicio reflexione) & inutiliter tale ac tantum bonum recipiendo. . . iudicium habet segnitiei. Cùm Dominus nec eos impios esse sinat, qui verbum otiosum proferunt; & vehementius quoque otiositatis iudicium declarat in eo qui talentum acceptum in otio & desidia integrum servaverat. . . Ita debemus etiam attendere quòd sit iudicium ejus, qui indignè (quia otiosè, inutiliter, & sine serâ voluntate moriendi peccato, mundo, ac sibi, ut soli Deo vivat) edit & bibit. . . & hac ratione plus aliquantum contristat & infestat Spiritum sanctum, dum sine charitate illa vescitur, que urget, ut asimet se sibiipsum non vivere, sed et qui pro nobis mortuus est.

444 Propter eam idem Basilisus in Moral. reg. 80. c. 22 à communicacoe volentibus exigit, perficere sanctimoniam in timore Dei, & charitate Christi, neque habere maculam aut rugam (quam corrigere non curet); sed esse sanctum & immaculatum. Augustinus quoque hom. 50. inter quinquaginta, de peccatis venialibus loquens dicit, quòd quamvis singula non terribili vulnere ferire sentiantur; tamen omnia simul congregata, & neglecta, velut scabies, quòd plura sunt, nocent, & nostrum decus ita exterminant, ut ab illius Sponsi speciosi formâ præ filius hominum castissimis amplexibus (quibus animam fidelem dignè ad Eucharistia Sacramentum accedentem complectitur) separent, nisi medicamento quotidiana penitentia desecentur.

445 Enimverò quomodo dignus esset Sponsi celestis familiaritate & amplexibus; qui ad ipsum accedit sine reverentia, pietate & sanctitate? Profectò dignus non est divinâ illâ familiaritate, qui ad Sacramentum tanta pietatis sine pietate accedit; ad Sacramentum tantæ devotionis sine devotione; ad Sacramentum tantæ majestatis sine reverentia; ad Sacramentum tantæ sanctitatis sine cordis puritate & sanctitate; ad Sacramentum commemorativum Passionis & mortis Christi sine voluntate moriendi sibi, peccato & mundo; a deoque mortificandi quicquid in se vitiosum agnoscit, Sponsioque dupliciter; ad Sacramentum denique perfectiorum sine studio perfectionis; & ad Sacramentum infinitæ charitatis sine inflammata charitate, imò cum voluntaria tepiditate.

446 Septimò probatur ex Gregorio Magno l. 2. in 1. Reg. c. 1. ubi sic: Non saturantur ergo nisi famelici, qui à vitis perfecte jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Es quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt; quid restat, nisi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quòd deliquit, imò correctionem emendationemque parum curat, est minima sunt peccata que congerit, paulatim anima repletur, atque meritò fructum ei auferunt interna saturitatis. Hac repletione nos evacuari Paulus infirmans, ait: "Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat" . . . Quid enim est hoc loco probari, nisi evacuata peccatorum (etiam venialium, uti contextus manifestum facit) nequitia, se probatum ad Dominicam mensam, & purum exhibere? De repleta autem (peccatis venialibus, eaque evacuari negligenti) subdit: "Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium

tibi manducat & bibit." Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad penitentia lamenta curramus (ne indignè manducemus & bibamus;) quia ipsa sola virtus est, que evacuat, quòd in ventre anime culpa coadunat.

Octavò, ex Chrysofomo homil. 7. in epist. ad Hebr. dicente: Multi semel in anno sacrificii huius participes sunt; alii bi; alii sapienti. Ad hos ergo omnes mea convertitur oratio. . . Quis igitur possimam laudabimus? An quis semel? An qui frequentius? An qui variis Communionem advenit? Neque hos, neque illos, sed eos demum, qui cum pura mentis conscientia, qui mundo corde, ac vitâ integrâ, atque inculpata, Christi corpore reficiuntur. Tales semper accedant; ceteri, qui saltem ad acquirendam vitam integram & inculpata serid non allaborant, sed parum aut nihil curant, nec semel accedant. Quid ista? quia iudicium sibi sumunt, & condemnationem, & penam, & supplicium. Quod sane mirum videri non debet: nam quemadmodum alimentum, quod naturâ suâ nutriendi vim obtinet, si in ventriculum naufragantem, atque impurum ingestum fuerit, ipsum gravat, damnum auget, atque adeo invictâ multiplici corruptelâ morbus creat: idem quoque in accidit, qui malè affecto animo tremenda illa perinde ac veneranda Sacramenta manducant. Quapropter homil. 60. ad populum Antiochenum: Accedas (inquit) nemo cum naufraga, nemo remissus; sed excitati, ac incensi, ac ferventes omnes accedant. Nam si iudes stantes, & calcamenta in pedibus habentes, & baculos manibus gestantes, ægum cum festinatione manducabant; te multo magis oportet esse solertem. Quapropter in omnibus oportet te vigilare: nec enim parva pena proponitur indignè, id est tepid.

Nonò, ex Ambrosio, Hieronymo, Theodoro, &c. sincerum sanctitatis, perfectionis, & sanitatis spiritualis studium pariter requirentibus in accedente ad S. Communionem. Siquidem Ambrosius l. 9. in Lucam Apostoli verba ista Hebr. 5. perfectiorum est solidus cibus, divina applicans Eucharistia, esca (inquit) solidior est corpus Christi; esca proinde sanorum & perfectiorum; non autem infirmorum, & imi effectorum non curantium sanitatem & perfectionem, seu sanitatis ac perfectionis studium: Ne infirmum validior cibus opprimat. . . Qui enim infirmus est, ovis manducat. Et rursum: Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus, saltem à languore spirituali, per serium atque efficax sanitatis studium. Similiter Hieronymus explicans illud Zachariæ, frumentum electorum, & vinum germinans virgines, dicit, hunc panem in comedendum, qui in Christo robusti sumus (id est non languidi, qui proficere non curant) bibendumque hoc vinum ab his virginibus, que sunt sancta corpore & spiritu. Et Theodoretus in cap. 5. Cantic. exponens verba ista: comedite propinquus mei. Illi (inquit) propinqui, perfecti sunt (id est se perficere, atque à vitis expurgare studentes) que ejus imaginem inviolatam & incorruptam servant (id est servare serid amittuntur) quique ipsi unum non sepidè & languidè, sed suammore exoptant.

## CAPUT XXXVI.

Dispositiones à Sanctis requisitæ explicantur, earumque necessitas confirmatur.

Decima & ultima probatio, quâ priores illustrantur, & corroborantur, est quia ad dignam fructuosamque Communionem, ea saltem probatio requiritur, quâ quis rationabiliter confidere possit, vitam suam verè esse Christianam.



vel etiam religiosam, si sermo sit de Religioso. In ista verò probatione multi, & pro dolor! valde multi decipiuntur, illi utique omnes, qui ad sui status perfectionem acquirendam serid non an nituntur, sed perfectionis studium valde negligunt, prout faciunt tepidi illi & otiosi, de quibus agitur in superiori capite. Porro quòd ea saltem probatio necessaria sit, quà confidere quippiam possit, vitam suam verè esse Christianam, &c. nemo est qui revocare possit dubium; soli enim verè Christiani jus habent sedendi ad mensam Christi, faciendique Pascha cum ipso, juxta illud Math. 26. *Apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Quod & Cantic. 5. Sponsus caelestis insinuat, cum ait: *Comedite propinquum mei.* Verè autem Christianus non est, nec verus Christi discipulus, & propinquus, nisi qui dispositiones omnes habet, à SS. Patribus supra requisitas, saltem secundum aliquem gradum; nisi proinde qui peccato, mundo & sibi mortuus est, ut soli vivat Deo; nisi qui Deum ex toto corde diligit, & in isto amore proficere satagit; nisi qui mundare se studet ab omni inquinamento, etiam veniali, carnis & spiritus; nisi qui perfectus & sanctus est, saltem secundum aliquem gradum. Qui enim Christianum dicit, sanctum dicit, ut ex Apostolo, Basilio, Chrysolommo ostendi to. 1. Prolegomeno 3. c. 1. 2. 3. & 4.

450 Enimverò quòd omnis verus Christianus habere debeat sinceram voluntatem moriendi peccato, mundo & sibi, ut sibi non vivat, sed ei qui pro ipso mortuus est; quòd (inquam) ista sit obligatio omnium Christianorum, ratio est quia hoc in baptisate professi sumus, ut Basilius docet citato lib. 1. de Baptis. c. 3. omniaque Evangelica documenta testantur. Quid enim aliud in Evangelio Christus docet, nisi mori peccato, mundo, & nobis ipsis, ut non vivamus nisi Deo?

451 An Christianos ad moriendum peccato non obligat Apostolus, dum Rom. 6. dicit, quòd in Baptismo mortui sumus peccato, nec vivere possimus amplius in illo? *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus... & ultra non serviamus peccato?* An non eisdem Salvator obligat ad moriendum mundo, dum Joan. 15. dicit, *de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo?* Dum etiam mundi dilectionem ipsis prohibet Jacobi 4. & 1. Joan. 2. An non insuper obligat ipsos ad moriendum sibi met ipsis, dum ipsis odium sui praecepit, sicut & sui abnegationem, cum emphasi tanta, ut Luc. 14. dicat: *Siquis... non odit... animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et ibidem c. 9. *Dicebat ad omnes: Siquis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam?* An denique eos non obligat ad non vivendum, nisi ei qui pro ipsis mortuus est, dum 2. Cor. 5. per Apostolum dicit: *Aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* (debito utique, seu obligatione, quasi dicat: oportet ergo omnes mortuos esse, prout explicat Basilius supra) *& pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit?* Ubi Chrysolomus: *rationem ponit indubitatam, propter quam debitum hoc opus ostendit, quia scilicet ad hoc pro omnibus mortuus est Christus. Quam rationem paulò exprefsius urget Apostolus 1. Cor. 6. non estis vestri, per consequens vobis ipsis vivere non potestis: empti enim estis pretio magno.* Quemadmodum ergo ler-

vus emptitius vivere debet ei, à quo emptus est, non sibi; ita Christiani vivere debent ei soli, qui eos tanto emit pretio. Se enim servos tanto pretio emptos negant, si jus adhuc praetendant ad vivendum sibi ipsis, & non ei soli, qui tanto ipsos emit pretio.

452 Verus itaque Christianus non est, nisi qui peccato, mundo & sibi mortuus, soli vivit Deo. Verus etiam Christianus non est, nisi qui memoriam ejus, qui pro ipso mortuus est, *adimplet per imitationem obedientiae Dominica usque ad mortem*, prout Basilius addit ibidem; nisi proinde qui primum maximumque mandatum adimplet, Deum super omnia amando, & in isto amore proficere satagendo, & secundum Evangelicas vivendo regulas, ita ut humilis sit, devotus, & mundo corde, liber proinde ab omni inquinamento, quod corrigere nolit. Verus denique Christianus non est, nisi qui sanctus & perfectus est secundum aliquem gradum.

453 Noli ergo turbari, amice Lector, dum legis vel audis, eas à Sanctis dispositiones ad dignam Communionem postulari, quae puritatem, charitatemque sublimem importare primà facie videntur. Neque enim volunt eas ad dignam Communionem absolute necessarias esse in omni sua perfectione, altissimoque suo gradu, quasi defectus altioris vel altissimi gradus absolute deputetur ad culpam. Ne hoc quidem sibi vult D. Dionysius, dum in lib. de Eccles. Hierarch. c. 3. à sacrificii hujus participatione excludit eos, *qui nondum soli Deo unice adherent, quique... nondum omnino irreprehensibiles sunt, atque immaculati, amoreque Dei puro & simplici accensi non sunt & inflammati.* Ad dictam (inquam) participationem non exigit immunitatem ab omni omnino culpa, omnique creaturarum amore, etiam fluxo & volatico (hoc enim supra humanam est fragilitatem, propter quod Alexander VIII. merito damnavit hanc propositionem: *Arcendi sunt à sacra Communionem, quibus non inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis experti*;) sed immunitatem ab omni culpa, & inhærente creaturarum amore, à quo quis se non studeat corrigere. Proinde vitam irreprehensibilem atque immaculatam hoc sensu non postulat Dionysius, quòd expert sit omnis peccati venialis; sed sensu quem Augustinus exprimit l. 2. de peccat. merit. c. 7. cum dicit, nonnullos *ideo verè irreprehensibiles dici, quia seipso reprehendunt.* Et de perfect. just. c. 9. *Ingradi sine macula non absurdè ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens corrigere, & mandare elemosinis, seu aliis poenitentis.* Alias igitur dispositiones Sancti non postulant, nisi quae necessariae sunt ad vitam verè Christianam.

454 Ad vitam namque verè Christianam necessaria est sanctitas, in duobus punctis consistens, ad quae dispositiones ad dignam Communionem à Sanctis postulatae reduci possunt. Primum est amor Dei praedominans, & super omnia. Alterum est conatus perpetuus magis & magis crescendi in amore isto. Amorem Dei super omnia, omnibus ratione utentibus, ad salutem necessarium esse, tomo 2. demonstravimus, solusque impius & haereticus negare potest. Quòd etiam *noster in Deum amor omnibus nostris amoribus praepondere, & in omnibus affectibus regnare & dominari debeat, & omnibus ad eternam salutem necessariis sit, pulchrè docet, explicatque S. Franciscus Salesius l. 10. de amore Dei c. 6.*

455 Et quamvis amor iste omnibus absolute necessarius non sit in altissimo suo gradu; non sic tamen cadit sub praecipio secundum aliquem gradum, seu mensuram inferiorem, ut solum sit de-



consilio secundum altiore gradum; imò secundum altiore gradum, etiam illum quem habebit in cælo, aliquo modo cadit sub præcepto, uti cum Sanctis Augustino, Bernardo & Thoma probavit. 1. l. 10. n. 197. & hic repetere non erit inutile. Audi S. Thomam 2. 2. q. 184. a. 3. *Per se essentialiter perfectio christiane vite consistit in charitate; principaliter quidem secundum dilectionem Dei; secundario autem secundum dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia divina legis. . . Non autem dilectio Dei est proximi cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram, ita quod id quod est plus sub consilio remaneat, ut patet ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionem demonstrat, cum dicitur: DILIGES DOMINUM DEUM EX TOTO CORDE TUO (totum enim est perfectum idem sunt, secundum Philof. in 3. Physic.) & cum dicitur: DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. Unusquisque enim seipsum maxime diligit. Et hoc ideo est, quia finis præcepti charitas est, ut Apostolus dicit 1. Timoth. 1. In fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quæ sunt ad finem, ut Philosophus dicit in 1. Polit. sicut Medicus non adhibet mensuram quantum sanet, sed quantum medicinam vel dietam utatur ad sanandum. Et ad 2. Perfectio divina dilectionis universaliter cadit sub præcepto, ita quod etiam perfectio patriæ non excluditur ab isto præcepto, ut dicit Augustinus in l. de perfect. just. ante medium, ubi sic: "Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat, nec habere possit in effectu (ita ut affectus ipsius secundum totum suum posse semper actu tendat in Deum) sed in affectu dumtaxat seu desiderio & conatu? Non autem efficitur transgressor hujus præcepti aliquis, ex hoc quod non optimo modo implet (prosequitur sanctus Thomas) sed sufficit quod quoquo modo impleat illud. . . Et similiter non est transgressor qui non attingit supremum vel medium perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum. Itaque perfectio charitatis (inquit Augustinus lib. de perfect. just. ante med.) homini in hac vita præcipitur: quia non rectè curritur, si quod currendum est nesciatur. Quomodo autem scietur, si nullis præceptis ostendatur? Nec tamen præceptum istud perfectè in hac vita adimpletur, sed in vita gloriosa, ut docet in lib. de spir. & lit. c. ult. Hoc præceptum justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, in illa vita implebimus, cura videbimus facie ad faciem. Ita etiam S. Bernardus serm. 50. in Cant. Qui & hoc sensu dicit, quod modus diligendi Deum est diligere suo modo.*

456 Nec tamen nobis imputatur ad culpam, quod in hac vita perfectè non impleamus, prosequitur Augustinus ibidem, dummodo non negligamus sic in amore crescere & proficere, ut nunquam a proficiendo & crescendo celssemus. Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei in nobis, quantum illi cognitioni plena perfectæque debetur, jam culpa deputandum est. Sed (ut paulò antè dixerat) ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur quid fide exposcere, quod spem præmittere, & obliviscendo quæ retrò sunt, in qua anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum nobis videtur, in ea que perficienda est justitia multum ille profecit, qui quam longè sit a perfectione justitiæ, proficiendo cognovit.

457 Tamen ergo Christianis ad culpam non imputatur, quod ad charitatis plenitudinem perfectionemque in hac vita non perveniant; duo tamen ipsis necessaria sunt, non solum ut digni sint Communione, sed & ut digni sint Christiani nomine. Primum est Dei amor eò utque inflammatus & accensus, ut, sicut S. Franciscus Salesius

ait lib. 10. de amore Dei c. 8. *non solum Deum plusquam vitam nostram diligamus, sed & ipsum generaliter, absolute & absque exceptione aliqua diligamus plusquam omne quod diligimus, vel diligere possumus. Dei quippe amorem omnes amores nostros vincere, & omnibus nostris affectibus regnantis in morem dominari necesse est (ait c. 6.) etque amor iste cunctis necessarius ad salutem. Et, ut addit c. 10. veri homines esse non possumus, nisi inclinationem haberemus diligendi Deum plusquam nosmetipsos; nec veri Christiani, nisi inclinationem istam ad proximum redigeremus. Quod si dignus non sit Christiani nomine, in ejus corde divinus amor sic non dominatur; consequenter dignus non est divini convivii, seu Sacramenti amoris participatione. Ad quod Sancti propterea docent accedendum non esse sine amore incenso, & inflammata charitate (sensu dicto) cum tam excellentem in eo erga nos amorem Deus ostendat.*

Secundum necessarium ad hoc ut homo dignus sit Christiani nomine, ac per consequens ut dignus sit sacra Communione, est diligens studium sincerusque conatus indefinenter procurandi istius divini amoris incrementum & profectum. Manifestè sequitur ex dictis num. 454. & 455. dum enim Augustinus & Thomas, verbis ibi relatis, ajunt Dei ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente dilectionem nobis in hac vita præcipi in tota sua perfectione, altissimoque gradu, id eo sensu sic præcipi non voluit, quasi id quod effectum in hac vita perfectè implere debeamus (nec enim possumus; ) sed sic ut ad id jugiter tendere debeamus, iteròque conari semper in Dei dilectione crescere & proficere, & nunquam a profectu cessare. Quo certè sensu nihil extraordinarium Sancti exigunt, sed id solum, quod cum Sanctis omnibus (spirituales omnes Magistri, sicut & Theologi passim omnes post Apostolum tradunt, quod utique perfectionis studium nunquam intermittere liceat, nullusque Christianus, quamvis multum profecerit, dicere possit, sufficit mihi; sed (ut Apostolus docet) Christiani quæ retrò sunt obliviscentes, ad ea quæ sunt priora extendere debeant semetipsos, ad desinatam persequentes, ad usumque supernæ vocationis Dei. Philipp. 3. Nam, ut Augustinus ait apud Prosperum sent. 134. qui dixerit sufficit, remansit, & hæsit in via ante finem, qui non perseverabit usque in finem. Et isto sensu, tota vita Christiani boni, desiderium est, ait rursus Augustinus tr. 4. in epist. Joan. quatenus scilicet tota vitæ suæ Christianus bonus desiderare, esurire & sitire debet majorem & majorem justitiæ perfectionemque, sive majus majusque divinæ dilectionis incrementum. Non enim ad futuritatem justitiæ, cum hinc exierit, quisquam perveniet (inquit lib. de perfect. just. c. 8.) nisi ad eam, cum hic est, esuriendo & sitiendo cucurrerit. Confer celeberrimam sententiam sancti viri Joannis de Avila n. 487. subjiciendam.

Ista sunt irrefragabilia principia, super quibus immobiliter fundatur necessitas dispositionum internarum, quas ad dignam Communionem Sancti requirunt, dum ad id postulant quod sint charitate accensi & inflammati, id est accensi desiderio in charitate jugiter crescendi & proficiendi, diligenter studendo & conando orationibus, mortificationibus & aliis operibus bonis cum augere, & in ea proficere secundum vires uniuscujusque, mensuramque donationis Christi, ad modum viatorum, ad patriam indefinenter pro viribus proficiendum. Quisquis enim taliter est charitate accensus & inflammatus, verè certo sensu sanctus est, & perfectus, sine macula, irreprehensibilis, mortuus peccato, mundo, & sibi, soli vivens Deo, verè in ipso est amor Dei simplex ac purus, licet nondum purissimus. Verè (inquam) dispositio.



friones illas & prerogativas obtinet, si non in gradu heroico & eminenti, saltem in gradu ad dignam Communionem, & ad evadendam primi maxime mandati transgressionem sufficienti; utpote ejus transgressionem evadit, qui quocumque modo perfectionem divine dilectionis attingit (inquit Angelicus Doctor 2. 2. q. 184. a. 3. ad 1.) modo in ea ipsa dilectione jugiter conetur proficere. Quilibet enim tendere tenetur ad perfectionem charitatis, prout idem S. Doctor tradit ibidem q. 186. a. 2. ad 2. faciendo utique quicquid boni potest, secundum quod requirit conditio sui status. Isto namque modo implere tenetur id quod omnibus dicitur Eccli. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare*, prout idem sanctus Doctor addit ibidem.

460 Quod autem verè dispositiones illas & prerogativas habeat, quisquis modo dicto charitate accensus est, & inflammatus, sic ostenditur. Est enim primò sanctus: utpote verus Christianus. Si quidem omnes veros Christianos sanctos vocat Apostolus Rom. 1. v. 7. 1. Cor. 1. v. 2. Ephes. 1. v. 1. Philipp. 1. v. 1. &c. Enimverò si Christiani omnes, & fideles baptizati in illo Christum induerunt, & dicunt se sanctos non esse, Capiti faciunt injuriam, cujus membra facti sunt, & sancta esse debent, secundum illud, "sancti estote, quia ego sanctus sum." Verba sunt Augustini in Plal. 85.

461 Secundò est perfectus, saltem sincero sanctitatis ac perfectionis studio. Quo saltem sensu Christianos omnes esse debere perfectos Salvator docet Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est*. Verum perfectio ista absque imperfectione non est in hac vita, atque, ut Augustinus dicit in l. 3. ad Bonifac. c. 7. homo iustus in hac vita sic perfectus nominatur, ut ad ejus perfectionem perveniat etiam ipsius imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate confessio. Ideoque Apostolus & imperfectum & perfectum se dicit. Imperfectum scilicet, cogitando quantum illi ad iustitiam desit, cujus plenitudinem adhuc esurit & sinit. Perfectum autem, quod & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & us perveniat, bene procedit. Sicut possumus dicere perfectum esse viatorem, cujus bene promovetur accessio, quavis non perferatur accessio, nisi fuerit facta perventio.

462 Tertio est irreprehensibilis & sine macula, sensu quem ex Augustino expolimus supra n. 453.

463 Quarto est mortuus peccato, mundo, sibi, solumque vivens Deo. Aliàs verus non esset Christianus, ob ea quæ dixi n. 450. & 451. Quodque talis esse debeat, qui Christum sumit, ratio est, quia Christum sumendo facere debet commemorationem sacrificii crucis ipsius; isti proinde sacrificio jungere debet sui ipsius sacrificium, ut in una eademque oblatione totum corpus uniat, dum unà eum Capite membra sacrificantur. Seipsum verò Deo sacrificando, homo sibi, peccato & mundo moritur. Quia, ut Augustinus dicit lib. 10. de Civit. c. 6. cum anima se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accendat, formam concupiscentie secularis amittat, eique tanquam incommutabili forma subdita reformetur, fit sacrificium. Et ipse homo, Dei nomini consecratus, & Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est.

464 Quintò denique in ipso est amor Dei purus & simplex. ut D. Dionysius requirit, in quantum scilicet Dei amor in corde ipsius reliquis non miscetur affectibus, quibus veluti victis & inferioribus dominatur; sicut oleum aliis non miscetur liquoribus, quibus supernatur. Tamen interim homo, non obstantibus omnibus illis prerogativis, nondum ex toto liber fit ab imperfectionibus suis, languoribus, & peccatis, quæ dum curare emen-

Tom. III.

dareque studet poenitentia salutaris remedio, pro iisque quotidie in corde suo gemendo, depræcando, & securim ad radicem arboris (ne ultra pululet) non ad solos ramos apponendo; peccata illa & imperfectiones non obitant, ne phraisi divinae Scripturae & SS. Doctorum dicatur sanctus, perfectus, irreprehensibilis, sine macula, &c. Nam, ut S. Bernardus post Augustinum ait epist. 253. *indefessum proficiendi studium, & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur*.

Confer hæc dicta cum dictis Sanctorum cap. 38. proferendis: quia per ea validè confirmantur.

## CAPUT XXXVII.

*Regula secundum quas determinandum est Con-fessarius, quid expedit penitentibus circa frequentem, vel minus frequentem S. Eucharistiæ perceptionem.*

Regula I. Per se loquendo semper in Ecclesia approbatus & commendatus suis frequens quotidianusque usus S. Eucharistiæ. Quem proinde secundum se reprobare temerarium foret. Patet ex Decreto Innocentii XI. de 12. Februarii 1679. seu potius S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum per Innocentium XI. approbato, circa Communionem quotidianam, in quo dicitur, quod frequens quotidianusque sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus. Magna verò temeritas foret reprobare quod Ecclesia testatur in Ecclesia semper probatum fuisse. Neque circa hoc ulla est, vel umquam fuit inter Catholicos controversia, sed circa qualitatem & quantitatem præparationis dumtaxat. Sunt autem valde diversæ quæstiones istæ: An Communionis quotidiana sit secundum se laudabilis & commendabilis? Et qualis & quanta ad quotidianam Communionem præparatio requiratur?

Regula II. Qualis & quanta ad frequentiore S. Eucharistiæ usum præparatio necessaria sit, non potest pro omnibus unà generali regulâ statui. Quia, ut in eodem Decreto dicitur, multiplices sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritibus alienationes; multa e contra gratia & Dei donâ parvulis concessa. Quæ eam humanis oculis scrutari non possumus, nihil certè generaliter de cujusque dignitate atque integritate, & consequenter de frequentiori & quotidiano vitalis panis usu potest generaliter constitui. Ibidem.

Regula III. Frequens ad sacram alimentam percipiendam accessus, Confessoriorum, secreta cordis explorantium, iudicio est relinquendus: qui non ex solo statu gratia, vel (non conscientia peccati mortalis) sed ex conscientiarum puritate, & frequentia fructu, & ad pietatem processu laicis negotiantibus, & conjugatis, quod prospicere eorum salutis profuturum, id illis præserbere debeant. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudare, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admovent, tanto magis ob sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentia vacandum, puriorque mente ad celestium epularum Communionem esse conveniendum. Ibidem.

Regula IV. In hoc Pastorum diligentia, Confessoriorumque prudentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti & quotidiana sacra Communionis sumptione, unica præcepti formula, nullâ habita ratione magna virtutis, ferventisque devotionis & charitatis, quæ aliqui poenitentes excellent, aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter continuantur, sed magis quid singulis permittendum...



sibi decernendum patet, illudque omnino provideat, ut nemo à sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, per se & absolute loquendo repelatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque digne, non pro solo gratiæ statu, sed pro devotionis & præparationis modo, rariùs aut crebriùs Dominici corporis suavitatem degustet. Ibidem: Unde patet 1.º præcipuum hujus Decreti scopum fuisse præparationis curam, ut pro mensura puritatis mentis, & incrementi devotionis, & fervoris spiritus, & fructus, quem personæ ipsæ ex usu Sacramenti experiuntur, major vel minor frequentia sit ipsis à Pastoribus & Confessoribus determinanda.

469 Patet 2.º allato Ecclesiæ Decreto consonam non esse propositionem, quæ dicit, ad frequentem & quotidianam Communionem in quocumque sufficere, quod careat conscientia peccati mortalis. Cùm Decretum id satis insinuet, dum vult à Confessoribus attendi, non solum immunitatem à peccato mortali, sed conscientiarum puritatem, & frequentie fructum, & ad pietatem processum, devotionisque & præparationis modum, ulque addo, ut addat, quod ipsemet Moniales, quotidie sacram Communionem petentes, admonende erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; illasque solas censeri dignas quotidianam Communionem, quæ puritate mentis exilent, & fervore spiritus valde incalcescant: Si quæ verò puritate mentis exiteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut digna frequentiori, aut quotidiana sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Et ut magis ostendat scopum suum principale esse præparationis curam, præter Parochorum & Confessoriorum diligentiam, operâ quoque Concionatorum utendum hortatur, ut cum fideles ad sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud suspendendam præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos qui ad frequentior, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini iudicii formidine discant cælestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, SEQUE AD MAJOREM PRÆPARATIONEM ACCINGERE. Episcopi verò, in quorum Diocesis viget hujusmodi devotio erga sanctissimum Sacramentum... eam ipsi, adhibito prudentiâ & iudicii temperamento, alere debeant, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentia parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri & immaculati Agni perceptione tollatur, VIRTUTESQUE ACCONA IN SUMENTIBUS AUGEANTUR. Quod aliunde continget, si ita qui... se sacratissimo pane frequentius refici cupiant... se probare eum timore & charitate assueverint, &c. Hactenus Decretum: ex quo

470 Patet 3.º Ecclesiæ sententi consonas non esse propositiones à n. 423. ad. 433. recensitas, in eoque principio à suis Authoribus fundatas, quod ad Communionem, etiam frequentem, solus gratiæ status sufficiat, nec alia devotio aut præparatio requiratur. Cujus oppositum constat ex dictis præcedentibus.

471 Patet 4.º Missionariorum illorum zelum non esse prudentiâ & iudicio temperatum, qui (ut nosse Lumbierus refert observ. 14. ad proposit. damnat. n. 480.) curam omnem sui laboris, & quasi suæ gloriæ, & felicitatis existit punctum in eo ponunt, ut in oppidis Communionem quotidianam, & frequentiam Sacramentorum inducant... Putant enim magnum suarum concionarum fructum, si in oppidis

centum focorum, totidem Communionem quotidianam instituerint, ita ut inducant ad quotidie communicandum vilis sortis & infime feminas, v. g. letrices, licet postea totâ die, cum vicinis, ad flumen, ad fontem, ad furnam rivatae sint. Inducunt mechanicorum officiorum famulos, licet totâ deinceps die tempus in joci, otiositatibus, & cantilenis profanis insumpserint. Inducuntque alios, in ludo forumarum, & temporis vitiosè prodigos. Et eo hæc omnia prætexta, & principio mixta, quod ad quotidie communicandum sufficit, nec ultra requiritur, quam non habere conscientiam peccati mortalis, nec proinde obstant simpliciter cantiones ille profana, nec ille continuata rixa, utpote non mortales.

Patet 5.º majorem in sapiens, quam in rariùs 472 communicante virtutem præparationemque requiri. Nam, ut sapienter idem Lumbierus n. 505. observat, se insinuat in strictiorem familiaritatem cum Rege Regum; ex eo proinde capite ad majorem tenetur gratitudinem, reverentiam, & charitatem, devotionem. Et sicut necesse est Communionem ab altarum rerum perceptione, ita & frequentem Communionem à rariori fecerunt. Unde S. Franciscus Salesius l. 2. epist. 38. ad primariam feminam scribit, non probari sibi, quod filiam suam decimo-quinto quoque die ad sacram mensam accedere sinat, nisi non solum ardentissimam Communionis studio teneatur, sed & à levioribus illius ætatis vitiiis diligenter se expurgare studeat: Nolim (inquit) filiam tuam ad frequentem adeo Communionem adducas, nisi antea quid sit Communio frequens, rectè perpendere noverit. Aliud est Communionem ab altarum rerum perceptione; aliud frequentem Communionem à rariori Communione fecerunt. Si tenella illa anima satis perspicit ad hoc mysterium crebriùs adendum magnâ mentis puritate, magnâque flagrantia opus esse, si ad eam emittatur, si ea se ornare studeat, tum vero sapiens, hoc est decimo-quinto quoque die, ad illud admovendam assentior. Sin Communionis tantum percipiendæ, non levium puerilis ætatis macularum eluendam studio tenetur, confiteri eam octavo quoque die, & mensurâ tantum Communionem uti, commodius censet. Sacra Communio, charissima filia, summo, ut mihi quidem videtur, ad perfectionem comparandam adjumento est. Sed eam à nobis ita adiri oportet, ut quicquid Deo, quem recipere volumus, displicet, evellendi atque amovendi studium ac diligens offeramus. Et ab eodem Salecio, necnon ab Alphonso Rodriguez summo in pretio habitus Avila l. 1. p. epist. 64. cui-dam animarum Directori scribens, Noli (inquit) sinere eos ad Dei mensam accedere, quoties capiunt. Multi enim animi levitate potius, quam intimo pietatis ac venerationis sensu Eucharistiam adeunt. Unde accidit ut ex ea nihil fructus capiant (nota pro confirmatione dicitur cap. 33.) nec meliores efficiantur. Quod quidem damnum animæ per-magnum est, & quoad fieri potest summo perè vitandam. Fac ut mysterii hujus sublimitati profundâ ac religiosâ animi deiectione se substerant. Quid si quem secus se habere perspexeris, argue illum, caelestis quoque panem ei subtrahere, quoad illum vehementer concupiscat, seque eo indignum fateatur.

## CAPUT XXXVIII.

Monita Sanctorum, illustriumque Doctorum, circa Communionem, ejusque frequentiam.

Præter Dionysium cap. 36. relatum Justinus 473 Martyr Apolog. 2. monet, illos solum fideles Eucharistia fieri debere participes, qui conscientiam Christi præceptionibus vitam agunt. Basilii l. 1. de Bapt. Peccato, mundo ac sibi mor- 474



- nam esse oportet, viventem autem Deo in Christo Jesu Domino nostro, qui Eucharistiam mereatur accipere.
- 475 Chrysostomus (præter dicta n. 447.) hom. 47. in epist. ad Hebr. monet illos solos ad cælestem mensam idoneos esse, qui cum munda conscientia, cum mundo corde, cum vita quæ nulli affinis est reprobationi accedant. Qui sunt hujusmodi, semper accedant; qui non sunt ejusmodi, nec semel quidem. Et ibidem homil. 7. illud solemniiter inter Missarum solemnità à Diacono declamari solitum sancta sanctis explanans, vox illa (inquit) in nostras aures incurrens, alios quidem repellit & ejicit; alios autem introducit & sistit. Nam quando dicit: sancta sanctis, hoc dicit: si quis non est sanctus, non accedat: Non solum, inquit, à peccatis purus, non solum conscientiam non habens mortalis peccati, sed etiam sanctus. Sanctum enim non facit solum liberatio à peccatis, sed etiam presentia Spiritus, & bonorum operum abundantia.
- 476 Ambrosius lib. 5. de Sacram. c. 3. Accipe quotidie, quod quotidie tibi proficit: sic vive, ut quotidie merearis accipere. Et serm. Dom. 4. Advent. Mutet vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam, & magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur, magis occiditur, quam vivificetur.
- 477 Augulhinus tr. 26. in Joan. Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi. De spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. O Sacramentum pietatis! 6 signum unitatis! 6 vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non sit pure membrum, quod rejecari mereatur. Non sit distortum, de quo erubescatur. Sit palchrum, sit aptum, sit sanum. Hæreat corpori, vivat Deo de Deo, nunc laboret in terra, ut postea regnet in celo. Christi Sacramenta aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est, de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.
- 478 Gennadius de Eccles. dogmat. c. 53. Quotidie Eucharistiam accipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi fuerit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant.
- 479 Bernardus serm. de B. Magdalena requirit interstitium morositatem inter sacrificium cordis contribulati, & sacrificium laudis per participationem Eucharistiæ, ad id applicans explicationem duplicis unguenti, quo Maria unxit pedes Jesu. Neque enim statim atque pedes unxit unguento cordis contribulati, statim aliud unguentum sacrificii laudis effudit super caput recumbentis: Interstitium morositatis inter pedes debet esse & caput. Quia profectò difficillimus, & præsumptuosus saltus est à vestigiis ad verticem Domini transvolare. Neque enim eadem que unxit pedes, statim unxit & caput: cum illa meretrix nihil horum fecisse legatur, secundum illud: verte impios, & non erunt. Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profectò jam electa, jam familiaris effecta, longè que à peccatrici illius obvoluta vestigiis, quam infelix ille septenarius confundebat.
- 480 S. Thomas 3. p. q. 80. a. 10. In sumente hoc Sacramentum requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Unde quia multoties in pluribus hominibus multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispotionem vel animæ; non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere. Quòd autem sine magna devotione & reverentia nemo debeat ad hoc Sacramentum ac-

cedere, ipsa tremenda Majestas Domini in hoc Sacramento se tam amorosè & dignanter communicantis ostendit. Si enim Exodi 3. Moytes prohibitus est accedere ad Dominum, sub figura rubi ardentis apparentem, nisi cum reverentia magna, solutisque calcamentis affectionum terrenarum: Ne appropies huic, solve calcamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est: multò magis Christianus prohibetur accedere ad Dominum, in veritate se communicantem, sine magna reverentia & abiectione affectionum terrenarum, &c. maxime cum Apostolorum affectus adherens vel ipsi humanitati Christi fuerit ipse obex receptionis Spiritus sancti, juxta illud Joan. 16. Si non abiero, Paraclitus non venit ad vos. Apostoli (ait Bernardus serm. 3. de Ascens.) adhuc carni Dominicæ inherentes... Spiritus sancto repleri nequiverunt.

S. Bonaventura de profectu Religios. c. 77. Si aliquis desiderat experiri, utrum sit melius, sepius aut rarius corporis Christi suscipere Sacramentum: videtur mihi, quòd non possit super hoc omnibus dari regula uniformis. Varia sunt hominum merita, & diversa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritus sancti operationes in singulis, & diversi etiam status in Religione. Et ideo sicut egrotantibus non potest una forma servari in dandis medicinis corporis, propter diversitatem complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ, aut aliarum considerationum, pro quibus aut rarius, aut sepius, aut majori, aut minori quantitate eadem medicina datur. Ita & de medicina spirituali, quæ est corpus Christi, est intelligendum. Mundanis enim curis occupati rarius possunt se ad illud recipiendum expedire, quam illi qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti: & alii magis, alii minus sunt circumspècti in custodia vita sua, & morum, & conscientie sue puritate. Alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad illius salutaris cibi perceptionem. Alii verò quodammodo terrenatur, cum debent accedere: & nisi conscientia urgeret, & consuetudo Religionis induceret, vel timor majoris elongationis à Deo impelleret, valde raro accederent ad illud mirificum Sacramentum. Vix tamen aliquis ita religiosus esse videtur & sanctus, exceptis Sacerdotibus, qui semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare. Nisi specialis causa quandoque vel ratio plus suadeat, infirmitas superveniens, vel singulariter severitas sollemnis, vel iniustitate devotionis fervor, & intemperata desiderii sitis sit pro illius susceptione, quo solim sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus non nisi à Spiritu sancto, ut creditur, infunditur; ideo legitibus humana consuetudinis, & statuti mortaliū non ardeatur.

Et infra: Circa Sacerdotes potest hæc forma teneri, ut nec nimis raro, nec nimis continuè celebrare, vel imprætermisè sacram hostiam studeant immolare. Nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam; cum vix aliquis tam devotus sit, qui semper eadem devotione fervat, quòd semper cum debita reverentia illud faciat, & cordis ardore, quin aliquando reperiat quantumcumque, quòd cum impediatur. Nimis etiam raro celebrare, quamvis ex reverentia soleat fieri & humilitate; tamen quandoque torporem nutrit, quia minus circumspèctus est homo in omnibus, quasi non indigere videatur sui custodia, cum non proponit accedere ad mensam Christi. Humilitas etiam non est usquequaque securæ, quòd dicit se subtrahat. Quia sicut non est dignus sæpè corpus Christi percipere, sic nec semel. Ideo enim non recipimus, quasi qui digni simus; sed ut illo nos sæpè visitante, & habitaculum cordis & corporis nostri subintrante, magis ac magis digni efficiamur.



482 Et in 4. dist. 12. p. 2. a. r. q. 2. Si queritur, utrum expediat alicui frequentare Communionem? dicendum, quod si se videat esse in statu Ecclesie primitivae, laudandum est quotidie communicare. Si autem in statu Ecclesie finalis, utpote frigidam, & tardam, laudandum est quoad raro. Si autem in medio statu, medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare, ut adsit revereri: aliquando accedere, ut inflammetur amore. Quia tali hosti debetur honor, debetur & amor. Et tunc secundum illam partem, quae viderit se magis proficere, ad illam magis declinet, quod homo solum experientia discit. Omnes ergo rationes (pro frequenti vel quotidiana Communionem adduci solent) intelligantur salva debita preparatione, quae est in paucissimis ut semper.

483 S. Bernardinus Senensis de preparat. Sacram. to. 4. Talis questio (ait ex Alexandro de Ales) de frequentatione Sacramenti, sive Communionis, determinanda est, habita consideratione ad fidem & devotionem accedentis. Quae quia in paucis sufficiens est ad frequentatorem Communionem, S. Thomas Villanovanus item de SS. Sacram. statuit sufficere octiduanam. Quam etiam S. Ignatius Societatis Fundator, Clericis non Sacerdotibus sufficere statuit, ut videre est in Constitutionibus Societatis, in quarum p. 4. c. 4. §. 3. lit. B. additur, quod frequentius quam octavo quoque die communicare, non nisi peculiari ob causas, & potius necessitati, quam devotionis habita ratione permittatur. Sancta quoque Theresia suarum Constit. p. 1. c. 37. §. 4. Sororibus Communionem solum permittit singulis Dominicis ac Festis Christi, B. Virginis, S. Alberti, S. Joseph, & Patroni.

484 S. Franciscus Saleisius introd. p. 2. c. 20. Quotidie Eucharistiam percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis communicandum suadeo, non quibuscumque, sed dispositis ut sequitur: si tamen mens sine affectu peccandi fuerit. Utor ipsi B. Augustini verbis (i.e. potius Gennadii de Eccl. dogm.) quem sequens, quotidianam Communionem omnino nec laudo, nec vituperor. At eum (Philobea) Augustinum (sub cuius nomine illa sententia solebat circumferri) vehementer suadere, atque hortari, ut die quoquo Dominico Eucharistia percipatur. Hoc ergo, quoad poteris, facito. Sed quae lege & conditione? sequitur: Cum enim te ab omni tum mortali, tum veniali peccati studio ac voluntate alienam existimem, eam plane, quam requirit Augustinus (audis?) animi affectionem & preparationem es adeptus. Et in fine capituli: Ut quis octavo quoque die Eucharistia percipiione percipiat, ab omni enim mortali peccati labe, ab omni peccatorum ventralium studio ac voluntate immunem esse, ac praeterea sacrae Eucharistiae vehementer desiderio flagrare oportet. Alia ex eodem Saleisio habes supra n. 472. ex epist. 38. lib. 2. ubi Communionem singulis quindenis nimis frequentem censet pro iis qui flagrans desiderium solum habent ad Communionem, non ad imperfectionum suarum mortificationem. Et epist. 39. docet peccata venialia iustam Confessario causam esse posse minuendi frequentiam Communionum. Scribens namque ad nobilem spectatam virtutis feminam: Quid Confessario (inquit) morem gessisti, recte ac prudenter a te factum est, si tibi crebrioris Communionis solatium eripuerit, ut tui periculum faceret, si quod impatientie frangenda sanandaque non satis studeres. Imo vero utramque ob causam id ab illo factum, tibi quae ea in poenitentia quoad eo esset, perspicuum esse existimo. Nihil enim ab eo nisi perspicuum & sapienter fieri statueret debet. Quid si modeste, ac demissa obediens, uberior tibi & fructuosior vel una Communionem fuerit, quam duo, trejue, alia mente suscepta. Namquam enim salubrioribus cibis est, quam cum ab excisato &

esuriente percipitur. Intervallo autem esuriae atque appetentiae crescit, comprimenda vero impatientiae exercitatione stomachi spiritualis vis ac firmitas redintegrabitur.

Avila 1. p. epist. 64. post verba n. 472. relata 485 subjungit: Vulgus fidelium ter quaterve per annum. Alios novies aut decies. Religiosos decimo quinto die Communionem percipere satis fuerit. Conjuges tertiam quaque hebdomadam, vel singulis mensibus idem prestare commode poterunt. In quibus autem extremum quemdam Dei zelum atque amorem se fervere perspexerit, ut eorum in vite sanctitate incrementum atque progressum quasi ad oculum pateat, iis octavo quoque die sacra Communionem vesci licet. Hec enim B. Augustini (Gennadii) sententia est: Communionem crebrius indulgenda minime est, nisi forte aliud videatur suadere, aut fames ardentior, aut reverentia insignior, aut necessitas manifestior. Quae quidem animadvertenda in nonnullis, & prudenter gubernanda sunt. Rarum autem eorum genus existimo, quibus sepius quam octavo quoque die Communionem adire conveniat. Hinc D. Bonaventura testatur, ex omnibus quos notos habuerit, cui frequentior expediret Communionem, se praesus reperisse neminem. B. Franciscus Paduanus initio ter quaterve per annum ad Confessionem & Communionem accedebat. Postmodum in vite integritate ac sanctitate proficere, idem singulis diebus Dominicis faciebat. Qui vero celesti illo pabulo dignatus fuerit, in tanti benefici memoriam, opere atque officio aliquo Christi liberalitatem remunerari debet, vel aliquo animi labe quotidie detorsa, vel alia opera quapiam, quae cuique Communioni quasi vicem rependere videatur.

Et epist. 65. Multum errant, qui solum Communionis cupiditatem, a consuetudine potius quam a ratione veritatem natam, pro idonea ad Eucharistiam preparationem habent. Quod si praeter ea, cum Christi corpus accipiunt, lacrymasque effundunt, magis se proficere arbitrantur. Verum eo falluntur, quod Communionis fructum, quem nullam capiunt, non satis attendunt, neque intelligunt, nec cum proba Communionis signum, animae profectum esse, atque ad pietatem progressum, quam si assurgunt, recte ad Eucharistiam sepius recurrunt: si minus, ab ea debent abscedere. Communionem facienti sunt, quantum periculi sit, ignem divinum sine colligentem non incallescere, pane celesti recentem ejus suavitate non imbuti, praesentissima medicina usentem in summa nihilominus acritudine jacere. Eripiendus illis cibus, tamquam inertibus, & ignavis, ut tanti boni penuria laboris aliquid & sudoris subeundum intelligant, quo ad sacras epulas sanctius se praeparant, culpae, in quas identidem incurunt, acriter ulciscantur, earum medicinam ardentius appetant, orationi ac bonis operibus toto peccore insistent, ut ita instructi ac praeculti, cum interiori esurie ad caelestem panem edendum properent: hic enim cibus, ut ait Augustinus, interioris hominis famem postulat.

Et epist. 66. Frequentem esse istam Communionem usum accepit, atque alicubi frequentatorem quam velim; esse nihil me magis delectet, ubi recte atque ordine fit. Nactus sum, qui, cum ignavi essent & desidiosi, neque de salutis progressu admodum solliciti, eo tamen tenerentur errore, ut pro se Communionem desungi arbitrarentur, si id ipsum sepius facerent, atque interea aliquo pietatis sapore caperentur, qui brevis & fluxus nihil veri fructus & incrementi virtutis afferret. Nam & ille ipse tenuiculus pietatis sapor paulatim evanescebat, eoque res redit, ut nibilo amplius ex sacra Eucharistia assurgant, quam si illam omnino non assurgissent. Hoc vero detrimentum frequentior quam par est tantis mysterii usus imponat: cum scilicet vita cele-



si cibo minus est digna. Itaque monitum te velim, ne curvis promiscuè sacratissimi panis edendi potestatem facias; sed si illum sapienter largiri velis, uniuscuique animam diligenter explores. Nolim ulli sapius quam octavo quoque die porrigi, quem admodum suadet Augustinus, nisi forte quis tanto alimento præter alius egeat, aut tanta illius appetentiâ & fame teneatur, ut tantæ cupiditati res tantoperè concupita vix sine injuria denegari posse videatur. Reliqui decimo quinto quoque die, vel mense, cibo illo pascendi, monendique, ut si hoc convivio delectantur, aliquo pretio ac symbolo sibi redimentum meminerint, adducendi ad corrigendæ vitæ studium; accuratius denique docendi, si languori & desidie se dedant, minime commistendam, ut panem attrahant, iis solum divinitus comparatum, qui in cupiditatibus expugnandis, domandoque animo, acriter & studiose laborent. Ad utrumque enim panem referendum illud Apostoli: qui non vult operari, non manducet, ne scilicet gratis panem comadat. Cuiusmodi verò, sine labore, ac dimicatione, pane hoc sanctissimo annuum pascere concessum est?

488 Cardinalis Caietanus 3. p. q. 80. a. 10. Circa quotidianam celebrationem nota Augustini (dicere debuit Ambrosii) verbum: sic vive, ut quotidie merearis accipere. Quoniam per sic vivere, intelligendum est, spirituales vitam sic vivere, ut quotidianâ Communionem semper augas. Alioquin non sic vivitur, ut quotidie mereamur accipere. Nam qui quotidie meretur accipere, debet quotidie sic esse dispositus, ut fructum Eucharistiæ (tam frequentis) percipiat. Fructus autem spiritualis huius cibi non est solum actualis refectio; sed augmentum gratiæ. Quoniam per totum tempus presentis vite sumus in statu augmenti. Propter quod crebrè vel quotidie celebrantes discunt in seipsis fructum præterite celebrationis, & secundum profectum vel defectum, proseguantur, vel à prosecutione desistant. Qui verò multis celebrationibus peractis ad altus virtutum non melius se habet quam antè, parum aut nihil proficit.

489 Ludovicus Granatenis conc. 2. in festo corp. Christi: postquam fideles ad frequentiore huius Sacramenti usum cum magna animi puritate & aviditate practicandum adhortatus est: Cum enim (inquit) ex Catholica fidei doctrina certi sciamus, innumeros esse huius divini Sacramenti effectus, atque virtutes, quibus animarum salus constituitur: nihil esse constat, quod magis ad hanc salutem retinendam & conservandam expediat, quam ad illud puro & religioso corde frequenter accedere. Verè enim ut corpora cibo, ita mentes nostræ hæc celesti alimentâ vivunt; nec modò vivunt, sed omnibus etiam virtutum & gratiarum opibus in dies augentur & cumuluntur. Addit tamen: Fratres, nemo credat, me ita ad frequentiore huius Sacramenti sumptionem hortari, ut non etiam illos perterrefaciendus putem, qui ad illud minus piè & religiose accedunt, sive illi Sacerdotes sint, sive non sint. Vadeo enim esse nonnullos, qui partim ex præscripta legum suarum necessitate, partim ex sola consuetudine... ad illud frequenter accedunt. Ut quidam ergo excitandi sunt, ne inmodico timore correpti ab hac sacra mensa recedant; ita alii perterrefaciendâ, ne indignè accedant.

Et conc. 1. Non ita fideles ad frequentiore huius Sacramenti usum adhortamur, ut non etiam illos officii sui admoneamus, hoc est quâ cordis & corporis puritate ad illud accedere debeant. Memorasse enim oportet scripturam esse: domum tuam decet sanctitudo. Et: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. His itaque iustitiæ opibus domus ac sedes Dei ornanda est, & omnes ab ea vitiorum sordes eluende, quo dignum illi habitaculum præbeat.

Et conc. 4. Quotidianam huius Sacramenti per-

ceptionem... cum D. Augustino nec laudare (quia non rectè fieri potest) nec vituperare (quia etiam rectè fieri potest) debemus... Huius namque rei definitio prudentis Sacerdotis iudicio retinenda est. Is enim quid cuique pro ratione status, & conditionis, & virtutis suæ profectu expediat, discernere prudenter debet. Aliis enim variis, aliis frequentius sacra Communio concedenda est. Neque enim quia tantam sui conveniendi atque sumendi copiam Dominus fidelibus concessit, idè minus reverenter ad illum accedere debent: quandoquidem ipse Dominus, qui in lege olim tantam à filiis Israël Sanctuario, atque Arca reverentiam exhiberi præcipiebat, nos in illis monebat, nos erudiebat, ut intelligeremus quâ animi summissione atque devotione ad illum accedere... deberemus, qui tantam soli umbræ atque figuræ reverentiam tribui volebat.

## CAPUT XXXIX.

Allatis Sanctorum moniis omnino consentanea sunt Regule viginti novem, circa S. Communionem tradita ab Illustrissimo, pariterque sapientissimo D. Guidone de Seve, Episcopo Atrabateni, in suo Decreto de die 5. Augusti 1695.

Cum quidam Concionator anno 1694. & 1695. 490 laxius quàm par est de frequenti Communionem in Diocesi Atrabateni concionatus fuisset, nec ad palinodiam induci potuisset, Episcopus ille pastoralis zelo vigilantiaque celebratissimus, propositiones ipsius nimis laxas periculosasque iudicans, ne fidelibus forent in scandalum, sequentes illis opposuit regulas, quibus se conformarent Concionatores Confessariique istius Dioceseos. Eas utpote sapientissimas utilissimasque vitium est hic inferere, in confirmationem eorum, quæ diximus cap. 36. & 37.

## REGULA I.

Nimis exhortari non possumus Christianos, ut frequenter ad Communionem accedant; modò unâ eos exhortemur, ut non accedant nisi cum dispositionibus sanctis, quas ab iis postulat Ecclesia, quæque leguntur in SS. Patribus, & tam accuratè notantur à S. Francisco Salefio.

## I I.

Ut liceat communicare frequenter, haud sufficit non esse in statu peccati mortalis, & Confessionem bonam fecisse: alioquin aliis dispositionibus opus non foret ad communicandum frequenter, quàm ad communicandum rarè.

## I I I.

Sunt Christiani, qui è vitis emergunt, & virtutem exercere incipiunt. Sunt alii, qui proventiores sunt. Sunt & perfecti. Juxta diversos hos status, aut rarior, aut frequentior debet esse Communio.

## I V.

Eucharistia pani comparatur. Qui in ardore febris sunt, panem non manducant. Qui à morbo convalescunt, sumunt modicum. Qui valetudine sunt integrè, ut cibo ordinario eo utuntur.

## V.

S. Francisci Salefii sententia est, ad communicandum octavo quoque die, requiri ut quis neque peccatum habeat mortale, neque affectum ad ullum veniale; atque insuper ut magnum habeat communicandi desiderium. Et ista praxis esse debet sapientum Directorum, probè intelligentium ministerium suum.

## V I.

Bonus Director frequentem Communionem 492 permittere non debet iis personis, quæ meliorem



dici partem transigere solent in se ornando, visitando, ambulando, se recreando, verbo quarum vita secularis est, & mundana tota, quarum etiam devotio tota consistit in exterioribus (quæ sibi præscriperunt) exercitiis ex consuetudine obeundis, vel oblidendis assidue Directoribus, quos colloquiis suis inutilibus fatigant, & à melioribus avocant.

## V I I.

Nihilo magis eam permittere debet additis luxui, luxui, vaniloquio, qui non modicam vitam partem in otio consumentes, pro suaque facultate eleemosynas non erogantes, tam vacui sunt spiritu Dei, quam pleni spiritu mundi, tamen eos (quod satis difficile est) non judicaret esse in statu peccati mortalis.

## V I I I.

Est quoddam Christianorum genus, qui comparati aliis, in eminentiori perfectionis & sanctitatis gradu constituti, vocari possunt imperfecti. Virtutem amore, vitium odio prosequuntur, ad perfectionem aspirant, mortalia peccata perhorrescunt, opera bona multa faciunt; sed labuntur frequenter in venialia, etiam crassiuscula, non ex affectu illis inherente, sed ex consuetudine quam contraxerunt, vel ex violenta quadam naturalique ad ea propensione, contra quam non satis fortiter decernant, & cui proinde non raro succumbunt. Tales consilio indigent boni Directoris, circa Communionis usum magis minusve frequentem. Ipsis Communio magni plerumque est admiculi, nonnunquam etiam magnæ necessitatis.

## I X.

493 Christianum est, indignum se credere Communionem. Sed, absque aliis dispositionibus, nemo propterea Communionem dignus. Alioquin si qui olim postquam sese iuxta Apostoli præceptum probaverant, iusto iudicio contra se prolato, ab ea se separabant, poenitentiam peccatis suis promeritam amplexi, ex hoc evasissent digni. Ipsos proinde Ecclesia per tot annos (prout aliquando fiebat) ab ea segregare non debuisset. Sapientis ergo prudentisque Confessarii est discernere, num illud iudicium, quo seipsos Communionem indignos arbitrantur, ex reverentiæ & humilitatis sensu proveniat, an ex malo conscientie suæ statu.

## X.

494 Christiani, qui primis Ecclesiæ sæculis in gravia labebantur peccata, aliquando annis decem, aliquando viginti à Communionem removebantur. Tamen usum istum Ecclesia modo non habeat, nec Confessarios ad eum servandum adstringat; non idem spiritui ipsius adversum est, quod aliquando per quadragesimam, aut etiam amplius, nonnulli Confessarii ipsos à Communionem separant, dum ad eam satis non videntur dispositi, quique olim ad septem, decem, quindecim & viginti annos ab ea, pro iisdem (quorum rei sunt) criminibus, fuissent absenti.

## X I.

495 Intellectu difficile est, quod continuus Communionum relapsuumque in mortale circuitus, absque sacrilega Sacramentorum Poenitentiae & Eucharistiæ profanatione fieri possit. Jubeantur tamen, qui ejusmodi sunt, frequenter communicare? Potestne salubrius illis consilium dari, quam ut ad tempus à Communionem sese abstineant, quo ad eam dignius, quam antè, recipendam se disponant, salutisque suæ atque conscientie melius consulant?

## X I I.

496 Eximium adversus tentationes antidotum est Eucharistiæ Sacramentum. Panis fortium dicitur, quia fortitudinem ad eas repellendas & superandas confert. In frequenter tamen accedentibus, fortitudinem aliquam esse supponit. Ad illud er-

go, qui tentationes viriliter oppugnant, ab eo vires recepturi frequenter accedant; sed qui sanctitatem consuetudine iis solent infeliciter succumbere, probent seipsos antequam veniant; illi præsertim qui impudicitia succumbunt. Istud quippe vitium præ cæteris huic Sacramento oppositum est.

## X I I I.

Non ergo tales sapiens Director ad frequentem Communionem invitabit, sed eos qui viriliter stant, dæmonique, ne in cor intret, animosè obfistunt. Istis necessarius est panis cælestis, ut roborentur. Aliis necesse est prius ad poenitentiam remedium confugere, quam panem illum sumere. Quia prius curandi sunt, quam alendi. Sua itaque peccata amare flectant, priusquam gustent donum cælestis; sordisque suas tempore notabili eluant, antequam Sponsum amplectantur.

## X I V.

Scripturam sacram allegare, ad fulciendam praxim, ei quam proximè descripsimus adversam, Scripturam sacræ abuti est. Patribus autem, & Sanctis qui post ipsos hac super scripserunt, imponunt, qui eos istius praxos approbatores faciunt.

## X V.

Nec bonus Director dicendus est, qui Communionem frequentem injungit; nec malus, qui rariorem. Sed hac in re, ut & in quavis alia, bonum malumve Directorem facit praxis Ecclesiæ legibus conformis, vel difformis.

## X V I.

Hac ratione non boni, sed mali Directores sunt, qui eos quos dirigunt à frequenti Communionem, absque causa, remouent; & qui eos imprudenter ab ea separatos volunt, absque discussione dispositionum, & profectus eorum in virtute. Mali quoque Directores, qui Communionem omnibus absque discrimine permittunt, serio non attentè ipsorum dispositionem, nec vitæ sanctitatem, nec bono malove usu quem inde facturi sunt.

## X V I I.

Eadem ratione pro sapientibus & prudentibus Directoribus habendi sunt, qui iuxta Ecclesiæ regulas, Patrumque & Sanctorum oracula, certi de frequentis Communionis fructu atque utilitate, & sancto usu, deque ardenti desiderio, quo D. N. Jesus Christus se nobis in hoc Sacramento unire desiderat, nihil prætermittunt, quo fideles, suæ directioni commissos, frequenti Communionem dignos efficiant; dumque gratiæ divinæ auxilio eas sanctitatis ac virtutis dispositiones acquirant, quæ ad fructuosam Communionis frequentiam necessariae sunt, frequentem Communionem non solum ipsis permittunt, sed etiam suadent, ad eamque fortiter hortantur.

## X V I I I.

Nec minus eo nomine censendi sunt, qui indignos ab ea remouent, & in ordine ad permitendam, consulendamve Communionem magis vel minus frequentem, attendunt ad majorem vel minorem virtutem eorum quos dirigunt, suamque ei praxim conformant.

## X I X.

Expediret, quod peccatores, mortalium consuetudine, vel frequenti relapsu, vel occasionibus implicati, dum bonam Communionem Paschalem facere desiderant, ab ipso Quadragesimæ initio ad Poenitentiam Sacramentum accederent, accepturi à prudenti Confessario salutaria, congruaque consilia ad emendationem vitæ, ad profectum in virtute, comparisonemque dispositionum ad bonam sanctamque Communionem requisitarum.

## X X.

Primævorum Christianorum quotidiana erat Communionem; quia longè major sanctitas quam nostra. Siquis hoc sæculo sanctitate illis pares Director judicet, idem ipsis beneficium indulgeat.



Est quia hoc rarum, idèdè facile non præsumendum. Moniales sanctissimæ, & maximè reformatæ, absque speciali licentia, non nisi bis, ter vè ad summum in hebdomada communicant. Et magis ille Sanctus, Bonaventura, in animarum directione, viisq; Domini tam excellenter versatus, raras existimabat esse Laicos tam sanctos, quibus id liceret.

## XXI.

503 Est gemitu dignum, esse Christianos tam paucos, qui ad frequentem Communionem dispositi sint. Nec minùs deplorandum, quòd homines imperfectissimi ad sacram mensam frequentissimè accedant. Male faciunt priores, quòd ad eam se per vitam sanctiorem non disponant; laudandi tamen, quòd, dum ejusmodi sunt, non nisi rarò ad eam accedant. Posteriores nullà ratione excusabiles sunt.

## XXII.

Sunt qui octavo quoque die communicant, qui nec quater in anno communicare digni sunt. An non bonum foret illis consilium, ut rarius communicarent, donec melius dispositi forent?

## XXIII.

504 Jure metuendum, ne dæmon à frequentiori Communionis usu deterreat animas qualdam ad eam optimè dispositas, sed nimium timiditas. An minùs metuendum, ne ad eam plurimas inducat pessimè dispositas?

## XXIV.

505 Non omnes, quovis in statu, communicare debent frequenter; sed omnes satagere, ut in eo se statu, & tam sanctà dispositione constituent, quà id liceat. Itaque qui non communicant, nisi quater in anno, satagant sic vivere, ut octiduis singulis: qui octiduis singulis, ad primorum Christianorum sanctitatem assurgant, ut, quemadmodum illi, ad sacram mensam quotidie accedant.

## XXV.

Major Jesu Christo honor nunquam defertur, quam frequenter communicando, modò adit sanctitas ad id ab ipso & ab Ecclesia requisita. Isto dumtaxat sensu propositio illa est vera, omni alio falsa.

## XXVI.

506 Charitas, sanctitatis origo, regula est Communionum. Vitæ tuæ sanctior est, purior, magis interna, magis à seculo aliena, quàm antè fuit? Ad sacram mensam frequentius accede. At si vitæ tuæ magis laxa sit, & dissipata, serià & attentà mente perpende, an non consultò rarius, quàm frequentius accederes, ut te melius disponeres. Non ergo fallere teipsum, sed ut securus de te, tuoque statu ferat judicium, sapientis Directoris exquire consilium.

## XXVII.

At ubi Directorem illum sapientem invenies? Rarum illum tempore tuo dicebat S. Franciscus Salesius, & adeò rarum, ut unus ex decem milibus eligendus foret. Minùsne rarus nostro hoc tempore? Inveniuntur tamen, nec difficulter cognoscuntur, dummodò de illis juxta Evangelicæ Apostolicæque Regulas discretionis judicium feratur.

## XXVIII.

507 Amor (inquit sanctus hujus sæculi Episcopus) rarioris frequentiorisvè Communionis mensura est. Major vel minor charitas illius usum abstinentiamque plus vel minùs utilem facit. Laudandus Zachæus, laudandus Mathæus, qui Dominum in domos suas confidenter suscipiunt. Laudandus Centurio, laudandus S. Petrus, qui eum humiliter deprecantur, ut à se recedat.

## XXIX.

Non minoris æstimat Augustinus eos, qui ex reverentia & humilitate aliquando abstinere à Com-

munionem, quàm qui ex sanctæ devotionis, seu fiducia & amoris affectu ad eam accedunt. Utraque hæc sententia optima est, utraque sanctissima. Si tamen fas esset decidere, quòd sibi decidendum Sanctus ille non censuit; posterior priori præferenda videretur.

508 Illæ sunt Regulae laudatissimi illius totoque Orbe celeberrimi Episcopi, Sanctorum monitis & instructionibus capite præcedenti exhibitæ planè conformes, nec divinissimi hujus Sacramenti dignitati, fructuosæque receptioni parum consulentes. Facile (cas legendo) colligere est, fideles per eas non detereri à frequenti Communione, sed moneri de procuranda ad eam dispositione, quam Ecclesia, quam etiam tam divini Sacramenti sanctitas, à Christianis postulat. Utinam ad eam omnes taliter dispositi essent. Sed, ut idem Episcopus piè deplorat, unum è gravissimis Ecclesiæ malis est exiguus ardor, quo Christianorum pars magna ad Sacramenta accedit. O quàm longè distamus à felicibus illis sæculis, in quibus primorum Christianorum sanctitas ipsos Communionem quotidianà dignos reddebat! Hoc potenti subsidio superabant ipsi, nosque cum ipsis facile superemus tentationes vehementissimas, & vanas sæculi delicias. Et quare superabant? Quia ad sacram mensam accedebant fide vivà & generosà, semper prompti Deo vitam suam, suæque omnia in sacrificium immolare. Aversi omnimò à mundo, spem omnem suam collocabant in Deo, totique à mundo alieni, pro vitæ & morum suorum regula solum habebant Evangelium, centies mori parati, potius quàm fœdari moribus hominum mundanorum. Sic ergo in charitate radicati, & fundati ad divinum hoc convivium accedebant flagrantis amore Dei, ab eoque recedebant ut leones flammam spirantes, dæmonibus terribiles effecti, & quibuldam velut auris armis adversus fidei, spei & charitatis suæ hostes septi undequaque, ac communiti, tantique mysterii virtute terram in cælum convertentes, velut Aquilæ iursum indefinenter evolabant, nullumque cum terra commercium habebant, sed animo sublimi in cælis semper conversantes, Solem justitiæ acutis ac perspicacibus mentis oculis semper intuebantur. Ad illas tam sanctas dispositiones annitatur & nos, ut eorumdem fructuum mereamur esse participes.

## CAPUT XL.

*Ad judicandum, num penitens habeat dispositiones à Patribus requisitas, præsertim amorem, de quo capite 38. vel etiam gratiam sanctificantem, attendendum non quia dicat, sed quid faciat; nec tam habenda est ratio sterilitatis cogitationum, resolutionum, desideriorum, vel momentaneorum affectionum ipsius, quàm ad opera, mores & vitam.*

Hanc regulam Veritas docet. Est proinde veritas immobilis, sicut Matth. 24. dicit: Cælum & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt. Hanc (inquam) regulam Veritas docet 1<sup>o</sup>. dum Matth. 7. dicit: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Luc. 6. *Unaqueque arbor, etiam rationalis, de fructu suo cognoscitur.* Non itaque de foliis verborum, sed de fructibus operum, ut sancti Patres interpretantur.

2<sup>o</sup>. dum Matth. 7. rursum ait: *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Omnis arbor bona, bonos fructus facit. Omnis proinde arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Et iterum: *Non omnis qui di-*



*cit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum celorum: sed qui facit voluntatem Patris mei.*

511 3<sup>o</sup>. dum ait Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Qui non diligit me, sermones meos non servat.*

512 4<sup>o</sup>. dum per dilectum Discipulum suum i. Joan. 1. dicit: *Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, id est facimus opera tenebrarum mentimur, & veritatem non facimus. Et c. 2. In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata eius observemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum eius, verè in hoc charitas perfecta est. Et in hoc scimus, quoniam in ipso junus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Et c. 3. Filii, nemo vos seducat: qui facit iustitiam, iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Filii mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.*

513 5<sup>o</sup>. dum per Jacobum Apollolum Jacob. 2. dicit: *Quid prodest, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat. ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ostendam tibi ex operibus fidem meam. fides sine operibus mortua est, similis fidei demoniorum: nam & demones credunt & contremiscunt.*

514 Observazione dignum est quòd Apostolus non dicat: *fides sine charitate*, sed *sine operibus mortua est*. Tamen enim charitas, sicut reliquarum virtutum, sic & fidei anima fit, facit tamen mali Christiani seducunt semetipsos, putantes charitatem se habere, cum pleni sint amore sui & mundi. Idèd ergo dixit: *fides sine operibus mortua est*, ut mali Christiani ex suis operibus ad oculum convincerentur, se nec fidem vivam (quæ per charitatem operatur) nec proximè charitatem habere, quia fides sine operibus, id est sine vita regulis Evangelicis conformi, mortua est. In ea proinde, sicut & in omnibus Confessionibus & Communionibus suis, ipsos non bene confidere.

515 Simile quid Augustinus observavit in exposit. epist. ad Galat. ubi quærit: *cum in duobus preceptis dilectionis Dei & proximi, perfecta sit charitas, quæ, teste Apostolo, plenitudo legis est: cur Apostolus, & in hac (ad Galatas) & in illa ad Romanos epistola, solam proximi dilectionem commemorat, nisi quia in dilectione Dei mensuri possunt homines, quia rariores tentationes eam probant. In dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum iniqua cum hominibus agunt. Et ideo opportunius commemoratur illud, de quo quisque facilius convincitur.*

516 6<sup>o</sup>. idipsum probatur ex doctrina Sanctorum, ex qua certum esse dicit Cajetanus 3. p. 9. 79. amorem Dei non esse otiosum, veramque charitatem si ne operibus non dari; id est seipsum decipere, qui sibi persuadet se Deum diligere, si non declinet à malo quod prohibetur, nec faciat bonum quod præcipitur. *Namquid charitas permittit aliquid mali se facere et quem diligit? Sed fortè tantummodo mali nihil facit, non etiam aliquid boni. Ergone charitas permittit te non præstare quiaquid potes ei quem diligit? ... ipsa dilectio vacare non potest. Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem. Dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quicquid potest boni operetur. Quid enim facit dilectio? declina à malo & fac bonum. August. præfat in Psal. 31. Numquam est amor Dei otiosus (ait Gregorius hom. 30. in Evang.) operatur enim magna, si est. Si vero operari renuit, amor non est. Et ratio est, quia amor vita animæ est, ignis est. Nec vita autem otiosa esse potest, nec ignis, nec sine actione esse potest, nec animam inflamat, quin flammula ipsius, seu scintilla ad extra appareat.*

Scio quòd S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 11. ad 3. allata Gregorii verba sic explicat: *Amor Dei semper magna operatur in proposito. non tamen semper magna operatur in actu, propter conditionem subiecti. Sed in primis hoc idèd dicit, quia subiectum, sive homo, in mortali corpore, ob varias hujus vite necessitates, non potest semper magna operari in actu, ut constat ex ratione ipsius. Deinde hoc haud dubie intelligit de proposito, non otioso, quod oblatà occasione, vel cum potest & debet, nihil operatur in actu (cum manifestum sit, non verificari dictum Gregorii, amor Dei nunquam est otiosus, per propositum operandi otiosum) sed de proposito effectivo, seu efficaci, vi cuius amans diligenter operatur pro tempore & loco. Denique S. Doctor solum vult, dictum Gregorii ad sui veritatem non postulare, ut amans Deum sit physicè in actione continua (hoc enim est supra hominis conditionem) sed solum in proposito operandi pro tempore & loco, ita ut suo tempore & loco operari non negligat. Sic enim moraliter loquendo salvatur veritas dicti Gregoriana; quemadmodum veritas hujus propositionis, Petrus nunquam est otiosus, moraliter salvatur per hoc quòd Petrus pro tempore & loco operari nunquam negligat. Si ergo amor Dei, quem quis se habere dicit, pro tempore & loco negligat declinare à malo, & facere bonum, verus Dei amor non est, & qui Deum se amare dicit, nec tamen declinat à malo, nec facit bonum, cum potest & debet, ipse se seducit.*

7<sup>o</sup>. idipsum probatur ex alia doctrina Sanctorum, ex qua habemus, verum amorem probari, non verbis, & iteribus affectionibus, aut desiderijs, sed operibus. Nam, ut D. Gregorius homil. 30. in Evang. ait, *ecce si unusquisque vestrum requiratur, an diligat Deum, tota fiducia, & securità mente respondet, diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis, si quis diligit me, sermonem meum servabit. Probatur ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in epistola sua idem Joannes dicit: qui dicit, diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Ad viosmetipsos ergo, Fratres, retrorsus redite, si Deum verè amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat (nota bene) quidquid sibi ammus, sine operis attestacione respondeat. De dilectione Dei lingua, mens, & vita requiruntur.*

Et S. Aelredus in speculo charitatis c. 7. testatur, etiam perditæ vitæ homines subinde sentire momentaneas divini amoris affectiones, exemplum proferens illius, qui cum mortali vitiorum gurgite absorptus, omni se spurcitia & immunditia traderet, nihil proxijs si gurgit perboroseceret, in tali vita sapientius compungebatur, nec solum timore pœnæ, & peccatorum suorum recordatione, quod fortè nemo miraretur; sed etiam miro affectu in amoris Jesu Christi dulcedinem resolutus, quodam mentis oculo ipsum videretur amplecti.

An putas illum fuisse verum Dei amorem? non: quia, ut S. Aelredus c. 17. pergit, non secundum momentaneum illam, & ut ita dixerim, horarium affectionem Dei pensandum est amor. Quod ex contrariis exemplis perspicuum est insuere. Cum enim in tragædiis, vanisque carminibus, quicquid injuriarum fingitur, vel oppressus, cuius amabilem pulchritudinem, fortissimè mirabilis, gratiosus prædicatur affectus, si qui hæc, vel eum canuntur audiens, vel convenit, usque ad expressionem lachrymarum, quodam moveatur affectu, nonne per absurdum est, ex hac vanissima prædicatione amoris ejus qualitate capere coniecturam; ut hinc fabulosum illum necio quem esse metuerit amare, pro cuius ereptione, etiam si hæc omnia verè & oculis gererentur, ne modicam quidem substantiam sua passionem pateretur expensum? Simili profecto ineptia est, inò multo majori insania, si quisquam luxuriosus,



rigus, aut tepidus, occultis Dei dispensatione (vel diabolica cordis emolitione) ob quosdam internos compungatur affectus, ad vana & lubrica, & fordes prius denud reversurus, secundum seriles has lachrymas, & momentaneos affectus, de eius dilectione terre sententiam.

521 Unde Gregorius ubi supra colligit, eos verè Deum non diligere, qui ad horam, audiendo verbum Dei, per compunctionem habent aliquem Dei respectum, sed postea citò & faciliè ad peccata tentati redeunt. Explicans namque verba illa: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & mansionem apud eum faciemus: Videte (inquit) quid veritas dicat: venimus, & apud eum mansionem faciemus. In quorundam enim corda venit, per gratiam excitantem, & mansionem non facit, per Spiritum sanctum inhabitantem: quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt; sed tentationis tempore, hoc ipsum quod compuncti fuerant, obliviscuntur, si que (id est citò & faciliè) ad perpetranda peccata redeunt, ac si ea minime planxissent. Quod signum est horariam compunctionem ipsorum ex vera dilectione Dei non processisse. Quia si ex ea processisset, Deus in ipsis mansionem fecisset, ut declarat sequentibus verbis: qui ergo Deum verè diligit... in eius corde Dominus venit, & mansionem facit.*

522 Igitur non secundum hos momentaneos affectus... Dei estimandus est amor (prosequitur S. Aelredus c. 18.) sed potius secundum continuam ipsius voluntatis qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati conjungere, ut qualibet divina voluntas prescribat, voluntas humana velit, ut nulla sit alia causa, cur hoc aut illud velit voluntas humana, nisi quia hoc Deum velle cognoscit, hoc utique Deum amare est. Nam voluntas nihil aliud est quam amor... Sane hæc voluntas non secundum momentaneos quoque affectus, sed secundum duo quedam iudicanda est, passionem scilicet, & actionem: si videlicet ea que Deus intulerit, vel inferri permiserit, patienter sustineat, & ea que iusserit, ferventer adimpleat.

Cæterum, ut ait B. Gregorius, nemo credat, quiquid sibi, mens sine operibus, de Dei amore respondeat. Eius est enim sententia qui non mentitur, qui habet mandata mea, & servat ea, hic est qui, me diligit... Proinde affectus illos sentire, non ita, ut autumat, Deum amare est... Ut ergo simplicioribus verbis utar, qui quantumcumque potest, insistit, ut Deum habeat, mandatis videlicet eius obtemperando, & secundum Apostolica & Evangelica præcepta, sobriè, & iuste, & pie vivendo, etsi nihil huius dulcedinis gustet, Deum tamen diligere dicendus est, ipso attestante, qui ait: "qui mandata mea custodit, ille est qui diligit me." Qui verò quotidie hunc experitur affectum, & nihilominus divina voluntati sua desideria præponit, non quidem Deum diligere, sed ingessum suæ menti divinâ dispensatione spirituales saporem non nisi sentire credendus est.

523 Merito proinde cap. 20. exclamat: *O quam miserabiliter falluntur, quam sunt sua salutis prodatores, qui visis innumerabilibus ac damnabilibus implicati, si quid huius, de quo loqueris, experiantur affectus, non solum sibi veniam de præteritis pollicentur, imò ad eadem securius quodammodo revertuntur, nec aliquid hoc spirituali incitamento proficiunt, sed sanctiores semetipsos arbitantes, in suis forditibus vel negligentibus impudentius voluntantur. Fortè de talibus ait Apostolus: "dedit illis Deus, spiritum compunctionis, oculos ut non viderent, & aures ut non audiant." Numquid non genus hoc compunctionis excæcat oculos, aures obturat illorum, qui immansissimas vitiorum sordes, sine penitentiæ fructibus (emendatione scilicet vitæ, castigacioneque peccatis proportionata) paucis his lachrymis estimant abluendas.*

Tom. III.

Sibi itaque dictum accipiat, quisquis se dicit Christianum, religiosum, à peccatis conversum, Deum amantem, &c. quod Augustinus tr. 5. in r. epist. Joan. ait: *Quomodo te gloriaris esse Christianum, religiosum, à peccatis conversum, Deum amantem? Nomen habes, & facta non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisquam paganum, irreligiosum, peccatorem, &c. tu factis ostende te Christianum, religiosum, &c. Nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?*

Sibi etiam dictum accipiat, quisquis se dicit, vel se putat iustum, Dei amicum, vestem habentem nuptialem, dignum mensâ Jeshu Christi, &c. ut pote singulis hebdomadibus sacramentaliter peccata confitentem. Sibi (inquam) dictum putet, quod dilectus Christi discipulus ait I. Joan. 3. *Filioli nemo vos seducat: qui facit iustitiam, iustus est. Non ille proinde qui loquitur, vel qui se iustum aut religiosum dicit, vel cogitat, nec ille qui sterilia concipit desideria, seu bonas voluntates, similes iis quibus infernus est pavimentatus, sed qui facit iustitiam, qui vitam transigit in exercitiis iustitiæ, qui declinat à malo, & facit bonum, qui vivit secundum Apostolicas & Evangelicas regulas, vel suæ Religionis regulas, iustus est vel religiosus. Qui verò in Religione non religiosè vivit, religiosus non est. Similiter qui facit crimina, quæ non facit bonæ fidei, nec bonæ spei Christianus, qui nullâ hebdomadâ non violat per crimina sua templum Dei, quamlibet frequenter confiteatur, & communiceat, teste Spiritu Sancto, habendus non est filius Dei, sed diaboli: Qui facit peccatum, ex diabolo est.*

Octavo probatur ratione: quia talis unusquisque iudicandus est, non qualem se probat verbis, & sterilibus resolutionibus, sed qualem se probat factis, saltem si facta sint contraria verbis: melior est enim vox operis, quam vox oris. Petrus Eleensis compend. in Job. Et in invectiva. Et plenius est opere docere, quam voce. S. Leo serm. de S. Laurentio: *Non audio quid quisquam sonet, sed quid vivat (ait Augustinus tr. 3. in Epist. Joan.) Opera loquuntur, & verba requiruntur?* Et quid verba sunt, quid sterilia proposita & desideria, quid etiam lachrymæ, & similia sine operibus, nihil nisi folia & flores? Atqui non ex foliis, non ex floribus, sed ex fructu arbor bona, malare cognoscitur (ait Bernardus epist. 107.) Denique a fructibus eorum cognoscetis eos. Ad quam Increta & Incarnata Veritatis regulam attendens S. Cæsarîus serm. 57. edit. noviss. *Ego timeo (inquit) ne fortè iste talis penitens, nec in conscientia sua habuerit (seducendo semetipsum) quod in operibus non ostendit. Quia etsi cor videre non possumus, tamen secundum Evangelicam sententiam, ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

## CAPUT XLI.

Id ipsum ostenditur ex communi sensu omnium hominum, maneque ostenditur effugium Reccentiorum, aientium, de vera contritione, veraque Communionem iudicandum ex operibus internis, non externis.

527 Nonò probatur ex communi hominum sensu. Nemo est enim, qui humilem, castum, obedientem, &c. iudicat hominem, qui in omnipenè occasione factis se superbum potius ostendit, quam humilem, potius luxuriosum, quam castum, potius rebellem, seu reluctantem voluntati Superiorum, quam obedientem, quamlibet se dicat humilem, castum, obedientem, quamlibet etiam

T



fentiat in se desideria, & bonam voluntatem humiliandi se, castè & obedienter vivendi, &c. cum equidem desideria illa & voluntates in occasione non solum appareant sine effectu, sed & cum effectu contrario: eò quòd utique velint & non velint, sive (ut B. Gregorius ait) *esse quidem humiles velint, sed tamen sine despectu; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumeliis velint*, sicque *adipsos virtutes cupiant*, ut labores virtutum fugiant, denique finem sic velint, ut fugiant media, sine quibus non pervenitur ad finem, similes pigro de quo scriptum est: *Vult, & non vult piger*; similes quoque militibus, qui *triumphare de hostibus cupiant, sed cum ipsis exhibere belli certamina in campo nesciunt*, nec inferre sibi, suisque passionibus & pravis inclinationibus violentiam necessariam, ad reportandam victoriam.

528. Quemadmodum verò communi omnium hominum sensu, tales non habentur verè humiles, casti, obedientes, &c.; sic communi omnium hominum sensu non reputantur à peccatis conversi, qui sic de peccatis dolent, sic ea cavere promittunt, ut sibi violentiam & mortificationem ad relapsum cavendum necessariam inferre nolint. Verè enim conversus jam non est qui fuit (juxta illud: *Verè impius, & non eruit*); ipse est, & non ipse; ipse per naturam, non amplius ipse pro impietatis culpam; non amplius luxuriosus, sed castus; non amplius vindicativus, sed parcens; non amplius iracundus, sed mitis; non amplius odio habens, sed diligens inimicum; non amplius peccator, impius, mancipium diaboli, sed justus, pius, bona vitæ Christianus, Dei filius & servus, &c. Talem itaque unumquemque esse oportet, ut ad sacram Eucharistiam dignè accedat. Omnes quippe conveniunt, peccatorem ad sacram Eucharistiam dignè accedere non posse, nisi fuerit ante conversus. Atqui ex centum millibus hominum, in Paschate communicantium, pauci sunt, de quibus communi hominum sensu verè dici queat: iste peccator ante Pascha luxuriosus erat, vindicativus, injustus, odio habens inimicum, rebellis, impatiens, &c. sed est modò conversus, id est non amplius talis qualis fuit; sed castus, parcens injuriam inferenti, justus, diligens inimicum, obediens, patiens, &c. Pauci (inquam) sunt, qui post Pascha idem non sint qui ante fuerunt, ut ad oculum patet, ex eo quòd nulla post Pascha mutatio appareat in moribus populi; quæ profectò appareret, si multi de populo verè & serè conversi fuissent, atque adeò de vita pagana translati in vitam christianam. Hoc enim ex operibus ipsorum appareret. Cum ergo contrarium appareat, non probant se verè & serè fuisse conversos, nec proinde gratiæ & charitatis statum fuisse consecutos; sine quo quisquis communicat, indignè communicat.

529. Hoc est ergo quòd boni Pastores & Confessarii deplorant, veras conversiones, dignasque Communiones hodie tam raras esse, quam Confessiones & Communiones communes sunt: eò quòd utrique frequenter, & valde frequenter fiant absque verà & sincera conversione, dispositionibusque à SS. Patribus requisitis. Ita namque est causa tot malorum, errorumque, & hæresion, quibus affligitur christianus orbis. Illud est, quòd spiritu prophætico prædixit S. Hildegardis, ut videre est in operibus ipsius: *Ita tantam (inquit) homines suænationem, atque errores præcipites fient, ut cuiusnam, seu Catholica veritatis assertori credere non possint, atque confidere, prorsus ignoraturi. Et hoc quidem idcirco divina permittet justitia, quòd nos ex nullo jam tempore ita negligenter, imò & vitiosè vivendo, ipsam fidem moribus & vitâ impugnavimus, ac dignissimum Dei corpus, cum a-*

liis Ecclesie Sacramentis, cum omni denique san-  
ctissima Christiana, tam planè irreverenter, in-  
dignè, impurè, infractuè tractare ac suscipere  
ausi sumus.

Sed & defectus verè plenæque conversionis, secundum doctrinam Sacramentorum novissimorum, Scriptorumque gravissimorum, causa est cur malæ Confessiones admodum frequentes sint. Hoc enim monuit S. Theresia, jam calibus adscripta, dum post obitum apprensus Carmelitas suos monuit ut in concionibus suis magno zelo irverberentur in Confessionibus malè factis: quod enim (inquit) *diabolus magis pretendit, & via per quam magnus numerus animarum ruit in infernum, sunt Confessiones malè factæ, remedium veneno insciendo*, ut videre est pag. 510. opusculum suorum ex Hispanico idiomate in Gallicum translatorum per R. P. Elizeum à S. Bernardo, Carmelitam exalceatam. Similiter S. Carolus Borromæus Instruct. Confess. p. 2. c. 17. *Si Confessarius posterit majorem industriam in eis examinandi, non dubium est quin plures deprehendat, qui nunquam, ut oportet, Sacramento Penitentis peccata expiarunt*. S. Franciscus Salesius Introduct. p. 1. c. 6. *Frequenter accidit, Confessiones ordinarias eorum, qui vitam ducunt communem vulgaremque, plenas esse magnis defectibus. Eò quòd frequenter vel nulla, vel modica adfit preparatio, vel requisita delicti confessio, &c. Catechismus Romanus p. 2. n. 95. Ita charitas refrigit, ut jam plerique ex fidelibus, ad peccatorum veniam impetrandam, nullum intimum animi dolorem atque gemitum cordis necessarium patent, sed illud satis arbitrentur, si speciem tantum dolentis habeant. Bellarminus conc. 9. in Domin. 4. Advent. Quam multi veniunt (ad Confessiones) quasi peccatis, in quæ jam milles ceciderunt, & veniunt pridè, vel ipso die magne solemnitatis, & statim (nulla magnarum precum, lachrymarum, jejuniorum, elemosinarum exercitatione præmissa) volunt expediri (id est ad absolutionem & Communionem admitti) quasi hoc negotium esset levis puerorum. Nonne hi Deum non placare, sed irridere videntur voluisse? Et conc. 31. de Refurr. Dom. Certè tales Confessiones hoc nostro seculo fiunt, ut ego vehementissimè reformidè audire illas. Et rursus in priori loco: Multi sunt, qui eò quòd jam confessi sunt, pedem unum se habere arbitrantur in celo; qui tamen se redè considerent, videbunt se pedem unum in terra, alterum in gehenna posuisse: nec enim confiteri, sed bene confiteri celum aperit. Cornelius à Lapide in cap. 2. Epist. S. Jacobi v. 13. Multi ignorant efficacè propositum abstinendi à peccatis requiri, ut quis sit capax absolutionis, & nesciunt quam fortis & constans resolutio animi requiratur, ut propositum censetur absolutum & efficacè. Multi, esto sciant propositum efficacè requiri, tamen illud procurare & habere non satagunt, sed habere se simulant; imò sibiipsis salò persuadent: est enim propositum hoc serium, res ardua, sublimis, & difficilis. Multi autem nolunt vim sibi adhibere, & ad rem tam arduam totis viribus committi. Et idèo multi malè suscipiunt Sacramenta.*

Nec ibi malorum finis, sed & siqui hodie ex zelo divine gloriæ, salutisque animarum, classicum canant, Sanctorumque doctrinam proponant contra malas ejusmodi Confessiones, Communionesque, non defunt qui eos apud imperitum vulgus sparsis traducunt figmentis, calumniis, ridiculisque Rigoristarum notis; quæ ad nihil valent, nisi ad peccatores fovendos in iniquitatibus suis, in lataque via quæ ducit ad perditionem, dum se patronos exhibent malorum quas faciunt Confessionum Communionumque, ob quas infinita perit multitudo.

Siquis ipsis obijciat nullam in istis hominibus



post multas Confessiones Communionisque vitæ mutationem apparere, sed eadem post Confessionem Communionemque apparere opera, & facta mala, quæ ante, indeque inferat ipsos verè non fuisse conversos. Respondent, ipsos equidem verè conversos fuisse, & ita iudicandum ex fructibus & operibus internis, contritione scilicet, seque emendandi voluntate in Confessione manifestata, per verba vel Confessionem ipsorum. Idque sufficere ad verificandam regulam Salvatoris, *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

Verùm enim verò sic non satisfacit argumentis toto præcedenti & præfenti capite deductis. De ista namque interna contritione & penitentia quaeritur, ex quibus argumentis, seu indicis & notis homo cognoscere queat, an fuerit vera, an efficax & plena? Certè non ex eo quod confitens dicat se illam sentire. Cùm enim confitens non cognoscat actus suos internos & spirituales in seipsis, magis quàm animam suam, nec in ipsis videat eorum veritatem & efficaciam, scire non potest, an actus interni & spirituales, quos se sentire dicit, sint veri, an falsi; efficaces, an inefficaces; pleni, an semipleni; ex toto corde, an non ex toto corde; an gratiæ ad penitentiam excitantis operatio, an humanæ voluntatis illusio, &c. præsertim cùm id quod consistentes sentiunt, sæpè magis sit in imaginatione, quàm in veritate; sæpè magis in superficie, quàm in intimo corde, testæque Gregorio, de internis actibus suis sæpè sibi metipsum mens ipsa mentiatur, nec verè semper amet Deum, qui sentit amoris affectum, ut ex supraddictis est manifestum. Quæ cùm certissima sint, nihil rationabilis, secundum Evangelicas, imò & secundum ipsasmet humanas prudentiæ regulas dici potest, quàm de interiorum & spiritualium actuum humanorum veritate, efficacia, plenitudine, &c. iudicandum secundum quod homines iudicare solent de veritate, virtute & efficacia aliarum causarum, quas in seipsis quoad substantiam non cognoscunt. Notum est autem quòd de earum veritate & efficacia iudicare solent ex fructibus, seu effectibus, non internis, sed externis. Enimverò omnis interna voluntas, omnis interna contritio & penitentia, omnis interna dilectio est arbor. *Arbor autem ex fructibus cognoscitur.* Et, ut Gregorius ait hom. 18. in Ezech. *per hoc quod videmus, cognoscimus operantis animum, quem non videmus.* Itaque penitentiam, contritionem, conversionemque internam, quam in seipsis non videmus, cognoscimus ex fructibus & operibus externis penitentia, quos videmus. Nec aliter homines cognoscere possunt, & idèd non credunt dicentibus se hunc vel illum amare, si exteriora opera, quæ ex ipso procedunt, contrarium probent. *Qui enim habuerit facultatem augeat mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausuris viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1. Joan. 3. Et sicut ad iudicandum de veritate amoris, requirunt opera externa, amoris veritatem probantia (secundum illud eisdem ibid. *Filioli non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate*) ita & ad iudicandum de veritate conversionis & penitentia. Quemadmodum enim iustum esse iudicant, vel religiosum, qui facit opera iustorum, vel verè religiosum; sic iudicant conversum & penitentem, qui facit opera conversorum & verè penitentium, probantia veritatem conversionis ipsorum. Nemo itaque alios, nemo seipsum seducat: sicut iustus non est habendus, nisi qui facit opera probantia ipsum esse iustum, juxta illud, *qui facit iustitiam, iustus est*; sic verè conversus non est habendus, qui non facit opera probantia ipsum esse conversum, inter quæ opera præcipuum est mutatio vitæ, ita ut christianam jam vitam ducat, regulisque Evangelicis & Apostolicis conformem,

Tom. III.

qui prius vitam ducebat paganam, distique regulis contrariam. Quod quidem manifestè probant argumenta omnia præfenti in capite deducta. Et amplius probantur capite sequenti deductis,

## CAPUT XLII.

*Ad Communionem indignè & infructuosè accessisse probantur, qui post Communionem in consuetis criminibus aequè citò, facillè & frequenter relapsi sunt, ut antiè.*

EX hoc namque probantur ad sacram Communionem sine vera efficacique conversione, debitaque dispositione accessisse, ut rectè docent Ludovicus Granatenfis to. 2. concion. de temp. conc. 2. Recapitulus de signis prædest. & repro. tr. 2. c. 6. Emericus de bonis tr. de Sacram. altar. Bellarminus l. 1. de arte benè moriendi c. 16. Joannes Episcopus Castoriensis l. 2. de recto clavium usu c. 5. noster Antonius à S. Martino to. 1. operis cui titulus: *Les conduites de la grace*, verit. 8. discursu 2. & 3. Contenton to. 8. dissert. 4. cap. 2. Reg. 2.

Et ratio est quia si ad sacram Communionem vera efficacique conversione, ac debita dispositione accessissent, fructus illius perciperent, qui sunt gratiæ & charitatis augmentum, delectatio spiritualis, rerum spiritualium gustus, spiritualis vigor adversus tentationes, quo à peccatis mortalibus fideles præservantur, cordis castimonia in appetitum sensitivum diffusa, &c.: *in quantum enim Sacramentum hoc augeat charitatem, diminuit cupiditatem* (ait S. Thomas q. 79. a. 6. ad 3.) *quia sicut Augustinus dicit in libro 83. qq. augmentum charitatis, est diminutio cupiditatis.* Unde opusc. 58. cap. 1. Sacramentum hoc ab eodem S. Thoma vocatur: *spirituale refrigerium*, juxta illud Osee 14. *Ego quasi ros, &c.* A divo Hieronymo vocatur: *frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* De eodem Cyrillus noster Alexandrinus l. 4. in Joan. *Sedat* (inquit) *cùm in nobis maneat Christus, sevientem membrorum nostrorum legem. . . . perturbationes animi extinguunt.* Bernardus serm. de Bapt. & Sacram. Altar. circa medium: *Uno Sacramentum hoc operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat consensum. Siquis vestriam non tam sæpè modo, nec tam acerbo sensu motus iracundiæ, invidia, luxurie, & ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Chrysostomus homil. 45. to. 3. post medium: *Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo.* Tridentinum sess. 13. c. 2. *Christus sumi voluit hoc Sacramentum, tamquam spirituales animarum cibum, quo alantur & confortentur, viventes vitâ illius qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me, & tamquam antidotum, quo. . . à peccatis mortalibus præservemur.* Unde S. Thomas a. 6. citat ex his verbis Joan. 6. *Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur in æternum,* in argumento sed contra, probat quòd hoc Sacramentum præservat à morte spirituali. *quæ est peccatum, idque tam interius quàm exterius, inquit in corpore articuli: interius hominem roborando per modum cibi, & medicinæ. Exterius, impugnationem dæmonis cohibendo, ne tantum tentet, ut superet. Quod probat ex Chrysostomo proximè relato. Confirmarique potest ex illa Ecclesiæ Collecta, in qua divinum hoc Sacramentum vocatur: *fortitudo fragilium, & contra omnia mundi terribilia firmamentum.* Hac de causa ægrotantibus, in fortitudine cibi illius iter æternitatis confecturis, per modum Viatici mini-*

T 2



- strator, & olim (teste Cypriano l. 1. epist. 2.) fidelibus ad tormenta & eadem raptis, ne in certamine deficerent, porrigebatur.
- 536 Spiritualis quippe gratia, quae datur Poenitentiae Sacramentum dignè & fructuosè suscipientibus, non solum confert id quod commune est cuiuscumque gratiae (inquit Ludovicus Granatenis loco citato) sed & singularem quandam vim adversus peccatum habet: cum hoc Sacramentum in peccati remedium sit à Christo Domino institutum.
- 537 Sed nullus istorum effectuum apparet in iis, qui post Confessionem & Communionem, in confecta crimina pari quàm antea facilitate, promptitudine & frequentia relabuntur; imò apparent effectus planè contrarii. Igitur ad Confessionem Communionemque accessisse probatur, non ut oportet, sed indignè, infructuosè, & cum obice diætorum effectuum. Si enim cum debita dispositione, adedque dignè & sine obice accessissent, fructuosè accessissent, effectusque proinde illos consecuti fuissent. At si illos consecuti essent, illos in se experirent. Non experirent autem, sed effectus planè contrarios, par æstus libidinum, par avaritiæ, ambitionis, & invidiæ ardor, &c. ut ipsi se testantur, & in ipsis soli illi non vident, qui oculos habent, & non vident. Igitur per experientiam contriorum effectuum, dictos Sacramentorum illorum effectus non consecuti probantur. Quomodo enim illos credere possumus Sacramentorum illorum effectus consecutos, in quibus videmus effectus contrarios: cum ex effectibus de causa iudicare à Christo & Apotolo edocet simus, adedque causa probanda sit per effectus; Sacramentum proinde ex Sacramenti effectibus probari debeat cum debita dispositione susceptum?
- 538 Confirmatur ex Granatenis: *Siquis gravi corporis morbo laborans, potionem sibi à Medico præscriptam ebibens, nihil melius haberet, sed idem febris ardor incenderet, idem ciborum fastidium, eadem sitis, eadem corporis debilitas: illum premeret: quis huiusmodi potionem illi salutarem fuisse, seu profuisse, crederet: cum nihil de morbi molestiis immutaret? Cum igitur sacramentalis Confessio velut quedam animorum potio sit, quæ noxios & pestilentes peccatorum humores ab anima pelluntur, & status ejus divina gratia ope resistentur; si nihil horum efficiat, si idem rerum spiritualium fastidium in ea maneat, eadem terrenarum rerum sitis atque cupiditas, idem libidinum æstus, idem avaritiæ atque ambitionis ardor, eadem ad omnia virtutum officia infirmitas, atque imbecillitas: quæ (quæso) conjecturâ vel indicio colligere poterò, spirituales hanc medicinam tibi profuisse?*
- 539 Hactenus Granatenis, opponens sibi deinde argumentum, quod obijci solet, illudque solvens, ut sequitur: *Sed fortasse dices: Non continuo certum argumentum colligi potest, Confessionem meam inanem extitisse, quod protinus in eadem crimina lapsus fuerim. Hoc enim pravus habitus, & inveterate consuetudini magis tribuendum esse videtur: cum difficillimum sit assuetâ relinquere, quæ in naturam quodammodo versa sunt. Fateor, hanc certam sicte Confessionis conjecturam, & argumentum non esse. Fieri enim potest, ut vera quidem Confessio & poenitentia præcesserit, & tamen incanescens homo, sibi quæ parum prospiciens, partim pravâ prioris vitæ consuetudine perurgente, partim diabolo suggerente, in pristina statim vitia corruat. Sed frequentius tamen hoc evenire ego puto, quod talium Confessio fuerit (ut Theologi loquuntur) infirma. Potest enim vera esse Confessio, & infirma*
- tamen; quæ videlicet quis Sacramentum tantum suscipit: non etiam rem Sacramenti, quæ est Spiritus sancti gratia. Quæ deficiente fragilis homo, pravèque assuetus, occasione oblata, in eadem protinus vitia labitur.*
- Quòd autem hoc frequentius eveniat, atque adeò verosimilius sit, hoc evenire ex non recepta Sacramenti gratia, sic probat: *Ut enim D. Thomas ait, minima etiam gratia omnia lethalia crimina vitare potest; quandoquidem charitas ab ea proficitur, cujus est, non verbositas, sed respiciat Deum diligere super omnia, atque peccatum super omnia simili ratione odisse. Vera enim charitas, quæ verè poenitentia beneficio per Spiritum sanctum effunditur in cordibus nostris, magis Deum diligit, quàm cupiditas in illa auri, & avari, atque omnia totius mundi bona. Quo fit, ut qui hoc modo Deum diligit, nullius temporarie rei pretio illum commutare velit. Quo nomine Joannes ait: "Qui natus est ex Deo, non peccat: generatio enim Dei conservat illum." Hoc est divina cognatio, quæ homo celestis Spiritus participi effectus est, conservat illum. & à terrenis rebus abductum ad celestia rapit: cum sit in ejus pectore fons aquæ viventis in vitam æternam. Hæc igitur de causa Joannes ait, qui ex Deo natus sit, non peccat: quoniam vel perpetuo à lethaliibus abstinebit peccatis, vel certe raro & difficulter in ea corruet, & cum in ea fortasse labitur, non sine interno conflictu atque sensu animi labitur: suppete qui Deum, quem super omnia charissimum habet, amittere, atque à se ablegare, & pro infima aliqua re commutare, graviter & moleste fert. Numquam enim sine doloris sensu amittitur, quod cum amore possidetur. Quo fit, ut qui bibunt quasi aquam iniquitatem, hoc est, qui sine ullo doloris sensu facile in peccata ruunt, à divina gratia & charitate longe abesse videantur. Cum autem fidelium plurimos videamus, peractâ Confessione, sine ullo gemitu, aut interno conflictu præcipites in omnia seera fieri, quo indicio colligere poterò, hos charitatem & Spiritum Domini, & divine gratiæ lumen percipisse? Certè si charitatem, Spiritum inhabitantem, & Spiritus sancti lumen acceperunt (accipit autem quisquis gratiam satisfactam accipit) non pari quàm antea facilitate peccant, nec in tenebris tam obscuratum habent intellectum ut antea, nec à Domini Spiritu tam alieni sunt quàm antea, nec tam ad resistendum debiles quàm antea: lumen enim non potest non lucere: charitatis verò ignis non potest non ardere; fortitudo celestis non potest non roborare, &c. Cum igitur nihil in te splendoris, nihil ardoris, nihil roboris videam: quæ conjecturâ te celestie lumen, & ignem, & robor percipisse cognoscam? Quomodo enim adversus crimina speciale robur accipit, qui nullam à se crimen abdicavit?*
- Simili argumento conficitur, divinissimæ Eucharistiæ fructus, seu effectus ab iis non recipi, qui mox à Communionem eadem quæ ante criminationem, facile & frequenter reperunt. Sicut enim portio & medicinam ei credimus non profuisse, cui nihil de morbi molestiis immutavit; sic divinissimam Eucharistiam ei credimus fructuosam non fuisse, cui nihil immutavit de pristina promptitudine, facilitate, & frequentia lethalia peccata flagitia. Si enim vigor à peccatis præservans sit Eucharistiæ effectus (ut piissimus Contentionus ubi supra dilert. 3. c. 2. specul. 1.) nec absint effectus, nisi obex interponatur, quid de illis censere licet, qui eo animi langore debilitateque laborant, ut ne octo quidem dies ab ipsâ peccatis sibi temperare valeant?
- Scio equidem hominibus vitioris statum & conditionem mutabilem, atque in horum malorum liberis arbitrii infirmitate fixibilem, nunquam eam



immobilitatem, quæ paucis in gratia confirmatis  
eximia est, obtinere. Atamen homines, hoc cibo for-  
res passus, eisdem semper, & interdum gravio-  
res agitudines experiri, nunquam convalescere,  
numquam in occasione vincere, sed semper vi-  
ci, nunquam castiores, nunquam in passionibus  
suis, & perturbationibus moderatores evadere,  
cum hujus Sacramenti effectû, à Sanctis omnibus  
tradito, quàm bellè consentiat, non video, non ca-  
pio, non reor. Sacramenta sunt causæ infallibiliter,  
nisi obstaculum intercedat, operantes: ergo si mens  
tuavans formâ, imaginibusque corporum visitorum,  
& cupiditatum consuetudine inculcatis, ita obda-  
citur atque obruitur, ut nihil jam in ipsa loci di-  
vinarum rerum cognitioni relinquatur; si pectus  
tuum in terrenis usque adeo demersum & infixum  
sit, ut paululum modò in celum animum attollere,  
& in Deum cali erigere non valeas; si tanta deni-  
que inertia tua, ut nec calamitatis sensum experi-  
ri, nec remedium illi aliquid adhibere sollici-  
tus sis, nonne argumento est satis claro, te tot se-  
dis cupiditatis miserandum in modum irretitum,  
in istis semper delictorum sordibus hærentem;  
nondam hujus Sacramenti effectû frui, sed mundi  
carnis, demonisque mancipium permanere? Cujus  
enim mancipium permanes, ex effectibus cog-  
noscitur, juxta regulam Salvatoris. Deinde ad  
ignem accedere, & semper algere: celestem fon-  
tem potare, & carnalia semper sitire: in Christi  
(qui vera lux mundi est, ignisque consumens)...  
complexus irruere, & à pietatis sensu, fervore  
charitatis, Dei studio, rerum celestium curâ &  
cogitatione alienissimum se sentire, cum Sacerdotum  
doctrina de animo expurgando, atque ad Eucharis-  
tiam excolendo, necnon de robore panis celestis,  
aliquæ ejus fructibus, & effectibus supradictis,  
quomodo convenire possit, nullus (nisi meus me sal-  
vat animus) bonus Christianus intelliget.

543 Accedit, quod unus ex effectibus hujus Sacra-  
menti sit, eos qui dignè sumunt callos facere,  
ut ex supradictis patet, quoniam multum cupi-  
ditatem minuit (ait insignis è Societate Scriptor E-  
mericus de bonis ubi supra) que sic fracta &  
coërta facile vincit superarique potest. Quod nunc  
in multis cernitur, qui cum antè luxuria vitio de-  
ditissimi essent, postea celesti cibo sæpè refecti, ca-  
stissimè coluere: qui si pravam in meliorem vitam  
mutavere, quidam illi quoque idem possint? Sed vul-  
tis scire, quid sit, quomobrem non faciant? No-  
lunt, vel saltem plene non volunt, ne tunc qui-  
dem cum consistunt. Quomobrem arcendi à Com-  
munionem sunt. Unde qui secus facis, panem filio-  
rum das canibus, & margaritas projecis ante por-  
cos. Quod à Christo Domino prohibetur.

544 Quomobrem Confessarii, & Directores diligen-  
tius attendere sibi debent, ut ne judiciorum Dei ex-  
periantur acerbiter, qui dispensati tam pretiosi  
ibeiis accuratam ab eis rationem poscet. Ipsi  
secum reputent, indulgentiâ illâ & nimia facilitate  
indignos ad Communionem admittendi, multos eâ  
duritie, eoque animi stupore erga res divinas obri-  
guisse, ut ne quidem statûs illius miserrimi, in quo  
torpent, sensum habeant salutarem. Quo sit, ut  
cum prius trementes & venerabundi ad augustissi-  
mum Sacramentum accederent, jam id absque ti-  
more, veneratione ac pietate suscipiant: quod inde  
manifestissimè patet, quod nonnunquam eodem die  
(horrendum dictu, & Angelis ipsis detestabile,  
quodvè valeat soli tenebras offundere, terram tre-  
mefacere, & elementa permiscere) ad suas sordes  
revertantur. Hactenus piissimus doctissimusque  
Contentonus.

545 Denique unus ex effectibus celestis hujus cibi,  
perseverantia est usque ad mortem, absque mor-  
tali crimine, vel saltem tanta ab illo præservatio,  
ut nec citò, nec faciliè in illud proruat munitus

cibi illius fortitudine, juxta illud Joan. 6. Qui man-  
ducat (ut oportet) carnem meam, & bibit meum  
sanguinem, in me manet, & ego in eo. Ubily ma-  
net ex vi vocabuli, Scripturæque usu, & Patrum  
sensu, firmitatem & constantiam, seu constan-  
tem moram significat, ut constat ex Hebr. 13. Non  
habemus hic civitatem permanentem. Et Joan. 14.  
Siquis diligit me, sermonem meum servabit, &  
Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, &  
mansionem apud eum faciemus. Neque enim Pater  
& Filius apud eum mansionem faciunt, à quo sta-  
tim recedunt. Unde Augustinus tr. 27. in c. 6.  
Joan. signum (inquit) quia manducavit & bibit  
(dignè utique, & ut oportet) hoc est si maneat,  
& manetur, si habitat, & inhabitatur, si hæret,  
id est citò & faciliè non recedat, ut non deseratur.  
Si verò à Christo citò & faciliè recedat, signum est  
quod in Christo non manserit, nec Christus in ip-  
so, prout in simili Gregorius Magnus ait homil.  
30. in Evang. Videte quid Veritas dicat, veniemus,  
& mansionem apud eam faciemus. In quorundam  
enim corda venit, & mansionem non facit (nota)  
quia per compunctionem Dei respectum percipiunt,  
sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti  
fuerant obliviscuntur, sicque ad perpetranda pecca-  
ta redeunt, ac si hæc minime planxissent. Quod si-  
gnum est Spiritum sanctum ad ipsos quidem ven-  
nisse per gratiam excitantem, sed non inhabitasse  
per gratiam sanctificantem. Quod ex dicendis ca-  
pite sequenti amplius apparebit.

Supradicta itaque recapitulando, ipfomet sen-  
sibili experimento satis apparet, verisimile non esse,  
quod per receptionem Sacramentorum Pœ-  
nitentiæ & Eucharistiæ, effectus sit fortior ad-  
versus mundum, carnem, & demonem, qui se-  
ipsum experitur æquè vel magis infirmum, debi-  
lemque quàm antè. Nec verisimile, quod per gra-  
tiam & virtutes infusas, factus sit minus pronus  
& minus facilis ad relapsum, qui ex effectibus ap-  
paret pari quàm antè promptitudine & facilitate  
relapsus fuisse. Nec verisimile, quod in se spiri-  
tualiter & fructuosè consequentem ignem incor-  
poraverit, quem videmus, & qui seipsum experit  
æquè ac antè algere. Nec verisimile, quod  
fructuosè incorporaverit fontem spiritualis vitæ,  
qui se experit æquè ac antè carnalia sitire. Nec  
verisimile, quod verè adunatus fuerit Christo, id  
est fonti omnis pietatis, igni charitatis, vero lumi-  
ni cordium, &c. qui experitur cor suum æquè  
vel magis quàm antè à pietatis sensu, ardo-  
reque charitatis alienum, durum, obtenebra-  
tum, erga res spirituales insensibile, &c. Nec de-  
nique verisimile, quod spiritualis hic cibus in ipso  
operatus fuerit quoad vitam spiritualem, id omne  
quod cibus corporalis operatur quoad vitam cor-  
poralem, virium utique reparationem, confortationem,  
&c. in quo videmus contraria omnia,  
ipsum utique æquè deficientem & debilem, imò  
debiliorem quàm antè. Profectò sicut credibile  
non est cibum corporalem fructuosè ab eo man-  
ducari, quem non videmus per cibum reparari,  
vel confortari, sed eo sumpto æquè vel magis de-  
ficere, debilemque permanere: sic credibile non  
est cibum spiritualem ab eo fructuosè recipi, &c.

Et quis sapienter credit, per sacræ mensæ par-  
ticipationem factum similem leoni flammam spi-  
ranti, diabolique terribilem effectum (ut Chry-  
sostomus dicit) quem videt pari quàm antè faci-  
litate à diabolo vinci? Talis proinde rationabiliter  
non creditur Eucharistiæ Sacramentum spiritualiter,  
sed carnaliter dumtaxat accepisse. Quisquis  
enim spiritualiter accipit, proficit in vita spiritua-  
li, cui nihil commune est cum carne, cui peccator  
(de quo nobis sermo) usque aded addictus  
est, ut vel ipse affirmet, se minime posse secun-  
dum carnem non vivere, id est carni non obsequi.



## CAPUT XLIII.

*Amplius ostenditur, eos qui Penitentia & Eucharistia Sacramenta fructuose recipiunt, citò & facili in crimina non relabi.*

548 **S**uperiori capite id per experientiam probatum est, five ex eo quòd facile & citò in crimina relabentes in seipsis experiantur, & nos in ipsis experiamur effectus planè contrarios effectibus Sacramentorum illorum. Idipsum nunc amplius ostendere libet multiplici ratione.

549 **E**t prima quidem ratio est, quia omnis qui Sacramenta fructuose recipit, ex Deo natus est. Sed omnis qui natus est ex Deo, peccatum (mortale) non facit: quoniam semen ipsius in eo manet. Et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. 1. Joan. 3. Et cap. 5. Qui natus est ex Deo, non peccat: generatio enim Dei conservat illum. Hoc est (inquit Granatenſis) divina cognatio, quã homo celestis Spiritus participes effectus est, conservat illum, & à terrenis rebus abductum ad celestia rapit: cum sit in ejus pectore fons aque salientis in vitam æternam. Hac igitur de causa Joannes ait, non peccare: quoniam vel perpetuò à lethalibus abſtinebit peccatis, vel certe rarò & difficulter in ea corruet.

550 **N**on hoc ergo solùm vult Joannes, quòd natus ex Deo, tunc non peccet, cum ex Deo natus est: cum verba ipsius in sensu moralis & usitato amplius importent; quòd utique ex Deo natus, vel numquam, vel rarò & difficulter adduci queat ad mortaliter peccandum. Sic enim similes locutiones ab omnibus passim intelligi solent: *Vir honestus non frangit fidem. Bonus Judex non est acceptor personarum. Bonus Sacerdos non frequentat popinas, nec choreas, aut saltationes publicas. Bonus Religiosus non habet proprium. Bonus Christianus non blasphemat. Bonus Mercator non facit fraudes, &c.*

Quarum propositionum sensus vulgaris & usitatus non est solùm, quòd vir honestus, dum est honestus (five in sensu composito, ut Thomista loquuntur) non frangit fidem, bonus Judex, quamdiu est bonus, non est acceptor personarum, &c. Sed sensus vulgaris & usitatus est, quòd similia vel numquam, vel rarò, & non nisi difficulter faciat, five quòd similia facere non soleat, quòd econtrà magno studio satagat à similibus abſtinere. Et ratio quam Joannes reddit, sensum illum clarè indigitat, generatio enim Dei conservat illum, id est præservat illum à peccato, five ab excidendo à divina nativitate per peccatum. Quomodò conservat illum & præservat? unque in quantum à terrenis abductum, ad celestia elevat, & Spiritus sanctus in corde ipsius diffundit charitatem prævalentem cupiditati, per quam proinde factus cupiditate fortior, non faciliè, nec sine animi sensu & reluctatione postea adduci potest ad peccandum.

551 **Q**uem sensum ipsamet Veritas in Evangelio confirmat dicens: *si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Neque enim dicit: *si quis diligit me, sermonem meum servat, cum diligit;* sed *in futurum servabit;* ex vi præsentis dilectionis futuram infrens mandatorum observantiam. Eò quòd utique præsens Dei dilectio prævaleat cupiditati, mentemque hominis firmet ac roboret adversus eam, ne per eam inducatur in mandatorum prævaricationem. Ad quòd tamen necesse est, ut Dei dilectio per orationem, & bona opera nutriatur, ne tepescat, sique locum det cupiditati, ut paulatim incaleſcat, tandemque prævaleat contra charitatem.

552 **S**ecunda ratio est, quia omnis qui Sacramenta illa fructuose recipit, justus est, & sanctus, justitiã

& sanctitate novi Testamenti. Sed justitia & sanctitas novi Testamenti tam firmas in corde justitiam agit, ut nec faciliè, nec citò, nec crebrò amitti soleat. Id enim probant imprimis verba Joannis n. 549. exhibita.

2<sup>o</sup>. idipsum probat comparatio justitiam cum arbore, secus decursus aquarum plantata, quam Regius Pſaltes facit Pſal. 1. *Justus (inquit) erit tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quòd fructum dabit in tempore suo, & folium ejus non decidet.*

3<sup>o</sup>. idem probat antithesis, quam ibidem facit inter justum & impium: *Non sic impius, non sic, sed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Non sic ergo justus, sicut impius, quia justus non faciliè (ut impius) dejicitur à vento tentationis, sicut pulvis à vento faciliè projicitur à facie terræ. Idem probat comparatio justitiam hominis cum palma & cedro Libani (inter omnes arbores contra ventum & procellam firmissimis) quam idem facit Pſal. 91. *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.*

4<sup>o</sup>. idem probat comparatio ædificii spirituales hominis justitiam cum domo supra firmam petram ædificata, quam Salvator facit Matth. 7. *Omnis qui audit verba hæc, & facit ea (hoc facit omnis homo justus) assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti (tentationum) & irruerunt in domum illam, & non cecidit, &c.*

5<sup>o</sup>. idem probat antithesis proximè dicti ædificii cum ædificio spirituali hominis impii, quam Salvator subjungit ibidem: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti (tentationum) & irruerunt in domum illam, & cecidit, &c.* Nemini quippe dubium est, posterioribus hæc verbis (omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea) impium designari; prioribus (omnis qui audit verba mea hæc, & facit) designari justum.

6<sup>o</sup>. idem probatur ex Proverb. 10. *Justus in æternum non commovebitur.* Quæ verba ut minimum significant, quòd vel numquam, vel rarò, nec faciliè, & citò commovebitur.

7<sup>o</sup>. ex Eccl. 27. *Homo sanctus (id est per gratiam sanctificantem justificatus) in sapientia manet sicut sol: nam stultus (id est impudicus, seu criminofus) ut luna mutatur.* Quibus verbis Spiritus sanctus docet hominem justum imitari constantiam solis; criminofum verò, mutabilitatem luna.

8<sup>o</sup>. ex Eccl. 15. *Qui timeat Deum, faciet bona, & qui continens est justitia, apprehendet illam. & obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum. ... firmabitur in illo (Græcè super eam) & non fletur.* Ubi Sapiens docet, quòd justitia æterna occurrat homini justo, quasi mater honorificata, ut ipsum adjuvet, suisque bonis repleat. & quasi mulier à virginitate, id est non quasi meretrix & impudica, cujus amor vagus est & inconſtans; nec tamquam vidua, marito defuncto adhuc servans amorem, sed quasi virgo (quæ nulli alteri adhuc affixit amorem, idedque primum virum firmius & tenerius amat) ipsum tenerè & firmiter amandum, fovendum, & servandum suscipiat, & in justitia firmabit. Hoc est enim quòd sibi vult textus Græcus: *firmabitur super eam.* Et in idem recidit, si cum Vulgata legas: *firmabitur in illo.* Dom enim justus per justitiam æternam firmatur, ipsa etiam justitia æterna firmatur in illo, nec faciliè & citò recedit ab illo, prout Janſenius Gandenſis sapienter observat.



90. ex Hierem. 31. ubi iustitiae novi Testamenti, seu Christianae (pra' Judaica) constantia describitur, & praedicitur his verbis: *Ecce dies veniant, dicit Dominus, & serviam domui Israel, & domui Iudae sicut novam, non secundum pactum, quod pepigit cum Patribus eorum. ... pactum, quod constanter non servaverunt, sed per idololatriam suam, aliaque crimina, crebro irritum fecerunt. ... Sed hoc erit pactum, quod serviam cum domo Israel. ... Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Notate verba, signate mysteria: ut quid feriendum dicit cum filiis novi Testamenti *fidelis novum, non secundum pactum, quod pepigit cum Patribus eorum, pactum, quod frequenter irritum fecerunt, nisi ad significandum factus iustitiae novi Testamenti constanter servandum, non (Judaeorum more) frequenter, citò & facile violandum?* Ut quid lex Dei scribenda promittitur in corde, & in visceribus iustorum novi Testamenti, nisi ad significandum, quòd iustitia novi Testamenti radicabitur in cordibus eorum, foretque voluntaria, non coacta; ex amore procedens, non ex timore (uti iustitia Judaeorum) traniretque in affectum cordis; & idèd saltem carnis constantis esset, quòd nec citò, nec facile, nec frequenter abjiceretur, uti iustitia Judaeorum. Ad quòd etiam significandum, iustis novi Testamenti promittitur cor novum, spiritus novus, cor carneum, non amplius lapideum. Ut enim sapienter observat Illustrissimus Neercaseus Episcopus Caltoriensis in Amore suo Penitente l. 2. c. 3. *que ex spiritu & affectu cordis procedunt, non solum desultoria levitate nunc fieri, & nunc intermitteri, sed constanti amore procedere.* Unde Scriptura Psal. 72. volens constantem quorundam impietatem exprimere, *prodit (inquit) quasi ex adipè iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.* Cautaque desultoria seu inconstantis iustitiae Judaeorum ea fuit, quia Deo vero non fervierunt corde novo, sed veteri; non carneo, sed lapideo; non ex amore, sed ex timore; proinde non ex affectu cordis. Idèd ergo *citò fecerunt, obisti sunt operum ejus, & non sustinuerunt, id est constanter non tenuerunt, consilium ejus.* Psal. 105. Videri potest Augustinus 83. qq. q. 66.

100. iustitiam Christianam, sive novi Testamenti describens Apostolus in Epist. ad Rom. eam in eo opponit statui Gentilium ante legem, & Judaeorum sub lege, quòd tam illi, quam illi omnes sub peccato conclusi fuerint: Christianis verò, qui sunt sub gratia, id est iustis, peccatum amplius non dominetur, sed mortui sint peccato. *In novitate vitae ambulant. Ultra non servant peccato: sed liberati à peccato, servi facti sunt iustitiae.* Servus verò iustitiae non facile abjicit iustitiam, quia servus non facile excutit jugum Domini potentis. Semelque mortui peccato, non facile adhuc vivunt peccato. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo, inquit Apostolus ibidem? Mortui verò non sunt peccato, nec in novitate vitae ambulant, sic ut ultra non servant peccato, quorum vita non est nisi Confessionum, & repetitionis criminum vicissitudo.*

110. hominem existentem sub gratia, sive Christianum iustum, Augustinus in eo distinguit ab homine existente ante legem, & sub lege, quòd peccare desinat, utpote fixus in gratia & charitate. Siquidem in expositione quarundam propositionum epist. ad Rom. necnon in expositione capit. 5. epist. ad Galatas, & alibi saepe distinguit quatuor hominis status, *ante legem, sub lege, sub gratia, in pace.* In eo verò hominem sub gratia distinguit ab homine ante legem, & sub lege, quòd homo ante legem, & sub lege sequatur concup-

centiam: sub gratia verò, *tametsi* (ait in priori loco) *desideria quaedam carnis adversus spiritum pugnant, ut eum ducant in peccatum, non tamen his consentiens spiritus, QUONIAM EST FIXUS IN GRATIA ET CHARITATE, desinit peccare.* Igitur homo in statu gratiae secundum Augustinum saltem hoc sensu peccare desinit, quòd facile non peccet, nec gratiam & charitatem facile deserat, eò quòd fixus est in gratia & charitate. Nec proinde iustus tam citò & facile transit de iustitia ad peccatum, deque peccato ad gratiam, ut Juniores existimant. Quomòdò in gratia & charitate fixus, in quo gratia & charitas fixa non est, nec stabilis, sed tam citò, tamque facile labilis?

120. Christianus iustus haud dubie est bonae fidei, & bonae spei Christianus. Atqui secundum eundem Augustinum serm. 129. de verb. Apost. *peccata mortifera, quae uno ictu perimus, non faciunt bonae fidei, & bonae spei Christianus.* Neque (hoc dicendo) solùm vult, bonae fidei, & bonae spei Christianum, quamdiù talis est, peccata mortifera non committere (cùm verba ipsius in sensu morali & usitato amplius sonent) sed tam magno studio conari ea effugere, ut ea numquam vel rarò, nec facile, sed difficulter committat. Sic enim similes propositiones ab omnibus passim intelligi solent, ut ostendimus n. 550. Et sic se intelligere serm. 56. de temp. satis declarat, dicens, quòd boni Christiani officium sit, ut SEMPER CRIMINA CONETUR EFFUGERE. Quod qui serò semper conatur, ea numquam vel rarò, & nonnisi difficulter committit.

Tertia ratio, quae praecedens roboratur, est quia ad dignam fructuosamque Sacramenti Eucharistiae perceptionem requiritur verus Dei amor, in omnes affectus & passiones ipsius dominans, sincerumque desiderium in eo magis & magis proficiendi, ut constat à num. 501. ad 507. Talis enim amor & charitas requiritur in omni iusto, & in omni bono Christiano, ut ostensum est ibidem. Atqui talem habens amorem & charitatem, crimina facile & citò non committit. Tum quia quisquis amicum verè diligit, facile & citò ipsum non abjicit. Tum quia amor Dei, taliter dominans in corde ipsius, fortior est omni cupiditate, ipsum ad peccatum alliciente, ipsamque velut fractam & debilitatam sibi subjicit, atque impedit, ne hominem petrahat in peccatum.

Quarta ratio est, quia ad dignam Communionem, per se loquendo, requiritur status gratiae & charitatis per Spiritum sanctum in corde diffusae. Atqui charitas per Spiritum sanctum in corde diffusa, *plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti,* inquit S. Thomas 3. p. q. 70. a. 4. Et idèd homo iustus (ut Augustinus & alii Patres tradunt) per inhabitantem in se Spiritum sanctum Dei, diffusamque in corde suo charitatem, adèd roboratur, ut fortior in ipso sit charitas quam cupiditas. Et quamvis remissa culpa remaneant in ipso dispositiones ex precedentibus actibus causatae, *quae dicuntur peccati reliquiae; remanent tamen debilitate & diminuta* (ait S. Thomas 3. p. q. 86. a. 5.) *ita quòd homini non dominentur, sed illi charitas dominetur.* Et idèd q. 24. verit. a. 2. ad 9. docet, quòd non sit facilis reditus à gratia ad peccatum. Quia fortior charitas à debiliore cupiditate nec citò, nec facile vincitur. Praesertim cùm charitatem infusae virtutes comitentur. *Homo verò (ut S. Doctor rursus ait 3. p. q. 62. a. 2. ad 2.) impeditur per virtutes & dona à peccando.* Itaque homo iustus *concupiscit adversus carnem fortiore robore charitatis* (inquit Augustinus Enchirid. 118.) *ut quamvis sit adhuc quòd homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata; ex fide tamen iustus vivat, iustèque vivat, in quantum non cedit mala concupiscentiae; vincente delectatione iustitiae.*



Siquidem justificat Deus impium, non solum dimittendo quae mala fecit, sed etiam donando charitatem, ut declinet à malo, & faciat bonum. Lib. 8. contra Julian. c. 165. ita ut delectatio peccati, iustitia delectatione vincatur. Ibid. c. 217. Siquis liberatus fuerit à peccatis suis, non habes unde dominetur ei princeps tenebrarum. Enarrat. in Psal. 84. Gratia itaque facit, ut peccatum tibi non dominetur. L. de continentia. c. 5. Quia ut in pugna interna iustus non deficiat. . . magnum adiutorium habes, quo vincit quod in illa sibi rebellat, si perseverat in pugnando. Enarrat. in Ps. 63. Atqui ut perseveret in pugnando, gratiam specialem accipit per Eucharistiae Sacramentum, ut supra vidimus. Ne igitur carni succumbas, Redemptor tibi Spiritum dedit, quo mortifices facta carnis. Quotquot enim Spiritus Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Serm. 43. de verb. Dom. c. 7. Non enim non habes, unde pugnes (praemiserat c. 6.) Deus tuus in te est adversus te, adversus illud quoque quod in te est contra te. Denique in homine iusto charitas interiore delectatione tenet mentem, ne ad peccatum delectatione rerum terrenarum teneatur. 88. qq. q. 66. Quae omnes Augustini & Aquinatis sententiae, amplius sonant, quam hominem iustum, quamvis iustus est, sive in sentu composito, non peccare (ob ea quae dixi n. 550. & 563.) imò aperte sonant, iustum per gratiam inhabitantem, virtutesque infusas & dona ad eò roborari contra peccatum; ad eò etiam in ipso dimittam esse cupiditatem inclinantem ad peccatum, ut facilis non sit ipsi reditus ad peccatum. Cum igitur non hoc, sed contrarium experiantur, qui post Confessionem & Communionem facile & citò redeunt ad solita crimina; ex sententia illis perspicue conficitur, ipsos per Confessionem Communionemque nec gratiam, nec charitatem inhabitantem, nec virtutes & dona consecutos. Si enim consecuti fuissent, in tantum liberati essent à peccato, ut ad illud facile & citò non redirent. Cum primus & infimus gradus gratiae & charitatis sit christiana libertas; & prima libertas christiana sit vivere abique crimine, ut Augustinus docet tr. 41. in Joan. Prima libertas est carere criminibus. Cum coepis ea non habere homo (debet autem ea non habere omnis Christianus homo) incipit caput erigere ad libertatem. Omnis autem liberatus à peccato, mortuus est peccato, nec proinde facile adhuc vivit peccato; nec solum peccato mortuus, sed & servus factus est iustitiae, ut Apostolus docet Rom. 6. Quia scilicet amor iustitiae in ipso dominatur, & fortior est amore peccati. Servus verò facile non excutit servitutem Domini fortioris, ut iterum dixi n. 561.

566 Quinta ratio est, quia charitas (quae per Spiritum sanctum infunditur omni homini Poenitentiae & Eucharistiae Sacramenta fructuose suscipienti) est habitus. Habitus verò est qualitas de difficultate mobilis. S. Thomas 1. 2. q. 49. a. 1. quia habitus dicuntur illae qualitates, quae secundum suam rationem habent quod non de facili transmutentur. . . ex quo patet, quod nomen habitus distinetur a quaedam importet. Ibidem a. 2. ad 3. Si vera sit Angelica ista doctrina, ergo gratiam & charitatem habitalem censendi non sunt confitendo & communicando recepisse, qui post Confessionem Communionemque aequè citò facileque crimina repetunt, ut antè. Cum secundum Angelicam doctrinam illam gratia & charitas habitus facile & citò non sit amissibilis.

567 Sexta ratio est, quia habens habitum virtutis, firmiter & immobiliter habet se in bono: ista quippe firmitas proprie pertinet ad habitum. Aquinas 1. 2. q. 100. a. 9. Ergo qui per Sacramentum Confessionis Communionisque habitum recipiunt charitatis, tamen per eum impeccabiles non eva-

dant (eò quòd charitas recipiatur in homine secundum conditionem hominis, qui in statu viae flexibilis est in bonum & malum; ) habent tamen firmitatem quandam immobilitatemque in bono. Quam non habent qui citò & facile declinant à bono, & faciunt malum, prout faciunt recidivi nostri.

Septima ratio est, quia si recidivi, de quibus agimus, confitendo, communicandoque, habitum recipientem charitatis, aliasque proinde virtutes infusas & dona, promptè & delectabiliter moverentur ad bonum supernaturale. Sed ipsimet experiantur contrarium. Ergo. Minor patet, quia experiantur se ad bonum supernaturale promptè & delectabiliter non moveri, magis quam antè; imò contrarium experiantur; cum idem experiantur ad spiritualia & supernaturalia fallidium quam antè, parique quam antè promptitudine ac delectatione moverantur ad carnalia bona, spiritualibus & supernaturalibus contraria. Promptissimè namque delectabilissimèque moventur erga vetita bona creata, quibus avertunt sese à bono spirituali & supernaturali aeterno. Sola proinde major probanda superest. Probat eam Angelica doctrina, quam S. Thomas tradit 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. Charitas super naturalem dilectionem Dei, addit promptitudinem quandam & delectationem, sicut habitus quilibet virtutis. Et q. 110. a. 2. Illi quos Deus movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, insunt aliquae formas, seu qualitates, id est habitus, supernaturales, secundum quas suaviter & promptè ab ipso moventur ad bonum aeternum consequendum. Et 2. 2. q. 23. a. 2. Nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum, sicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur.

Octava ratio est, quia frequens Confessio Communionemque fructuosa aptissimum est remedium contra relapsum, ut S. Franciscus Salesius Instruct. Confess. c. 8. & Theologi communiter tradunt cum S. Carolo Borromeo in Instruct. Pastor. & Confessar. c. 16. & in Concilio Provinciali V. Quia (ut Salesius Introd. p. 2. c. 20. ait) qui Eucharistiam crebrò cum devotione suscipit, ita animae suae vitam & sanitatem confirmat, ut ipsum propmodum impellibile sit, ab aliquo sinistro affectu, vitioque inclinatione intoxicari. Sed contrarium verificatur in his qui post frequentem Confessionem Communionemque citò, facile & frequenter ut antè mortiferis affectibus intoxicantur. Signum ergo est, quòd frequens Confessio Communionemque non sit ipsis fructuosa, defectu debitae devotionis & dispositionis. Alias effectum recipient aptissimi illius contra relapsum remodii. Quicumque enim sine obice & defectu debita dispositionis, fructuose recipiunt, & frequenter recipient aptissimum remedium contra malum, v. g. contra febrem, à malo isto liberantur, liberatique in illud citò & facile non relabuntur: utpote aptissimo contra relapsum antidoto muniti. Nec est qui credat aptissimum contra relapsum in febribus remedium ab eo sine obice recipi, & frequenter recipi, in quo nullus illius remodii effectus apparet, ne ipsa quidem febris diminuitur, vel rarior relapsus in illam; sed apparent omnia contraria.

Octo illae rationes validè probant, statum hominis per Sacramenta Poenitentiae & Eucharistiae sanctificati, & per virtutem eorum roborati, non esse statum inconstantem & defultorium, ut pluribus videtur Casuistis; sed statum habentem firmitatem & stabilitatem; utpote statum hominis resuscitati de morte ad vitam, in quo iustitiae rerumque caelestium amor devicta cupiditate dominatur, regnatque Dei Spiritus, qui humani cordis possessionem non accipit ut citò transeat, sed ut maneat, prout Veritas in Evangelio, & Apostolus in epistolis suis docet, ita ut



ut det homini virtutem imitandi Christum, qui resurgens à mortuis jam non moritur.

570 *Nonna ratio est, quia citò, faciliè & frequenter post Confessionem Communionemque in crimina relabentes, ut plurimum sunt de numero reproborum, ut probabitur lib. sequenti. Ut plurimum ergo in vita, & in morte Sacramenta illa infructuosè & cum obice suscipiunt. Si enim ut plurimum fructuosè ea suscipiant in vita, ut plurimum etiam fructuosè recipiant in morte; sicque forent de numero prædestinatorum, non reproborum.*

571 *Decima ratio est, quia recidivorum illorum conversio & poenitentia ut plurimum est ficta, vel non plena, live ex toto corde, ut fusè probabitur libro sequenti. Ad dignam verò & fructuosam Confessionem Communionemque peccatori necessaria est conversio & poenitentia vera & plena, live ex toto corde.*

## CAPUT XLIV.

*Ex dictis confutantur propositiones 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 11. capite 34. recensita, Adversariorumque objecta dissolvuntur.*

572 *Confutantur (inquam) tamquam non satis consulentes reverentiæ & devotioni divinissimo Sacramento debite, Patrumque monitis & doctrinæ adversantes.*

573 *Et quartam quidem, aientem, manifestum esse, secundum doctrinam Concilii Tridentini sess. 13. c. 7. ad dignam Communionem solum requiri statum gratiæ, à veritate manifestè alienam esse, constat ex dictis capite illo 34. Quia manifestum est Tridentinum ibi solum docere confitio peccati mortalis Confessionem esse necessariam. Quod autem sufficiat, nullo modo dicit; ne implicite quidem. Cùm enim toto casu differant necessarium & sufficiens (respiratio quippe ad vitam necessaria est, non sufficiens) manifestum est, quod docendo illud prius, ne implicite quidem doceat posterius. Idque amplius manifestum est 1.º. ex eo quod Tridentinum non obliget Confessarios ad absolutionem promiscuè impartendam, Communionemque permitendam peccatoribus omnibus, crimina sua confitentibus. 2.º. ex eo quod Tridentino non contradicatur Ecclesiæ devotissimus & uberrimissimus, Ludovicus Granatensis, dum Memorialis tit. 3. c. 5. de grandi abusu, intolerabilique temeritate corripendos asserit Christianos, qui cum vitam omnibus vitis inquinatissimam egissent, evolutò anno confitentur, & vix mille criminum abominationumque genera apud Sacerdotem evomere deservunt, cum sese ad caelestem mensam propiciunt, & manducant panem Angelorum, ad cuius dignam perceptionem vel ipsa Angelorum puritas exigeretur. si ad illam homines pervenire possent. Certè quod tales non solum se Confessione, sed & poenitentia ac pietatis operibus purificare debeant, antequam immaculatum Agnum suscipiant, communis est doctrina Patrum, contra quos nihil docuit Tridentinum. 3.º. ex eo quod Tridentino etiam non contradicant celebres Authores sequenti capite profereandi, qui asserunt mortaliter, vel saltem venialiter peccare Sacerdotem, qui post fornicationem nocte præcedenti habitam, & multò magis post adulterium, sodomitiam, bestialitatem, sequenti die confessus celebrat. 4.º. ex eo quod Tridentino non adversetur Synodus Augustana in Germania anno 1548. ab Othone Cardinale S. Balbinæ & Episcopo Augustano congregata, pluribus in casibus post factam Confessionem, venerabilis huius Sacramenti sumptionem interdicens, & in fine determinans, quod quilibet Confessor, cui cura sunt anima sibi*

*confitentium, pro peccatorum magnitudine ac gravitate, eisdem sibi confitentibus, seu filiis Confessionis suæ, ex causa que sibi iuxta videbitur, ad tempus sacræ Communionis interdicare possit, eique tales confitentes morem gerere debent. Cui conformiter Concilium Bituricense anni 1584. tit. 22. c. 5. ad communicandum præter contritionem & Confessionem requirit præparationem per poenitentia opera. 5.º. denique doctrina quæ asserit, ad dignam Communionem sufficere statum gratiæ, nec amplius quidquam requiri, contra se habet doctrinam Sanctorum, ipsiusque sanctissimi D. N. Innocentii XI. in Decreto cap. 37. relato (quos certum est Tridentino minime contradicere) imò contra se etiam habet ipsismet lumen rationis. Si enim status gratiæ sufficiat ad dignam, sufficit & ad fructuosam Communionem, gratiæque augmentum per eam acquirendum. Quo posito, non solum frequens, sed & quotidiana Communio suadenda erit omnibus, qui licet peccaverint, per Confessionem ab Adversariis præsumuntur esse in statu gratiæ, quamlibet indevoti sint, & pleni distractionibus, irreverentiis, negligentis, infidelitatibus & peccatis, quæ de se non sunt mortale peccatum. Hoc autem perspicuè adversatur doctrinæ Sanctorum, ad frequentem Communionem requirentium reverentiam magnam, devotionem, affectum à venialibus expurgatum, &c. Adversatur & laudato Innocentii Decreto, majorem devotionem præparationemque requirenti ad frequentius, quam ad rarius communicandum. Adversatur denique lumini naturali, idipsum haud minus postulanti, quam majorem ornatum ad frequentius & familiarius, quam ad semel dumtaxat accedendum ad Regem.*

574 *Quinta verò & sexta propositio confutata manet ex doctrina Sanctorum cap. 33. 34. 35. & 38. exhibita. Sicut & 12. 22. & 32. ex dictis cap. 41. 42. & 43. Siquidem ex ibi dictis liquido apparet, infructuosas, defectuosas, & ad minimum valde suspectas esse Confessiones Communionemque faciliè, citò, & frequenter in crimina relabentium. Ut plurimum enim laborant defectu veræ & sufficientis averfionis à peccatis, conversio-nisque ad Deum, prout multiplici ratione, Sanctorumque autoritate libro sequenti uberius demonstrabimus. Unde & Granatensis loco supra relato de ficta poenitentia differens, talis (inquit) eorum poenitentia esse videtur, qui ubi primùm scelera sua hoc tempore confessi fuerint, in eadem protinus relabuntur. neque de prima consuetudinis jurandi, perjurandi, mentendi, detrahendi, maledicendi, malè precandi, atque concupiscendi quicquam remittunt, nec ullum virtutis ac pietatis officium amplectuntur, sed iidem omnino permanent, qui antè fuerant. Quos verisimile est Sacramentis virtutem & gratiam minime percepisse.*

575 *Et quamvis iidem omnino non permanerent, sed ex parte conversi essent, nec ita frequenter (ut antè) post Confessionem Communionemque relaberentur in crimina; si tamen in ea adhuc frequenter, v. g. bis aut ter in mense, & multò magis si bis aut ter in hebdomada, facillèque, ac sine magna resistentia, citò post Communionem (v. g. postero, tertio, aut quarto die à sacra Communionem) relaberentur, signum adhuc foret nondum plenæ, insufficientis proinde ad Deum conversionis, infructuosæque Communionis, prout Emericus de bonis sapienter observat. Quia (inquit) tam crebri, faciles, & citi in eadem crimina reditus, debitam præparationem defuisse testantur, ut ex dictis in tribus capitibus præcedentibus satis colligitur. Unde meritò addit, quod multò satius est hæc frana cobrere, quam laxare: quoniam nimia facilitas semper cauta fuit, & etiam nunc*



est, cur multi labantur, & facilius in peccatum cadant. & corrigere se negligant, dum suorum criminum gravitatem non satis apprehendunt.

576 Nec certè censendi sunt Communione digni, nisi casti, iusti, sobrii, &c. Communi verò hominum sensu non censentur casti, iusti, sobrii, &c. qui semel aut bis in mense, & multo minus qui semel aut bis in hebdomada fornicationes, iniustitias, vel ebrietates committunt; tales proinde communi hominum sensu non reputantur plenè conversi; sed illi ad summum qui rarò, nec citò nec faciliè crimina admittunt; quales non sunt qui ea semel aut bis in hebdomada, vel in mense admittunt. Denique tales non sunt fanati, sancti, innocentes, peccato, mundo, ac sibi imperis mortui, nec divinus amor adhuc dominatur super omnem affectum & passionem eorum, nec sincerum adhuc desiderium habent in eo magis ac magis proficiendi. Ergo non censentur his dispositionibus præditi, quas ad dignam fructuosamque Communionem, præsertim octidianam, vel mensuram requirunt Sancti cap. 41. & 43. commemorati. Quæ omnia manifestius apparebunt ex dicendis libro sequenti de recidivorum conversione.

577 Non me latet recidivorum Patronos objicere. 1<sup>o</sup>. relapsum ipsorum tribuendum non esse defectuosam penitentiam ipsorum; sed vel humanam inconstantiam, seu humanam conditionis imbecillitatem, arbitriamque flexibilitatem; vel etiam pravis habitibus, inveteratæque consuetudini, eò quòd difficillimum sit ipsam (utpote alteram quasi naturam) exuere.

2<sup>o</sup>. nisi recidivi illi pane cælesti reficerentur, fore ut crebrius in crimina relaberentur, ipsosque id saltem emolumentum ex sacra Communionem percipere, quòd rariùs peccent.

3<sup>o</sup>. si ipsis Communitio inutilis foret, vel etiam nociva, non assicerentur subinde illa quam communicando sentiunt, internam suavitatem, & tranquillitatem.

4<sup>o</sup>. aliqui de recidivis illis sunt de familia, vel sodalitate statuente singulis mensibus communicandum, vel etiam quotidie celebrandum. A quo proinde sine nota & scandalo abstinere non possunt.

578 Sed ad primam objectionem respondeo, cap. 42. & 43. ex sacris oraculis, Patribus, multiplici ratione satis à nobis probatum, ipsorum Confessionem Communionemque fuisse inutilem & infructuosam, defectu debite dispositionis; cui proinde tribuendus sit relapsus ipsorum, non humanam dumtaxat inconstantiam, &c. Quod & amplius probabitur libro sequenti.

Ad secundam respondeo cum Emerico de bonis, ad id Eucharistie Sacramentum non fuisse institutum, ne tam sapè homines peccata committerent (quamvis id quoque, vel etiam quid præstantius dignè sumuntibus præstet) sed ut in fortitudine cibi illius ambulent usque ad montem Dei Horeb, imò usque ad verticem illius, id est ut sit illis esca cælestis, quæ confortati, ad virtutis culmen promoveantur. Ipsi verò non recipiunt effectus ipsos, utpote tam alieni à perfectione. Nec divino illo pane spiritualiter alantur, sed carnaliter dumtaxat: alias peccato, mundo, ac sibi mortui vitam ducent spirituales, cui nihil commune cum carne, peccato, & mundo; quibus idèd serviunt, quia habent in se dominantem tyrannum, seu cupiditatem, vel mammonam, vel luxuriam, vel odium, vel iram, vel aliter passionem, per quam Christum, quantum in ipsis est, interimunt, & Judæ similes, Christum produnt, licet osculari videantur. In eo etiam similes Herodi, quod in specie apparent Christo devoti, ipsumque peccetenus adorare velle videntur, sed reverà produnt, ut Chrysostomus observat homil. 7. in

Matth. Cave (inquit) ne Herodi officiaris similis, & dicas, ut & ego veniens, adoram cum. Huius enim similes sunt, qui indignè abutantur Communionem mysterii (quæ secundum Basilium abutuntur qui ad tremendum mysterium accedunt necdum mortui peccato, mundo ac sibi) reus est enim iste (inquit) corporis & sanguinis Domini. Qui enim huiusmodi sunt, habent in se tyrannum, regno Christi jugiter invidentem, longè sanè ltero de illo nequiores, mammonam scilicet, vel aliam pravam cupiditatem, in corde suo laenter dominantem, per quam, quantum in ipsis est, interimunt Christum, licet specie tenus adorare videantur.

Ad tertiam respondeo cum eodem Emerico, suavitatem illam & tranquillitatem valde citè suspectam, errorique & illusioni obnoxiam; nec à sumpto corpore Christi, nec à vera pietate, sed ab alia causa proficisci, vel aliquam demonis fraudem subesse. Turca namque, cum suum Mobumem colunt, aut de eo sermonem audiunt, tam magno, tamque suavi animi affectu commoventur, ut etiam in lacrymas erumpant. Quod tamen vel divinitus immissum, aut vera pietatis affectum nemo dixerit. Vera namque pietas, & solida animi iucunditas, non in fervoris sensibilis affluentia, non in sensibilis dulcedine, nec in mollibus quibusdam affectibus & lacrymis consistit, inquit Cardinalis Bona princip. vit. Christ. p. 1. §. 44. id etiam probans ex eo quòd Turcæ, alique infidelis & perditissimi homines, in suis precibus & sacrificiis hæc interdum experiantur. Vide suprà num. 519. & seqq.

Ad quartam respondeo cum eodem, frequentandæ Communionis tempora non humanis rationibus, sed vera pietatis affectibus & fructibus definienda esse, istisque sodalitarum familiarumque statuta, vel consuetudinibus, procurandæ debite dispositionis obligationem imponi, non verò indispõsitis obligationem communicandi vel celebrandi. Denique scandalo non idèd causam dari. Cum à Communionem abstinens dicere possit, se aliquam animi anxietate imparatum abstinuisse, vel ex Confessarii consilio, qui nonnunquam ob veniam culpam, vel ad majorem devotionem, vel humilitatem excitandam, Communionem suspendere potest.

Consultandæ super sunt propositiones septima, octava, nona, & decima. Quod fiet capitibus sequentibus.

#### CAPUT XLV.

Consultantur propositiones, septima permittens, & octava consulens Communionem Sacerdotibus & Laicis confessis, ipso die commissæ fornicationis, vel adulterii, vel sodomie, vel bestialitatis.

Propudiosas propositiones istas retulisse, confusum est; vel enim ipso primo aspectu soli tenebras offundere videntur, ipsique inter scribendum atramento nostro ruborem injicere. Ergone usque ad propositiones tantum horrorem piis mentibus incutientes, tamque alienas ab Ecclesiæ spiritu, à doctrina Sanctorum, & à piorum fidelium sensu, devenire potuit Calvistarum Novaturientium laxitas? An non æquum est ut ipsos pudeat Veterum sequacibus novitatem objicere, cum ipsimet tam aperte, tamque fatidè Novatores sint?

Eas profecto alienas esse ab Ecclesiæ spiritu, perspicuum est ex eo quòd Ecclesiæ, per multa sæcula (usque ad sæculum utique nonum) Sacerdotes & Diaconos, in fornicationem, etiam stercore lapso, sacris mysteriis in perpetuum vo-



lucrit esse privatos, ut constat ex D. Basilio Epist. Canon. 1. can. 3. Concilio Areliaensi II. anni 533. can. 8. Epistola 1. Joannis II. ad Casarium Arelat. in causa Contumeliosi, Regiensis Episcopi, in fornicationem lapsi. Neeron ex eodem Casario, in eadem causa. Gregorio Magno 1. 3. epist. 26. l. 4. epist. 16. & 17. l. 6. epist. 39. & 1. 7. epist. 25. Martino I. epist. ad Aman-dum Episcop. Traject. ubi id manifestè continetur. Vidèri potest Eminentiss. Aguirius to. 2. differt. 10. per totam.

584 Inclinante quidem sæculo octavo, vel sub initium noni, spuræ Calixti, Gregorii ad Secundum, & Isidori Hispalensis Epistolæ (quas vel supposititias, vel felicitis affumctis interpolatas esse, nullus eruditus hodie dubitat) occasione dederunt laxandæ antiquæ circa hoc severitatis, quoad Sacerdotes clam lapsos, prout videre licet apud Hincmarum in Capitulis ad Presbyteros datis anno 872. S. Anselmum epist. 67. Barchardum l. 19. c. 42. & 43. Ivonem Decret. p. 6 c. 78. & 79. Gratianum dist. 50. In ista tamen relaxatione id saltem de pristino rigore retentum fuit, quod Sacerdotes & Diaconi, clam fornicati, non nisi post actam occultè poenitentiam diuturnam, & condignam, restituerentur, prout luculentis Hincmari, Anselmi, Gratiani, aliorumque testimoniis ostendunt Albaspinæus, Morinus, Neercasellus, Merbeckius, & Eminentiss. Aguirius.

585 Tametsi verò in totum hoc tempore servandus non sit rigor veteris illius disciplina; non est tamen in totum negligendus, & flocifaciendus, prout fit per terentes illas propositiones; sed sic moderandus, ut saltem ferveret internus spiritus illius; utpote semper idem & invariatus. Et quis fuit (quis proinde adhuc hodie est) internus Ecclesiæ spiritus in veteri illa disciplina? Docere fideles, quanta & quam sublimis puritas corporis & animæ requiritur in iis qui sacrificium Deo offerunt, & tale tantumque sacrificium, quale est divinitus corporis & sanguinis Domini, & quanta sit difficultas recuperandi eam, semel amissam per crimen, præsertim carnale. Si enim Apostolus in epist. ad Tit. c. 1. & 1. Timoth. 3. Diaconos esse vult sine crimine. Et in hoc posteriore loco, agens specialiter de Diaconis (in quibus non tanta pietas puritasque exigitur, sicut in Presbyteris) requirit ut sint pudici, habentes mysterium fidei in conscientia pura... & sic ministrans. nullum crimen habentes: quomodo magis id requiritur in Presbyteris & Episcopis? Ideò omne crimen in baptizatis olim impedimento erat ad Ordinum susceptionem, & præsertim crimen impudicitie, quod specialem habet repugnantiam cum sanctitate necessaria ad dignam susceptionem oblationemque Agni immaculati, virginalisque carnis & sanguinis Filii Virginis.

586 Quodque de mente Ecclesiæ modernæ in totum negligenda non sit veterum Canonum Conciliorumque circa Sacerdotes in peccatum carnis lapsos disciplina, non obscure innuit Tridentinum, dum sess. 22. c. 1. ait: *Statuit S. Synodus, ut que aliàs à Summis Pontificibus, & à sacris Conciliis, de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comestationibus, choreis, aleis, iustibus, ac quibuscumque criminibus, necnon secularibus negotiis fugiendis, copiosè ac salubriter sancta fuerunt, eadem imposterum, sub eisdem poenis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur...* Si qua verò ex iis in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne Subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindicæ poenas persolvant.

Tom. III.

Vult ergo Tridentinum, jubetque, ut præci Canonibus de Clericorum vita, honestate, &c. (quorum præcipui sunt, qui agunt de Clericis lapsis in peccatum carnis) quantum fieri potest observentur, in usumque revocentur. Quod procul dubio pro viribus curarunt S. Carolus Borromeus, venerabilis Bartholomæus de Martyribus, alique Antilites, parisi pietatis ac doctrinæ, in Dioceses suas reducees. Cum tanta id sub comminatione Tridentinum injunxisset, ne Subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindicæ poenas persolvant.

Quod si fortasse zelus, pietas ac doctrina S. Caroli, aliorumque sanctorum Præsulum istius temporis, satis non fuerit ad eradicandas consuetudines pravæ; adversus Ecclesiasticam disciplinam à longissimo tempore invalescentes; saltem ex laudato Concilio Tridentini Decreto habemus, id esse præter Ecclesiæ mentem; imò & contra mentem, saltem quatenus Sacerdotes, in carnis peccatum lapsi, ad altare accedere prohibentur, antequam dignis poenitentiae fructibus sese expurgaverint. Cum ista sit mitissima pars eorum, quæ à sacris exiguntur Canonibus, nedum Ecclesiæ Latinæ; sed & Græcæ; cujus veterem quoad hoc disciplinam veteri Latine conformem fuisse, sci-mus ex Epist. Can. 1. S. Basilii ad Amphilochoium, in qua can. 3. statuitur, quod Diaconus, post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem ejicetur, in Laicorum autem locum extrusus, à Communionem, post poenitentiam, non arcebitur. Nec non ex Joanne Jejunatore, Patriarcha Constantinopolitano, Gregorii Magni synchrono, in Libro suo Poenitentiæ, ubi sic: *Sacerdotes, Episcopi & Diaconi, qui in gradu sunt, ad peccatorum Confessionem suscipiendi non sunt, nisi secundum Deum securitatem eorum Confessoribus fecerint, quod si alicujus criminis rei sunt, quod eos à sacris Ordinibus exercendis prohibeat, non amplius sacris ministrare audebunt.* Et infra: *quod si vel in unam solam (mulierem) incidere, sacrificandæ potestate abdicatus sit, licet martyrium decerasset, & mortuus suscitaret.* Et ille mos antiquus apud Orientales in hunc usque diem perseverat, inquit Morinus l. 5. c. 11. n. 12. Quod etiam testatur Arcudius Græcorum Rituum peritissimus l. 4. c. 2.

Et idèd Græci, eorumque imitatores Moscovitæ, Liturgiæ celebratori, istius disciplina etiamnum pericaverant rigorem veriti, sacrilego abusu, p. si commissam fornicationem, seu aliud ejusmodi crimen, rarè confitentur, ut supra dixi: tantum namque abusus, antiquæ sacri egi causa hæc est (ait post Arcudium Contensonus to. 8. diff. rt. 4. c. 1. pag. 768. edit. 1.) *quod cum Canones antiqui Clericos in peccatum ad mortem, & nominatim in fornicationem lapsos, perpetuo ab executione Ordinum suspendant, eosque in sortem Laicorum redigant; ne ab officio cessent, de graduque deiciantur Græci Sacerdotes, verè scelera sua ob inserendum ministerium alii patefaciant, idèd sacramentalem refugium Confessionem; quasi verò idcirco magis digni, magisque ad divina conficienda, tractanda, sumendaque idonei sint, quod culpas occultant suas.*

Sed & Patres spirituales, seu Confessarios (apud Græcos) profus alienos esse ab ea facilitate, quam inducunt duæ propositiones, contra quas disputamus, constat ex alia narratione, quam Morinus facit in Appendice edit. noviss. pag. 140. se utique audivisse à Latinis nonnullis, viris doctis, qui in Græcia cum Græcis diu versati fuerant, eorumque ritus attenderant, spirituales Patres, cum aliquod crimen ipsis revelatur paulò gravius, statim contenti inculcare solitos: *ne communices. Sapè etiam propter res non admodum graves, à Communionem sua sponte, & injussos abstinere, v. g. propter amplexus conjugales, propter infirmitates naturales,*



que immunditiam sapiunt, variaque ejusmodi, que viris mulieribusque contingere solent. Qui se talibus contaminatum sentis, non modo à Communionem abstinebit, sed ne panem quidem benedictum accipiet, aut aquam benedictam bauriet, aut Evangelium osculabitur, licet horum abstinentia sit planè publica. Nec tamen ceteri fideles, abstinentiam istam conspicientes scandalum inde patiuntur, aut aliquid sinistri de abstinentia concipiunt. Ista sunt (inquit) antiquissima praxis expressa vestigia. Ultimum enim quod penitenti concedebatur, & non nisi purgatis, & vitis defecatis concedebatur, erat corporis Christi communio. Prius & longè facilis semper ab Antiquis concessa est à peccatis absolutio. Illa pretiosissima margarita est, quam prodigere prae ceteris omnibus maxime reformidarunt, ejus potius causa tot preparationes, libris precedentibus explicatas, insituerunt, &c.

590 Ecce quam immanè ab illo Ecclesie Orientalis Occidentalisque spiritu aliena est doctrina, quae Sacerdotem ab ara Veneris, ipso die commissi horrendi criminis, ad aram Christi accedere, manibusque libidinis æstu adhuc fumantibus, vicinam purissimam offerre permittit.

Non sum necius, Patronos exorbitantis istius doctrinae dicturos, allatam Latinorum Græcorumque praxim, seu disciplinam, saltem inter Latinos abrogatam esse. Verum abrogata non est quoad id saltem, quod mixtum habet juris naturalis & divini: upote quod nullo in contrarium usu, quamlibet longissimi temporis, abrogari potest, uti cum S. Thoma Theologi docent passim omnes. Exorbitantem verò doctrinam illam juri naturali & divino consentaneam non esse, ex proximè dicendis apparebit.

591 Nec doctrina illa dumtaxat aliena est ab Ecclesie sensu, tam Græcæ, quam Latine; sed & à doctrina Sanctorum. Cyprianus namque libro de lapsis in eos Sacerdotes venementer invehitur, qui Christianos, in persecutione lapsos, aut præstitos dignos penitentiae fructus, nedum absoluteione, sed & sacra Communionem donabant. Verba ipsius cap. 7. sunt ut sequitur: *Qui vos felices dicunt, in errores vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant. Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimunt delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul & instruit fratrem, promovet ad salutem. Imperitius est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente comretrat. Emergit enim. . . novum genus cladis. . . accessit sub misericordiae titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorundam, laxatur incaltis Communio, irrita & falsa pax. . . A diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini fordibus & infectis nidore manibus accedunt. . . vis inferitur corpori ejus & sanguini.*

592 Ecce Cyprianus (cujus suavissimas charitatis ubera demiratus est Augustinus, quique epist. 55. ad Cornelium Papam, delictis, ait de seipso, plusquam oportet remittendis, penè ipse delinquo) contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorundam, laxatur incaltis Communio, irrita & falsa pax. . . A diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini fordibus & infectis nidore manibus accedunt, utique inferitur corpori ejus & sanguini.

593 Nec verò de his Cyprianus agit, qui delictum suum confessi non erant. Siquidem casus de quo agit, ille est: ingens Christianorum multitudo post lapsum (in quem ipsos dira persecutio precipitaverat) refurgere volens, ad absolutionem Commu-

nionemque, non præmissa canonica penitentia, admitti postulabat, nec delictum suum occultabant, sed reos se apud Episcopum profitebantur, quandoquidem ad gratiam absolutionis Communionique imperandam Martyres apud Episcopum deprecatores adhibebant, non ut à Confessione, sed ut à gravi diuturna penitentia, ante Communionem peragenda, onere liberarentur. Sed quia Ecclesie in retinendis suis ad animarum curationem legibus firmitatem perspectam habebant, cum ad deprecationem Martyrum Antilites se flectere non posse perspexerunt, lachrymari, turbari, tumultuari ceperunt, nec ipsis Casuitæ defecerunt, qui eorum patrocinium susceperunt.

Quid hisce in angustiis Sancti agendum censuerunt? Si Casuillarum illorum facilitatem sanandis hominibus, procurandisque dispositionibus ad Eucharistiam percipiendam necessariis idoneam censuissent, numquam opportuniorē eam adhibendi occasionem habere potuissent; sed ne Martyrum quidem precibus ad eam flecti potuerunt, quamquam erga illos misericordia sine dubio graviter & longè quam nos gravius commoveretur, sed immobiles permanerunt in penitentia ante absolutionem Communionemque exigenda, ne inani, nec salutem, sed exitum allaturæ miserationis specie abriperentur; & quia nimis indignum arbitrati sunt, à diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini fordibus & infectis manibus accedere, & ita indignum, ut esset vim quodammodo inferre corpori sanguinique ipsius. Censuerunt igitur divinam misericordiam, & gratiam penitentiae operibus prius implorandam, conscientiamque expurgandam, quam absoluteione Communionemque denarent, ne viderentur peccare contra Evangelii vigorem, legemque Dei, quæ dispensatores mysteriorum Dei jubentur fideliter & prudenter ea dispensare, cavereque periculum dandi sanctum canibus, margaritalque spargendi ante porcos. Illam fuisse rationem veteris illius disciplinae perspicuum est ex allatis Cypriani verbis, ostenditque Morinus lib. 1. cap. 17.

Idèò ergo Clerus Romanus à Cypriano in causa enarrata consultus, abis (inquit) epist. 31. ad Cyprianum, ab Ecclesia Romana vigorem suam tam profanè facilitate dimittere, & nervos severitatis, EVERSA FIDEI MAJESTATE, dissolvere, ut cum adhuc non tantum jaceant, sed & eadant everforum fratrum ruina, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura, presentur, & nova, per misericordiam falsam, vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad everforum majorem eripiatur & penitentia. Ubi enim poterit indulgentia medicina procedere, si etiam ipse Medicus, intercepta penitentia, indulget periculis? si tantum operis vulnus, nec finit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.

596 Similiter Moyses & Maximus, Presbyteri, Nicæstratus & Rufinus, Diaconi, alique Confessores epist. 26. ad eundem Cyprianum: *Animadvertimus te congruente censurâ eos dignè oburgasse, qui immemores delictorum suorum, pacem à Presbyteris, per absentiam suam, festinatâ & præcipiti cupiditate extorsissent, & eos, qui, SINE RESPECTU EVANGELII, SANCTUM DOMINI CANIBUS, ET MARGARITAS PORCIS, profanè facilitate donassent: cum grande delictum. . . non oporteat, nisi. . . causâ moderatèque irascari. . . ne, dum volumus importunè ruini intervenire, alias majores ruinas videamus parere. Ubi enim divinæ pietatis relinquatur, si tam facile peccantibus venia præstetur? Fovendi enim sunt animi ipsorum, & adma-*



viritalis suæ tempus nutriendi. Et de Scripturis sanctis, quam ingens et super omnia peccatum commiserint, instruendi. . . . Infidelis enim cicatrix, quam cuiusdam Medicus induxit, et ad quem libet casum medela referatur, si non fideliter de ipsa tarditate remedia presertur. Cui rursus in incendium flamma renovatur, nisi totus ignis, etiam usque ad extremam scintillam materia resingatur, ut merito huiusmodi homines sciunt sibi, etiam de ipsa mora, magis consuli, et fideliora, necessariis dilationibus remedia præparari.

Itaque, quantumlibet lapsi contenderent, se, ante magnam et diuturnam penitentiam, Communioni posse restitui, Concilio frequenter actò (ait Cyprianus epist. 55. ad Cornelium) non confessione tantum Episcoporum, sed et comminatione decretam est, ut penitentiam fratres ogerent, ut penitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret. Quod epist. 52. ad Antoniam sic exponit: Persecutione sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros et incolumes fides sua et Domini tutela protegit, in unum convenimus, et SCRIPTURIS DNI EX UTROQUE PARTE PROLATIS (agebatur ergo de divina lege) temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totam spes Communionis et pacis lapsi denegaretur, ne plus desperatione desicerent. . . . nec tamen rursus CENSURA EVANGELICA solveretur, et ad communicationem temerè præstarent, sed traheretur diu penitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia. Hæc est illa preparatio, quam dignissimi illi Apostolorum Successores, in eorum traditione veritatis, ab omnibus qui se graviori crimine contaminassent, præmittendam Communioni censuerunt. Hæc probatio, quam ab Apostolo postulari crediderunt, ut cælesti pane vescerentur ad salutem, non ad iudicium et condemnationem. Cujus prætermissione Domini præcepta rescindi (Cyprianus de lapsis) Evangelii veritatem infringi (Clerus Romanus epist. 30.) fidei majestatem everti (ibidem) contestantur. Hæc denique præcepta, quæ se de Scripturis cælestibus et discere et docere Cyprianus de lapsis testificatur.

Si cui hæc non sufficiunt, eorundem ad Martyres monita attentè meditatione trutinat. Ex his quippe faciliè intelliget quam necessaria duxerint penitentia opera ante Communionem, post commissam noxam graviorem. Cum enim Martyres pro lapsis intercederent, non ut lapsi ante Confessionem, et Sacerdotis absolutionem, ad Communionem admitterentur (oppositum enim constat ex epist. Luciani Martyris ad Celerinum 22. apud Cyprianum; nec certe Martyribus in mentem venire potuit tam traxus error) sed ut habita ratione commendationis suæ, suorumque meritorum, absque laboriosis diuturne penitentia exercitiis ad Eucharistiam admitterentur: sanctissimi Episcopi responderunt, quoad hoc annuere se non posse postulari ipsorum, quod cum Evangelicis documentis non satis congruerent; æquum quidem esse postulationis ipsorum rationem haberi, sed si ab Evangelica lege non dissonet (Cyprianus de lapsis, et Clerus Romanus ad Cyprian. epist. 30.) si iusta, si licita, si non contra ipsum Dominum. Cyprianus ibidem: Quia (inquit) Martyres nihil possunt, si Evangelium solvi potest; aut si Evangelium non potest solvi, contra Evangelium facere non possunt, qui de Evangelio Martyres sunt. Ut merito nulli magis sit competens, nihil contra Evangelium decernere (ait Clerus Rom. supra) quam qui Martyris nomen ex Evangelio laborat acquirere.

599 Siquis scilicet, ubinam Evangelium penitentia actionem postulat ab his qui lapsu graviore ruerunt, antequam cælesti pane vescantur?

Respondeo cum sanctis Confessoribus n. 596. citatis id postulari partim Matth. 7. Nolite dare sanctum canibus, neque mattatis margaritas vestras ante porcos. Et c. 15. Non est bonum sumere panem filiarum, et mittere canibus. Partim Matth. 24. et Luc. 12. ubi dispensatores mylleriorum Dei jubentur esse fideles et prudentes; atque aded in curandis animarum morbis corporalium Medicorum prudentiam imitari, qui altis vulneribus longam et diligentem adhibent medicinam, nec vulnere graviori, vel gravi laboranti infirmitate permittunt sanorum cibi vesci, nisi recuperatâ sanitate. Partim denique ex testimoniis utriusque Testamenti, libro sequenti profertur, ex quibus habemus ordinariè arduam et difficilem, nec momentaneam esse conversionem hominum in enormia crimina lapsorum, nec illius conversionis gratiam momentaneis et pauculis gemitibus secundum ordinariam divinam providentiæ economiam obtineri, sed magnis aliquanto, tempore gemitibus, magnis pietatis ac penitentia operibus impetrandam esse.

600 Consideraverunt Sancti oraculum istud Apostoli: probet autem seipsum homo; nec hoc de sola per Confessionem probatione intellexerunt, sed de probatione requisita ad puritatem et sanctimoniam, quam postulat digna et fructuosa divinitus huius Sacramenti susceptio. Quam (post commissum enorme crimen) sine dignis penitentia fructibus ordinariè acquiri non posse crediderunt. Consideraverunt etiam sacrum istud oraculum Matth. 24. Ubiunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ. Quod non de ultima dumtaxat fidelium congregatione intellexerunt, quæ electi omnes, et tepidissimi egressi, rapiuntur in nubibus obviam Christo in ævæ; verum etiam de ea quæ quotidie in Ecclesia fit, quæ unque Christi fideles circa divinitus Christi corpus in altari congregantur: idcirco arbitrati sunt, Salvatore verbis illis significasse eos aquilas esse debere, id est animas submissas, et sicut corda habentes, quæ ad sacrosanctum corpus illud accedunt. Nullus autem de torcosissimo graculo, immundissimoque porco fit aquila, secundum ordinariam divinam gratiæ economiam, nisi per multas orationes, pietatisque et penitentia opera expurgetur, et spiritualizetur. Idcirco ergo penitentia opera ante Communionem, tantem post commissum grave crimen, requisierunt.

601 Nec pro solis Christianis in persecutione lapsis in idololatram, verum et pro Libellaticis, id est Christianis, qui publicè Christum non ejurarunt, nec idolis sacrificaverunt, nec cibos immolatos gustaverunt, sed pretio dato libellos à Magistratibus impetrarunt, quibus à persecutionis periculo tuti essent, quasi Imperatorum edictis parassent. Cum ex Cypriano, Cleroque Romano constet, tam istos, quam illos in lapsum numerum repositos, et Libellaticos, cum his qui Christo publicè enuntiarant, ad penitentiam (sicut aliquando inferiori) ante Communionem peragendam adactos fuisse. Atqui gravius est fornicatorum et adulterorum, quam Libellaticorum peccatum, graviusque penitentia piecendum, Cyprianus docet epist. 52. ad Antoniam: Multo (inquit) et gravius, et peior est machi quam Libellaticæ causa; cum hic necessitate, ille voluntate peccaverit; hic existimans satis esse quod non sacrificaverit, errore deceptus sit; ille matrimonio expugnator alieni, vel lupanar ingressus, ad cloaciam et censuram voraginem vulgi, sanctificatum corpus, et Dei templum detestabili collusione violaverit. Et ante Cyprianum Tertullianus l. de pudicitia gravius censuit fornicatoris crimen, quam Libellatici: Quis enim (inquit) magis negavit, qui Christum vexavit, an qui delectatus amissis? qui cum amitteret, do-



luis; an qui eum amiseret, iustis? Si ergo pro libellis acceptis poenitentiam ante Communionem agendam conseruerit; à fortiori pro adulterio & fornicatione, utpote libellione grauioribus. Enimverò si tam acri censurà perstrinxerunt eos, qui ante diurnam magnamque poenitentiam Communionem dabant Christianis, ante plures dies (grauissimæ persecutionis timore) prostratis; quia scilicet non crediderunt uno momento, vel leui poenitentia, sed multis dumtaxat precibus, multis gemitibus & afflictionibus posse reparari: quã censurà perstrinxerunt ipsã die commissi criminis eos Communione donantes, qui, nullo timore coacti, sed voluptate illecti, adedque longè pleniori voluntate, enormibus peccatis consenserunt?

602 Nec certè de solis idololatriis, sed de quocumque peccato grauiter enormi Ambrosius in Psal. 118. ait, *In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma iustitiæ, ne quis à Communionis consortio absentus* (quod pro quocumque crimine saltem grauiore, etiam pro fornicatione fiebat) *brevi lachrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus, Communionem, quam pluribus debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat.* Plura ad idem Sanctorum testimonia libro sequenti (favente Deo) proferemus. Non possunt quidem hodie fideles adstringi ad omnes illos poenitentium ritus, qui tunc observabantur; sed cum eadem hodie lex divina sit quæ olim, & eadem peccatorum gravitas; hodie verum est, sicut olim, alto vulnere longam medicinam esse necessariam, nec medicinam esse debere minorem, quam vulnus, &c.

## CAPUT XLVI.

*Amplius dua illo propositiones consulantur quadruplici ratione. Quarum 1. peccatur ex enormitate magna fornicationis, & aliorum peccatorum carnis in Sacerdote. 2. ex eo quod sanctitati Corporis Christi magnopere advenserunt. 3. ex isto Christianis criminis sensu communi, quo apprehenditur velut quiapiam valde indignum, quod Sacerdos ab ara Veneris & diaboli post paucas horas ad aram Christi transeat, ad ibi exercendum Sacerdotis officium. 4. ex difficili & rara, neque ex paucis gemitibus presumentia conversione Sacerdotum, flagitia carnis perpetrantium.*

603 Quam enormia flagitia sint sodomia, & bestialitas, quamque homine indigna, satis notum est universis, satique Tertullianus exprimit, dum l. de pudicitia c. 4. vocat non delicta, sed monstra. Nec ignota est gravitas adulterii, quo nedum castitas, sed & alienus thorus violatur. Graviter denique fornicationis pluribus argumentis demonstrat Apostolus 1. Cor. 6. Demonstrant & Canones, septem annorum poenitentiam imponentes vel ipsi Laico fornicanti: *Fornicator septem annis sanctis non communicabit* (inquit Basilii Episcopi. Canon. 3. ad Amphil. can. 59.) *duobus destens, & duobus audens, & duobus substratus, & in uno consistens. Octavo autem anno ad Communionem admittetur.*

604 Hinc propositio (contra quam in presenti disputamus) tam citò utique post fornicationem, vel enormius carnis peccatum, Sacerdotem ad altare mittens, instar monstri vita est S. Petro Damiano: *Si enim (inquit) vix Laico lapsò permittitur, ut Ecclesiam cum aliis oraturus introeat; qualiter isti dabitur, ut ad altare Domini pro aliis intercessurus accedat? Si ille, antequam tam proli-*

*xum poenitentia spatium transgat, non meretur audire; iste quomodo dignus est sacra Missarum solennia celebrare? Si ille qui minus peccavit, ut puta per latum seculi iter procedens, indignus est celestis Eucharistiæ munus ore percipere; qualiter iste merebitur tam terribile mysterium pollutis manibus tractare?*

Enimverò usque adeo sanctam & immaculatam esse oportet Sacerdotis vitam, ob sublimem sui Ordinis & Officii dignitatem, ut omnes in illum, & in ejus vitam, velut in aliquod exemplar excellens intueantur, ait Chrysostomus homil. 10. in 1. ad Timoth. 3. Et idè Apostolus Paulus (ut habet Canon Apostolus dist. 8.) *quando elegit ordinandos Presbyteros... ait: si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cetera hujusmodi: quolibet itaque horum implicatus ordinari non debet.* Quomodo ergo tam enormiter per aliquod illorum criminum à sanctitate post suam ordinationem collapsus, statim potest sanctissimum altaris sacrificium offerre?

Id indignum atque intolerabile esse, præter dicta superiori capite, probatur 1. ex enormitate fornicationis, aliorumque supradictorum scelerum in Sacerdote. Si enim *levia Laicorum delicta, in Sacerdotibus magna esse Tridentinum sess. 22. c. 1. testatur; igitur quæ in Laicis gravia sunt, in Sacerdotibus enormia sunt, illa saltem quæ non modicum opprobrium sacerdotali faciunt Ordini, eò quod specialiter pugnent cum sanctitate & honore Ordinis & Officii sacerdotalis, cuiusmodi est fornicatio: quæ quia peccatum est admodum vile, vileque in oculis Dei & hominum reddit istius sceleris reos, & in tantum viles, ut vilitas illius à parentibus in filios, à filiis in parentes redundet (propter quod Levit. 21. filia Sacerdotis clam fornicata, flammis exuritur) enormiter haud dubie pugnat cum honore Ordinis Officique sacerdotalis. Unde Chrysostomus homil. 76. in Matth. Sacerdotum (inquit) *filia istius criminis reæ igne cremabantur. Quæ ex re, quam magnus poenarum cumulus Pontificem, vel Sacerdotem expectet peccantem, legis Conditor voluit significare. Nam si filiam ejus atrocis puniri iussit, quid erit de ipso? Et l. 6. de Sacerdotio post medium: Ostendere volens Deum hominum peccata longè majori supplicio expiari, dum à Sacerdotibus, quam dum à privatis sunt, mandat Levit. 4. ut tantumdem pro Sacerdotibus, quantum pro universo populo sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud signat, quam Sacerdotis vulnera majores medicamento atque auxilio indigere; atque aded tanto, quanto conjuncta simul populi vulnera indigent? Porro majori nequaquam indigerent, nisi ea graviora forent. Aique graviora certè sunt, non naturâ ipsâ, sed Sacerdotis, qui ea commiserit, conditione ac dignitate.**

Pugnare etiam enormiter cum sanctitate Ordinis Officique Sacerdotalis, demonstratur ex eo quod si fornicatio Sacerdotis veteris legis aded pugnaverit cum sacerdotali sanctitate ipsius, ut (juxta Chrysostomum) flammis expiari visus posset; quid censebimus (inquit eximius D. Hennebellus in thesi de Sacerdote lapsò) de fornicatione Sacerdotis novæ Legis, qui tot titulis ad majorem castitatem sanctitatemque, præ Sacerdote veteris legis, obstringitur? In fornicatione (ait Chrysostomus homil. 18. in 1. Cor. ad hæc verba: *qui autem fornicatur, in corpus suum peccat) totum corpus fit sceleratum & execrandum. Tamquam enim incidens in lebetem immunditiam, fordidusque & inquinatus tinctum sic pollutur.* Et quid sanctitati magis adversum, quam brutali libidini totum hominem subijci, ita ut nihil aliud cogitare quam sceleratissimam libidinem valeat?

Hoc



hoc autem facit fornicatio: cetera namque peccata, etsi per corpus gerantur (inquit Commentator in Epistolas Pauli apud Ambrosium) non tamen animam ita carnali concupiscentia faciunt obstrictam & onerosam, quemadmodum commiseri facit animam cum ipso corpore usus libidinis, aperi in opere carnali fornicationis. Quia in tantum agglutinatur anima corpori, ut ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere: quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submerso & absorptio libidinis & concupiscentia carnalis. Similiter Augustinus term. 162. edit. nov. Videtur B. Apostolus... exaggerare voluisse fornicationis malum, super cetera omnia peccata, quae etsi per corpus committantur, non tamen animam humanam concupiscentia carnali ita efficiunt obstrictam & abnoxiam, quemadmodum in solo opere fornicationis corporali commiseri facit animam vis ingens libidinis cum ipso corpore. & unum cum ipso quodammodo agglutinari & devinctum esse... sic enim totus homo abhorbetur ab ipso, & in ipso corpore, ut jam dici non possit ipse animus saus esse, sed simul totus homo dici possit, quod caro sit, & spiritus vadens, & non revertens... Nunquam sic totus homo corporis voluptati addicitur, & ineffabiliter vel inevitabiliter affigitur.

608 Accedit major adhuc fornicationis gravitas in Sacerdote ex triplici alio capite. 1<sup>o</sup>. ex solemnitate castitatis voto quod sacrilegium violat.

609 2<sup>o</sup>. ex sacerdotali dignitate, quae quantum celsior est, majorque gratia Sacerdoti collata, eod graviori lapsu ruit in peccatum tam vile. Tanto namque gravius est peccatum, quanto major qui peccat habetur. Et quantum quis altiore in loco est constitutus, tanto lapsu graviore ruit. Unde Bernardus term. Ecce nos reliquimus omnia: In Clero (inquit) tamquam in caelo gerens iniqua, quid nisi de ministerio judicetur? caeleste tenet officium (Angelus enim Domini exercituum factus est) tamquam Angelus aut eligitur, aut reprobat. Inventa quippe in Angelis praevitas, & disstrictius judicetur necesse est, & inexorabilius quam humana.

610 3<sup>o</sup>. ex circumstantia temporis, quando tunc committitur, cum imminere cognoscitur tempus sacrificii offerendi. Ex hoc namque major est iniquitas tua, quod ne reverentia quidem tanti mysterii proximè celebrandi foetidissima voluptatis illecebris pravalerè potuit. Ob tantam fornicationis enormitatem, Patres omnes, qui ante Ildorom Mercatorem, sive ante supposititiarum epistolarum Calixti, Gregorii & Ildorom Hispanensis promulgationem ab ipso factam flourerunt, sacerdotalibus functionibus Sacerdotem in fornicationem lapsum restituere ausi non sunt; omnes item Patres, qui supposititiis epistolis illis decepti priorum Patrum doctrinam temperarunt, numquam tamen adduci potuerunt, ut ipsum tam citò altari restituerent. Et erit hodie novarum opinionum fabricator, qui talem altari restituere ausit, illo ipso die, quo peccatum tam enorme commisit? Hoc est quod vulgatissimo Theologorum Canonistarumque iudicio, Covarruvæ tempore impium censeri solebat, ut ipse Covarruvæ ad caput si fariosus n. 7. ait: Impium censeri solet (nota vulgatissimam tunc sententiam) posse Sacerdotem, qui nocte praevitè dormierit cum femina, statim celebrare praevitè contritione & Confessione.

611 Hoc est quod clarissimus Vencientis Episcopus Godæus in Historia sua Eccles. ad annum 594. dicit cum puritate victimæ corporis Domini componi non posse, magis quam componi possit lux cum tenebris, & Christus cum Belial.

Hoc est quod Merbellus, loco supra laudato, velut impiam, sacrilegam & nefariam doctrinam perhorrescit dicens: Procul dubio perborresces vel cogitatione, vel recordatione nefariae illius doctrinae quorundam hominum, pari ad infestam impietate confirmantium, Sacerdoti, post habitam eo ipso die, quo celebraturus est, copulam carnalem cum femina, aut pollutionem voluntariam, liberum esse sine culpa veniali rei divinae incumbere. Et infra: impium & sacrilegum est asserere, Sacerdotem posse celebrare, vel Laicum posse communicare, iusto & licet, eo ipso die quo in voluntariam pollutionem incidit, vel quo fornicationem, adulterium, vel peccatum contra naturam admisit. Hanc doctrinam, imò impietatem, totis Antiquitati contrariam esse supra docuimus.

Hoc est quod piissimus Contenson. to. 8. dislett. 612 4. c. 2. horribilem quorundam Recentiorum corruptelam appellat: Ex his patet quantum à S. Thomae doctrina castimonia quorundam Recentiorum corruptela abhorreat, qui nedum Laicis, sed & Sacerdotibus (quorum status, character, & tessera sanctitas est) post patrata nefandissima carnis peccata, nedum Communionem, sed & sanctissimorum mysteriorum tractationem & celebrationem concedunt, eosque à lupanaribus (horribile dictu) adhuc recentes, adhuc calentes ad tremenda altaria immittunt... post nudam Confessionem.

Hoc est quod Illustrissimus D. Neercasellus E. 613 piscopus Cantoniensis pluribus impugnat in Amore suo penitente l. 2. c. 21. Si enim (inquit) Emericus de bonis, nobilis & pius Scripturæ & Societate, censent esse SCELUS HORRENDUM DICTU, ET ANGELIS IPSIS DETESTABILE, QUODVE VALEAT SOLI TENEBRAS OFFUNDERE, TERRAM TREMEFACERE, ET ELEMENTA PERMISCERE, si quis Laicus eodem, vel postero die, vel tertio, aut quarto, à sumpta Eucharistia ad suas sordes revertatur, aut illam quis sumere audeat, qui pridie, nudius tertius vel quartus ante peccaverat: nonne idem scelus detestabilis & horribilissimus erit, si recenset à propudiis & flagitiis, non solum Eucharistiam sumere, sed & consecrare, sed etiam Mediatoris officium assumere audeant? Elanguerit Canonum vigor... infusus animis Christianis reverentia, & adorationis sensus, quo corpus Domini colendum est, nunquam ita langueret, ut probare possit, quod homines, adhuc libidine sumantes, atque sacentes, sacris operentur, eamque carnem consecrati, tractent, pro aliis offerant, aliis colendam exponant, manducandam presentent, & ipsi eam sumant, atque in sua viscera, adhuc sedis esibus ferventia, vel tepentia demittant, quam carnem virginis Mariae uterus non potuit concipere, nisi Spiritus sanctus in illam descenderet, & virtus Altissimi sanctissime Virgini, ut adhuc purior evaderet, mirabilius obumbraret.

Atque hinc se offert secunda ratio, ad confundendam illam novitiam opinionem, quod utique sanctitati corporis Christi magnoperè immunditia, quæ ex fornicatione contrahitur, tam secundam animam, quam secundum corpus repugnet. Nam (ut Hennebellus optimè prosequitur ubi supra) & anima efficitur adeò immunda, per appetitum immunditiae, & perpetuum recursum cogitationum immundarum; & caro ipsa per pronitatem ad opera immunda, ut de fornicatione merito dici possit, quod sit mors corporum, interitus animarum, carnem polluit, mentis lumen extinguit, Spiritum sanctum de templo humani corporis eiecit. Unde S. Thomas hic q. 80. a. 5. ad 2. peccatum fornicationis reddit ineptum hominem ad perceptionem huius Sacramenti, in quantum scilicet per hoc peccatum spiritus maxime carni subicitur, & ita impeditur devotio, & fervor dilectionis, qui requiritur in hoc Sacramento.

Enimverò si propter pollutionem nocturnam, ex turpi cogitatione vigilantis ortam, nec in se, sed in ea dumtaxat causa voluntariam, sacro mysterio abstinere eà die oportet, ut dicitur cap. testamentum

615



dist. 6. Unde & Gregorius scribens Augustino Anglorum Episcopo (teste S. Thoma ubi supra in corpore articulo 1. & in 4. dist. 9. q. 2. ad 4.) dicit *cessandam esse à Communionem, quando ex turpibus cogitationibus provenit*. Si etiam juxta Pium V. in rubrica de dispositione corporis (præfixa Missali Romano Editionis Plantiniana anni 1566.) *si præcesserit pollutio nocturna, quæ constat fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale... abstinendum est à Communionem & celebrationem*. Quamvis magis propter fornicationem in se directe volitam, quæ Sacerdos templum Spiritus sancti non solum violavit, corpusque suum, magno sanguinis Christi pretio emptum, spiritui immundo tradidit, & membra Christi, fecit membra meretricis; sed nec Officii sanctitate, nec solemnitate voto, nec proprii honoris memoria, nec sui Ordinis opprobrio, nec imminente purissimum Virginis Filium immolandi ac fumendi tempore cohiberi potuit, quin minus sacrilegium tam abominandum committeret?

616 Tertia ratio petitur ex infirmitate Christianis animis sensu, quo apprehenditur velut quidpiam valde indignum, quod Sacerdos, adhuc libidinis calore fumans ac foetens, virginem Agni immaculati carnem in altari Christi consecret, tractet, in victimam pro aliis offerat, atque in viscera sua trajiciat, paucis horis postquam eadem sua ipse viscera, futumque corpus & animam diabolo in victimam in ara Veneris obtulit. Scandalizantur hoc ipso pii fideles hoc videntes: quia fornicationem Sacerdotis, atque ipsius peccata enormia, quæ vel lege veteri, vel hodiernum lege civili poenâ capitali puniuntur, apprehendunt ut magnum sacerdotalis Ordinis opprobrium, quo Sacerdos indignus redditur altaris ministerio. Si enim Sacerdotis filia in fornicationem lapsa in lege veteri ne vitâ quidem corporali digna censetur; quomodo in nova lege Sacerdos ipse, antequam per poenitentiam labores, lachrymas, fletus, jejunia, orationes tantum facinus capitali supplicio dignum expurget, dignus censeri potest vitâ divinâ? Quemadmodum ita homines inter se compositi sunt, ut, etiam post impetratam extraordinariâ gratiâ veniam, audax proflus & impudens videretur, qui modicissimo tempore post injuriam atrocissimam Principi illatam, quæ capitali supplicio plecti merebatur, graviâ istâ non contentus, in mensam ipsius se ingereret, pro aliisque intercederet, & præcipua quæque Aulæ regis ministeria invaderet; magnopere quoque ipsi timendum foret, ne Princeps ob ipsius impudentiam, superbiam & præsumptionem, irritaret gratiam, quam humilitate supplicantis commotus jamjam misericorditer tribuerat. Sic pii Christiani ita inter se compositi sunt, ut (etiam post reconciliationem cum Deo per humilem dolorosamque Confessionem extraordinariâ Dei gratiâ & misericordiâ impetratam) audax, impudens & præsumptuosus ipsis videretur facinus Sacerdotis, qui quasi gratia illa extraordinaria ipsi non sufficeret, tam cito obliteraret memoriam atrocissimæ injuriæ Christo illatæ, quæ tollens membra Christi horrendo sacrilegio fecit membra meretricis, violatumque corpus suum, id est templum Spiritus sancti, Deo solemnitate sponcione consecratum, pretio magno emptum à Christo, turpissimâ proditione templum fecit demoniorum; modicissimo tempore, seu paucis horis post tam enorme crimen (necum capitali supplicio, sed perpetuâ execratione excommunicationeque dignum) in Christi mensam se ingereret; corpusque ipsius invadere, altari pro aliis intercessurus accedere, sacraque Missarum solemnitate, atque alia præcipua regni Christi mysteria tractare auderet. Cum commissi criminis pudor, verecundia, horror, ipsum eò usque saltem con-

fundere atque humiliare deberet, ut ante expiatum dignâ poenitentia tantum flagitium, se tantum cum Christo familiaritate reputaret indignum. At quomodo se humiliat, qui post crimen immane, statim dignum se judicat maximo favore, sublimiorique honore, quem homo viator possit ambire, maximusque Dei amicus possit exoptare? Si humilitatem (necessariam certe ad exercendum Sacerdotis officium, post flagitium tam probrosum) in ipso nihilominus reperiri, quispiam pertinaciter contenderit; longissime profectò humilitas ista distat ab humilitate Publicani, Cananæ, Magdalene, & Filii prodigi. Siquidem Publicanus præ confusione non audebat oculos levare, nec ad cœtum Sanctorum accedere: ille præsumit ad altare accedere, & ibi Sanctum Sanctorum Deo offerre & manducare. Cananæ, canem se cogitans, modicum quoddam, & exiguum beneficium desiderans, non mensam (inquit apud Augustinum serm. 74. de temp. c. 6.) *invado, sed micæ quæro*: ille nedum filiorum, sed & Christi mensam audacter invadit. Magdalena, licet multum diligens, atque ex magna dilectione crimina sua detestans, ideoque remissionem à Christo consecuta, non audet à Christi vestigiis ad manum, ad os, ad verticem statim convolare. Audet hoc verò Sacerdos ille, statim post Confessionem, paucisque horis post admittit horrendum crimen. Filius denique prodigus, ad patrem magna cum conversione revertens, non statim iminos honores, sicut ille Sacerdos, sed hoc unum suppetere ausus fuit: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis*.

Præsumptionem Sacerdotis auget, quod, licet sibi videatur aliquoties contritus & confessus, justissimum timorem habere debeat, ne toto corde equidem non sit conversus, uti Publicanus ille fuit, sicut & Filius prodigus, & Magdalena; nec proinde dignus audire cum Magdalena, ad Dominicos pedes provoluta, *dimittuntur tibi peccata tua*. Neque enim audivit hoc Magdalena, nisi post heroicum actum, quo (omni humano respectu posthabito) in convivii locum ingressa, etsi non vocata, atque ad Dominicos pedes prostrata, grandibus lachrymis eos lavare, & capillis suis tergere inter epulas non erubuit. Quod, utpote extraordinariâ Christi gratiâ factum, simili gratiâ sibi quoque factum abique prælitio ullo actu heroico, valde præsumptuose Sacerdos nollet credere. Et hinc

Quarta ratio est, quia Sacerdos tam enormiter lapsus valde seducit seipsum, si nullis adhuc præmissis laboriosæ poenitentia operibus, ex hoc tantum quod peccatum suum cum aliquo dolore vel etiam aliquot lachrymis consistatur, illico præsumat se conversum ut oportet ad fructuosam absolutionem. Videns enim quem offenderit, & quam enormiter offenderit, nedum gratiâ extraordinariâ, sed & ordinariâ se indignum reputare debet. De suisque lachrymis & gemitibus humiliter sentiens, lachrymas suas tam enormi delicto ablundo impares consisti debet, vel saltem de earum insufficientia magna cum ratione dubitare, ob dicenda sequenti capite. Maxime cum merito timere debeat, ne in tantum scelus corruere permittit sit, in poenam oculi alicujus criminis præcedentis, v. g. præsumptionis de seipso, prout accidit Petro. Vix enim accidit, ut bonus Christianus à crimine valde enormi suam ordiatur ruinam. Occulta solent peccata præcedere, quæ terribili hæc medicinâ curanda sint. Sic triplicem Christi negationem in Petro antecessit nimia de suis viribus præsumptio. Et hoc sensu Augustinus 14. Civ. 13. *Audeo (inquit) dicere, superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui sibi placendo ceciderunt*. Propterea ergo Sacerdos, à lapsu suo resurgere



resurgere volens; ipsi lapsu suo cautior factus, magno opere debet timere, ne ad cumulum peccatorum, quæ priori suâ præsumptione contraxit, nova accedat præsumptio, quæ nimis facile sibi persuadear, se satis conversum, cum revera non sit. Præsertim cum sufficiens conversio Sacerdotis, post enorme crimen, res admodum rara sit, ardua & difficilis, ut sequenti capite demonstrabitur. Memor ergo unde exciderit, donec tantum crimen dignis elicitur poenitentiae fructibus, imitari debet humilitatem Publicani, Cananæ, Magdalene, Filii prodigi, de quibus proxime, necesse sit digne diligam assimilare gratiæ plenæ conversionis, nec cui sola prima proferatur, vitulus saginatus mactetur, convivium paratur, sed omni potius confessione, quam honoribus istis, divino præsertim convivio, se dignum agnoscendo, dicere cum Petro: *Exi à me, quia peccator sum, Domine*; cumque Publicano, oculis in terram demissis, longè ab altari stans, pectus percutere, dicendo: *Deus propitijs esto mihi peccatori*. Pro se denique, suisque criminibus, aliorum potius intercessionem debet implorare, quam pro aliis ipse intercedere. Ad quæ omnia simul ipsi non mediocrem injicere debet visio, quam Dionysius Carthusianus lib. 3. de quatuor noviss. ex Petro Cluniacensi refert accidisse pio Religioso Anglo, qui in spiritu raptus in Purgatorium, cum miraretur, quod tam pauci Sacerdotes essent in Purgatorijs poenis, respecta eorum, qui ubique terrarum castimoniam polulant: responsum illud ab Angelo accepit, quod ideo ibi paucissimi erant, quia vix aliqui saltem veram habent contritionem; quodque ideo penè omnes hujusmodi aternaliter condemnantur. Caveant ergo Sacerdotes in fornicationem lapsi, sibi de contritione sua facile blandiri, maxime attentis iis, quæ proxime dicenda sunt.

## CAPUT XLVII.

Secundùm ordinariam gratiæ œconomiam, rara & difficilis est Sacerdotum (in fornicationem lapsorum) plena conversio, sive ex toto corde; ideoque cito & facile non præsumenda; nec promissionibus ipsorum fides (sine cautione dignorum poenitentiarum fructuum) adhibenda; nec (sine ea cautione) ipsis absolventi; multo minus Communio, & Missa celebratio concedenda.

619 Demonstratur: quia secundùm ordinariam gratiæ œconomiam, difficilis est plena conversio cujuslibet peccatoris, post baptismum plenâ voluntate enormiter lapsi, nec sine præstatione dignorum poenitentiarum fructuum præsumenda, prout ex Scriptura & Traditione demonstrabitur libro sequenti. Multo ergo difficilior est plena conversio Sacerdotis, plenâ voluntate enormiter lapsi. Si enim in Laicis verum est illud Cypriani: *Quam magna deliquimus, tam granditer aesciamus. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perdidisti abnuisti?* Si etiam in Laicis verum est illud Cleri Romani: *Delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam, neque præproperam desiderare medicinam.* Item illud: *Non sit minor medicina, quam vulnus; non sint minora remedia, quam funera.* Quanto magis verum est in Sacerdotibus? Si denique verum est quod Richardus à S. Victore lib. de potest. ligandi & solvendi c. 22. ex doctrina Sanctorum ait: *Si vultis nosse, & potestis patienter audire, facilius reconciliatur Paganus post crimina centum, quam Christianus post unum solum.* Profecto quanto graviora sunt crimina Christianorum, quam Paganorum; tanto graviora sunt crimina Sacerdotum, quam Laicorum. Tanto proinde difficilior conversio,

Tom. III.

& tanto (ob majorem longè difficultatem) rario; maxime post lapsum in peccatum carnis: cujus visco semel agglutinatæ Sacerdotis animus, ob magnam ipsius tenacitatem, magnæque gratiæ in vacuum receptæ subtractionem, sine difficultate magna ab eo avelli non potest, & non nisi per ardua poenitentiarum opera, ita ut Episcopus Castoricensis in Amore suo poenitente to. 2. c. 21. merito dicat, nullam tardio rem rarioremque esse conversionem, quam ejusmodi Sacerdotum. Quod etiam observavit Antonius Godæus, Vencienis in Gallia Episcopus, integritate vitæ, à fastu & ambitione alienæ, necnon eruditionis & eloquentiæ laude clarissimus: postquam enim in sua Historia Ecclesiastica ad annum Christi 579. retulisset duos Episcopos, ob flagitia Ordine matos, sed poenis nihilo meliores effectos, in fardibus perseverasse, ait, ipsos exemplo suo confirmasse veritatem hujus terribilis effati: *raro ad poenitentiam sancti Sacerdotes, qui, Deum obliis, sese flagitijs dederunt.* Quam veritatem confirmat vitio numero præcedenti enarrata.

Et idipsum ratione multiplici ostenditur. Primo quia Sacerdotes (ait Castoricensis) inter eas functiones peccant, quæ utpote magis cælestes quam terrenæ, ipsos à peccatis revocare, & ut sancti sint Deo suo monere non cessant. Propter eam namque sancti Patres peccata Sacerdotum compararunt peccatis Angelorum, quibus datus non fuit poenitentiarum locus. In Clero (inquit S. Bernardus) *tanquam in celo gerens iniqua, quid nisi de ministerio judicetur? cælestis tenet officium. Angelus Domini exercituum factus est. Tanquam Angelus aut eligitur, aut reprobat. Inventa quippe in Angelis pravitas, & distractio judicetur necesse est, & inexorabilis quam humana.* Quod iubilior namque sacerdotalis dignitas, quod ejus functiones ab omnibus terrenis magis remotæ; eò lapsus inde gravior, eò ruina major; & quod ruina major, eò operosior & infrequentior reparatio. Neque enim vulgaris, sed horribilis ille casus est, quo Sacerdos evehctus ad dignitatem Angelicâ majorem, ruit in abyssum eâ longè inferiorem, in qua jacent Turcæ & infideles.

Secundò, nulli magis à Deo deseruntur, quam Sacerdotes, qui Deum deturunt, ut se criminibus addicant. Nam tamen ipsi poenitentibus ignoscit Deus, ipsos tamen raro subit verus poenitendi affectus, saltem plenus. Quid enim, inquit præclarè Halierus de sacris ordinationibus p. 1. c. 3. c. 2. §. 2. n. 8. *non essent indurato ad poenitentiam corde, qui adeo ad peccata ruentes, perfectæ fuerunt audacia, & inauratæ mentis, ut divinis monitis, quæ quotidie legunt, audiuntque, aures obstruerent; frequentioribus divinis vocibus cor occluderent, gratiæ Sacerdotis efficacissima resisterent, nec divinorum mysteriorum, quæ quotidie pertrahant, nec dignitatis extimæ, quam habent, veneratione continerentur, nec pudore, nec infamia, nec populorum scandalo à peccato deserrerentur? Profecto ut tam effrænis & pervicax peccandi voluntas corrigatur, magnâ gratiâ opus est, quam pauci student emereri. Hinc ergo fit, ut è polluis enormi crimine Sacerdotibus pauci ex toto corde convertantur, poenitentiamque agant ut oportet. Ausim dicere (ait iterum Halierus ibidem) majorem esse debere Clerici integritatem, quam ut eam, post commissum enorme crimen, in totum reparandam esse confidat; majoremque peccantis Clerici prævaricationem & iniquitatem esse, quam ut communitur ab eo non facta, vel saltem plena, respicientia speretur.*

Tertio, minus abundant Clericis in crimina prolabantibus (maximè Sacerdotibus) auxilia, quibus Laici, imò & Monachi, dum peccant, adjuvantur. Tum quia illis indigni fiunt per abu-



sum magna gratie sacerdotalis, auxiliorumque illi annexorum. Tum quia Laici, & Monachi, si ceciderint, salutari monitione à lapsu revocari possunt; Sacerdotes verò tantò difficiliùs fulsunt salutares admonitiones, quantò magis ipsi, cum essent *sal terra*, erraverunt, & quantò magis sibi persuadent suum esse alios monere, non ab aliis admoneri. Propter quod Matth. 5. Saluator ait: *Vos estis sal terrae: quòd si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & concalcetur ab hominibus.* Tum quia alii peccatores Sacerdotum orationibus adjuvantur ut convertantur. At qui pro lapsis Sacerdotibus orat, nullus Ordo specialiter est institutus. Unde Hieronymus epist. 1. ad Heliodor. *Monachus, vel Laicus, si ceciderit, orabit pro eo Sacerdos. Pro Sacerdotis lapsu quis rogaturus est? Rogat pro Laicis Sacerdos, quia ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Atque, ut D. Gregorius ait in cap. 3. lib. 1. Reg. exponens illa verba Helii ad filios suos: "Si peccaverit vir in virum, placenti carum potest Deus: si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?" *peccata subditi populi, quae ad Sacerdotem respiciunt, ipsorum Sacerdotum precibus delentur; at verò cum Sacerdos in culpam labitur, superior persona non est, cuius precibus expiatur. Quod & ipsa Veritas per se insinuat, dicens: "Si sal evanuerit, in quo salietur?" quasi dicat, quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo praecipit, qui ad intercedendum pro alio ordinatus est. Quo profecto culpe eorum magnitudo monstratur: QUIA PLERIQUE EORUM IN IMPENITENTIS CORDIS CALIGINEM PROJICIUNTUR, ET NULLA HOMINIS EXHORTATIONE RESIPISCUNT.*

623. Quarto, quia, ut ait Joannes noster Hierosolymitanus, sive Author imperfecti (qui sub Chrylostomi nomine circumfertur) in Math. hom. 40. *secularis homo, post peccatum, facile ad penitentiam venit; nam occupatus negligentia seculari, dum Scripturis non satis attendit, semper ei quae in Scripturis posita sunt, nova videntur; ideoque cum audit aliquid de gloria Sanctorum, aut de poena peccatorum, quasi novum aliquid audiens, expavescit; dumque aut bona concupiscit, aut mala timet, compunctus ad penitentiam citò decurrit. NIHIL AUTEM IMPOSSIBILIUS, QUAM ILLUM CORRIGERE, QUI OMNIA SCIT, ET TAMEN CONTEMNENS BONUM, DILIGIT MALUM. Omnia enim quaecumque sunt in Scripturis, propter quotidianam meditationem ante oculos ejus inveterata & vilia estimantur. Nam quicquid illic terribile est, usu vilescit. Propterea Clericus, qui semper meditatur Scripturas, aut omnino servaturus est, & erit perfectus; aut si semel coeperit illas contemnere, nunquam excitatur illis ut timeat. QUIS ALIQUANDO VIDIT CLERICUM CITÒ PENITENTIAM AGENTEM? Sed est, deprehensus, humiliaverit se, non ideo dolet quia peccavit; sed confunditur, quia perdidit gloriam suam. Patastne Dominus quasi crudelis Clericis penitentiam denegavit, dicens: "Si sal infatuatum fuerit, in quo condietur?" sed quasi naturalem rem considerans: quia non est quis doceat illum errantem, qui errantes corripbat.*

624. Quintò, fortasse ideo Chrylostomus homil. 3. in Acta dicit: *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multò plures esse qui pereant. Pauci enim sunt qui non labuntur, paucissimi qui post enormem lapsum ita resurgunt ut evadant boni; quod quoad Sacerdotes incontinentes confirmat historia in fine cap. praeced. relata. Ecce mandus ubique servet Sacerdotibus (ait Hieronymus apud Eusebium in epist. ad Damasum) & tamen tam sunt rarissimi Sacerdotes boni, quod vix è centum bonis reperitur unus.*

Cum igitur tam rara & difficilis sit plena conversio Sacerdotis enormiter lapsi, non est facile & citò, non proinde ex paucis gemitibus & momentaneis lachrymis, ante praestitos dignos fructus poenitentiae praesumenda. Pauculi namque gemitus & lachrymae momentanea Sacerdotis, taliter lapsi, absque dignis poenitentiae operibus sunt signa conversionis ambigua. Quod autem raro, & nonnisi valde difficulter accidit, ex signis ambiguis non praesumitur, sed potius quod frequentius accidit, juxta regulam juris 45. *Inspecimus in obscuro quod plerumque fieri consuevit.* Eò quòd in dubiis verisimilius sit hic & nunc accidere, quod accidere solet, quam quòd non solet, sed insolitum & rarum est. Nimis ergo praecipit & irrationabilis foret Sacerdos, qui ex signis ambiguis de vera, sincera & plena sua conversione praesumeret, maxime in angustiis, in quibus Judaeus vel Turca, honoris sui non omnino immemor, commisso enormi crimine ploraret & gemitet, imminensque sibi opprobrium multis promissionibus redimeret. Fortassis enim Sacerdos ille lachrymatur & dolet, non tam quia peccavit (quidquid tandem dixerit) quam quia confunditur & timet imminens sibi opprobrium, prout Author imperfecti in Math. observat supra n. 623. Et dato quòd lachrymae & gemitus ipsius ex aliquo peccati sui sensu procedant, sine poenitentiae operibus non sunt argumentum sufficientis conversionis ex toto & intimo corde, ut patet ex dictis n. 618. ampliusque probatur libro sequenti.

Majora proinde in ipso conversionis signa Confessarius ad ipsum absolvendum debet exigere, quam gemitus illos steriles, momentaneasque lachrymas. Imò majora conversionis signa in Sacerdote, quam in Laico in fornicationem pariter lapsio. Cum pravitas ista, utpote longè enormior, longè diffiditior in Sacerdote judicetur, gratiarumque subtractione inexorabilis puniatur.

At (inquis) lachrymis illis & gemitibus jungit 617 promissionem, quà Confessario ipondet, post celebrationem ea poenitentiae opera implere, quae Confessario visum fuerit illi injungere? At ambiguum est (inquam ego) an verè & sincerè (quidquid demùm dixerit, vel etiam juraverit) ista promittat, an etiam promittat ex animo satisfaciendi condignè pro peccato, an animo potius absolutionem, celebrandique facultatem obtinendi; cum multa similes peccatores, in angustiis, ad consequendam absolutionem promittere soleant, quae absoluti non implent. Neque ergo ex similibus promissionibus de vera & sufficienti contritione ipsius, dum adhuc libidine calet, totus anxius, totus inquietus & turbatus, Confessarius praesumere potest, sed ad hoc necesse est ut hic & nunc praestiterit ea, ex quibus sufficienter probetur conversus. Tam breves autem gemitus, tam steriles lachrymae, tam ambiguae promissiones non probant ipsum sufficienter conversum. Maxime tam citò. Cum juxta Scripturam & Traditionem libro sequenti proferendam, ordinariè non solet Deus gratiam plenae ac sufficientis conversionis, post crimen tam enorme, tam citò & tam facile concedere. Gratiam quidem istam & misericordiam post peccata gravia brevi consecutus est Paulus, sed ideo quia ignorans peccaverat. Similiter Ninivitarum brevi misericordiam consecuti sunt, sed gravi & extraordinaria poenitentia à maximo ad minimum peracta. Idem est de latrone in cruce, qui non solum immani passione crucis, pro peccatis suis voluntariè acceptata, sed & heroicè Christi ab omnibus derelicti, blasphemati, subannati confessione promeruit hanc vocem audire: *hodie mecum eris in paradiso.* Sacerdos autem, de quo agimus, non peccavit ignorans; sed peccati sui enormitatem agnoscens, nec peccatum suum heroicè



ullo actu, nec ullâ poenitentia magna diluit. Temere ergo tam citò absolutionem petit, & celebrare præstat. Imò temere sibi blanditur de plena & efficaci voluntate poenitentiam condignam post celebrationem fideliter adimplendi. Nec enim voluntatem istam habere potest sine speciali gratia, pro qua tam citò, post scdissimum lapsum, vix interrogato ore Domini, impetranda, non tantum est quod hæcenus præstitit, ut eam se impetrasse securus esse possit. Pro ea quippe impetranda orandum, & taliter actandum orandum, quomodo & quantum res tanta petenda est. Quod si se fecisse Sacerdos, de quo agimus, præsumeret, præsumptuosus esset.

628 Verum quidem est, si preces toto corde faceret, simulque veris poenitentia lamentationibus ingemisceret, iustisque & continuis poenitentia operibus veniam deprecaretur, Dominum posse ipsius misereri. Sed vix aut ne vix quidem sine impudentia hoc se fecisse sibi polliceri potest, qui adhuc æstus libidine, sterilibus dumtaxat aliquot lachrymis momentaneisque gemitibus peccatum suum in his deplorat angustiis, in quibus meritò dubitatur, an honorem suum, an Deum offensum debeat, vel saltem an Deum offensum ex toto corde debeat.

629 Idque tantò magis dubium, quanto certius est, Sacerdotem tam enormiter lapsum, si verè & ex toto corde poenitet, non debere amplius de se præsumere, sed lapsus sui memorem, de se suisque lachrymis & gemitibus debere humiliter sentire, nec lapsus sui veniam, uti nec veram contritionem sibi tam citò polliceri, sed agnoscere, quòd sibi non parùm periculosum foret, paucis horis post scdissimum peccatum commissum, mente nondum satis recollectâ, tremenda celebrare mysteria. Periculum (inquam) foret, ne si hoc audeat, præsumptionem (lapsus sui verisimiliter causam) præsumptionem, fornicationeque sacrilegio cumulans, divinæ sibi gratiæ fontem obstrueret, præcipitiq; festinatione irruendo in altare, vimque corpori & sanguini Christi inferendo, ex ira Dei magna, ut B. Greg. dicit, in impoentis cordis caliginem projiceretur.

630 Hoc est quod magnopetè formidarunt Sancti. Et idèd Potamius, Bracharenensis Archiepiscopus, semel in fornicationem lapsus, licet facti poenitens, nec celebrare, nec Ecclesiam suam regere est ausus, sed regimen illius sponte deserens, poenitentiam acturus per novem menses ergastulo se conclusit. Nec his contentus Toletano Concilio peccatum suum publicè confessus est. Nec tamen à Patribus Concilii, etiam post illam novem mensium poenitentiam, altari est restitutus, sed perpetuæ poenitentia ærumnis adjudicatus, solum ipsi relicto nomine honoris ex speciali miseratione. Genebaldus quoque, Episcopus Laudunensis, semel iterumque reversus ad carnale commercium cum relicta conjugè, sancti Remigii nepte, occultum peccatum suum sancto Remigio confessus, stolam cum magno ejulatu dimittere voluit, atque à sancto Remigio in mansuetula cum lecto in modum sepulchri reclusus, septimo dumtaxat illius poenitentia anno, in oratione pernoctans, ab Angelo sibi apparente audivit: *Suscipit Dominus poenitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum.*

631 Haud dubie sibi non persuaserunt Sancti illi, pauculis lachrymis tam enorme crimen elui posse, nec recuperari dispositionem debitam ad dignè celebrandum, nec hoc crederunt Patres nostri, qui Sacerdotes in fornicationem lapsos tanto tempore ab altari segregarunt. Quorum proinde, seu potius Ecclesiæ, tam Græcæ, quam Latinæ disciplina, tot sæculis continuata, abundè demonstrat, veram & sinceram ex toto corde contritionem.

Tom. III.

nem, in ejusmodi Sacerdotibus non debere tam citò, nec tam facile præsumi.

Nec certè utile est taliter lapsus esse persuasum, tam enorme crimen facile & citò elui ordinariè posse: imò expedit saluti ipsius contrarium habere persuasum, tum ut ex ista recuperandæ divinæ gratiæ difficultate, sui criminis sentiat enormitatem. Tum ut ista eadem difficultas sit ipsi frænum contra relapsum. Tum denique ut difficultatem agnoscens, non negligat orationibus die noctuque incumbere, veris lamentationibus ingemiscere, iustisque ac necessariis pietatis ac poenitentia operibus plenæ conversionis gratiam & veniam impetrare.

633 Quòd si, posthabitis tot & tantis rationibus, pro absolutione paucis post fornicationem horis obtinenda, celebrationeque sibi permittenda Sacerdos lapsus vehementius insitet, ipsa sua tam præcipiti importunitate, tantæque præsumptione se absolutione probat indignum. Undè absolvens non est, sed suaviter monendus, ut delicti sui horrore percussus, cum Publicano peccus suam percutiat, seque indignum reputet qui oculos in caelum levet, & non tantum de sacrificio offerendo non cogitet, sed ipsum pudeat à Veneris ara fordidis insectisque manibus ad tremendam Christi aram tam citò velle transvolare. Dixi absolvens non esse, quia ex præmissis præsumi nequit sufficienter conversus. Et quia Patres clamant, quòd sic præcipitare gravissimi delicti veniam, sit pietas impia, quæ vulnus non amputat, sed auget, dum ut augetur fomitem subministrat, nec perpetrati criminis sentire facit enormitatem, sed sublato illius sensu, de novo perpetrandi tribuit libertatem.

634 Si denique tam enormiter lapsus Sacerdos, reperiat Confessarium, à quo citò solvatur, & ad altare mitatur, istud cum Gallorienti arbitror proficisci ex gravissima ira Dei, quâ (ut supra ex Gregorio dicebam) in impoentis cordis caliginem projicitur, postea in gehennam cum tali Confessario projiciendus.

#### CAPUT XLVIII.

*Non idèd Sacerdoti, taliter lapsus, pauculis post fornicationem nocte commissam horis, impartienda est absolutio, nec permittenda celebratio, quòd ex statuto Ordinis debeat celebrare, vel in die festo Parochi ministerium exhibere populo, atque Missam non audire: etiamsi sermo sit de Sacerdote vita hæcenus probata, cui infeliciter, primâ jam vice, ruina ista acciderit.*

635 Quia, ut optime Hennebellus (qui multam lucem hæc attulit questioni) hæc omnia non faciunt, quin Sacerdos ille enorme commiserit sacrilegium. Quòd vitæ hæcenus fuit probatoris, eò perspectius habuit, quid in his angustiis Officii sui ratio ab eo exigere. Quòd si nec Officii sanctitas, nec solemnitas castitatis sponsio, nec honoris proprii memoria, nec præsentissimum Ordinis sui opprobrium ab hoc eum crimine potuerint revocare, constat utique magno cum impetu in hoc eum corruisse peccatum; neque excusare potest violentia tentationis, ubi tam deliberatè crimen est voluntatis.

636 At populo exhibendum est ministerium, vel hæc die celebrare jubet Ordinis statutum. Ita planè. Sed nec illud Sacerdotis lapsi crimen extenuat; imò exaggerat. Cum enim Sacerdos lapsus sciverit ministerium illud imminere, quo vitæ fuit probatoris, certiusque proinde scivit, quæ

X 2



in celebrante puritas ab ejusmodi crimine requireretur, eò vehementius crimen illud abhorre debuit. Ut enim Damianus in Gomorrhiano c. 4. *anquisque, quò melius sapit, eò deterius delinquit. Quia inevitabiliter meretur supplicia, qui prudenter, si voluisset, potuit evitare peccatum.* Deliquit ergo gravissimè, vel ex hoc solo capite, quòd reverentia tanti mysterii blandientis mulierculæ illecebris prævalere non potuit, ne eo quidem tempore, quo ejus celebrationem imminere sibi sentiebat.

- 637 Haëtenus Hennebellus, id multis prosequens in laudata Thesi, & in Apologia illius. Ubi exemplo Petri, infelicitè, inopinatò, & extraordinariè lapsi, id totum illustrat. Cui cum Dominus prædixisset, *antequam gallus cantet, ter me negabis,* dum instante passionis horâ, orante Domino, & ipsum ad orationem hortante, oratione neglectâ, ad tentationem imparatus accessit; in ea, licet haëtenus probatè vitæ, dum mori timuit, infelicitè, inopinatò, & extraordinariè vitam negavit, negationemque detestatione, anathemate, & juramento confirmavit. Quam negationem, juramento sacrilego taliter confirmatam, licet antè numquam commissam, metuque mortis extortam grande proflus & enorme peccatum fuisse, nullus est qui negare possit. Eam valdè enormem Petrus ipse professò credidit, qui tot & tam amarè la-hymis elucendam censuit.
- 638 Ut cecidit Petrus (inquit) ceciderunt in immani persecutione innumeri, qui usque ad horrida illa tempora vitæ fuerant hominibus probatissimæ; sed quàm varia sæpè sint Dei hominumque judicia, persecutio probavit, cujus flante turbine, paleam Deus segregavit à tritico, & aliis stantibus, ipsi infelicitè & inopinatò Christum negarunt, idolis thura immolarunt, aliaque nomine Christiano indigna patrarunt. Nec dubium quin hoc factò crimen valdè enorme commiserint.
- 639 Si commiseratione dignus foret Sacerdos, de quo quæstio: à fortiori ipsi, à fortiori Petrus, metu mortis immaniumque tormentorum prostrati. Indulgentiam ergo merebantur, præ Davide, & Sacerdote nostro, qui voluptati, atque libidini cesserunt. Hinc si magnum fuit Petri illorumque peccatum, qui cesserunt timori; majus (cæteris paribus) fuit peccatum eorum qui cesserunt libidini. Si enim tentatio, cui cessit Sacerdos, fuit gravissima; gravior fuit Petri, gravior illorum qui Christum negarunt. Nec tamen idèò gravissimè non peccarunt.
- 640 Quid igitur, si quispiam Sacerdos, probatè haëtenus vitæ, gravissimâ tentatione pulsatus, metuque mortis & imminentium tormentorum prostratus, Christum (ut Petrus, uti lapsi illi, de quibus Cyprianus) negasset, negationem juramento, anathemate, atque horrendâ execratione firmasset, idolisque thus immolasset: an ipsum pauculis post tantum scelus horis lachrymantem, & gementem, Confessarius idèò absolvere, & ad altare eo ipso die mittere posset, quòd altaris ministerium debeat populo, Sacrum alioqui non audirò in die festo? Id fieri posse non credidit Cyprianus, non Clerus Romanus, non sancti Confessores n. 591. 595. 596. relati. Imò id facere, censent esse misericordiam falsam, & blandam perniciem, impietatem vocabulo pietatis coloratam, quâ contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorundam laxator incautus communicatio, irrita & falsa pax, periculosa dantibus. *Et nihil accipientibus profutura.* Et qui hoc faciunt, hoc esse lapsi quòd grando frangit, quòd turbidam sydus arboribus, quòd armentis pestilens vastitas, quòd navigis sæva tempestas. *Solatium æternæ spæ adiungunt, arborem à*

*radice subvertunt, navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt, &c.*

Similiter ergo credendum non est, in dieo casu, tam citò absolvi posse Sacerdotem, in fornicationem nocte præcedenti lapsum, nec ad altare mitti. Neque enim allegata necessitas, exhibendi ministerium altaris populo, id magis exigit in isto, quàm in illo casu. Nec magis exigit, ut Sacerdoti lapsò in fornicationem permitatur altaris ministerium; quàm eidem lapsò in adulterium, vel (quòd horribilius est) in bestialitatem & sodomiam, in incestum cum matre, conjugatâ, &c. Cum tam citò (sine extraordinariis, ac minime ambiguis signis) non magis præsumi queat sufficienter contritus, in casu fornicationis, quàm in aliis casibus jam commemoratis, prout capite præcedenti vidimus. Si proinde inveniat Confessarius talis Sacerdos, qui ipsum tam citò absolvat, rursus dico quòd temel iterumque post illultriss. D. Episcopum Castoriensem dixi, omninò verisimile esse, *id proficisci ex ista Dei ira gravissima, quâ Deus ipsum in impenitentis cordis caliginem projecit.* Et addo cum Emerico de bonis, quòd nollem pro talibus Confessariis rationem Deo reddere, utpote qui (attentis præmissis) magnam, imò maximam habent rationem timendi, imò & credendi, quòd panem filiorum dent canibus, & margaritas projiciant ante porcos, quòdque misericordiâ falsâ, & blandâ perniciæ laxando incautis Communionem, periculosam dantibus, & nihil accipientibus profutura, hoc sunt ejusmodi lapsi, quòd grando frugibus, & cætera quæ Cyprianum cum aliis Sanctis dicentem proximè vidimus.

Quòd tamen multò amplius timere debent, qui tam citò absolvent, & ad altare ire permittunt Sacerdotem, non ita haëtenus probatè vitæ, sed qui jam lapsus in fornicationem est lapsus, multaque Confessario promissit, sed promissis non stetit. De tali quippe Sacerdote verendum, multumque verendum, ne nimîâ facilitate Confessarium suorum traditus sit in reprobum sensum, & quæ duritie, eâ hebetudine, eò animi stupore erga augullissimum sacrificium obriguerit, ut statim miserimi, in quo torpet, vel nullum, vel exiguum sensum habeat salutarem. Certumque omninò haberi debet, talem in oculis hominum censendum indispositum ad hoc ut tam citò absolutione, altarisque ministerio donec, & tantò magis indispositum, quantò animalis factus, minus percipit quæ Dei sunt; tantò (inquam) magis, quantò immundior, & totus dissipatus, per appetitum & phantasmata immunditiæ, pruritusque carnis valdè allicientem ad opéra immunditiæ; quibus illectus & distractus animus ineptus est nimis ad devotionem, sanctimoniamque requisitam ad tam tremendum mysterium offerendum.

Quam ob causam, ipse etiam Sacerdos, vitæ haëtenus probatè, primâ vice fornicationis illecebras expertus, ordinariè ineptus est ad sibi mox comparandam dispositionem. Post primam quippe vicem ardentior est motus, pruritusque carnis, & magis sensibilia phantasmata; quæ cum reliquis pieratis in misero illo colluctantia, miserum in modum animum ipsius conturbant. Hinc enim timet ne lapsus suus hominibus innotescat, & ne vel ipsa complex criminis vel per Confessionem, vel extra Confessionem fiat index illius. Inde caro calet libidinis æstu. Denique in pectore miseri hominis, proximè à commisso crimine, velut tartareum chaos est confusio. Quis ergo hominem sic turbatum, totque suspitionibus, anxietatibus, & phantasmatis dissipatum, aptum credere potest ad celebrandum? Certè si crimen tam enorme, tam recentè commissum, ipsum vehementer



ter non iniquitat, timendum est ne non fuerit vite tam probata, quam apparuit in oculis hominum, sed occulta quædam in eo vitia laterint, infami illo fornicationis vitio curanda. Cum non uno factu, sed gradibus quibusdam homines soleant ad perfectam seu iustitiam, seu iniquitatem pertinere.

644 Non igitur usque ad attendenda necessitas populo exhibendi ministerium in die festo (ne alias sit absque Sacro;) sed ea saltem, post enormem illum lapsum servanda est disciplina cum ipso, quam post vini haustulum, vel sumptum panis frustulum servandam, Authores etiam benigniores docent. Atqui post sumptum seu vini haustulum, seu panis frustulum, Parocho non permittunt altaris ministerium, etiam in die festo exhibere populo, tamen aliam Sacrum non aucturo. Longè ergo minus id permittendum in nostro casu. Siquidem Ecclesia magis semper horruit, Sacerdoti recenter fornicato permittere altaris ministerium, quam Sacerdoti non jejuno, ut constat ex eo quod per mille ducentos & amplius annos universa Ecclesia Græca & Latina Sacerdotes in fornicationem lapsos notabili tempore constanter exclusit ab altari, nec umquam permiserit post pauculos à fornicatione dies, multò minus eodem die accedere ad altare; circa naturale verò jejunium Ecclesiæ disciplina variis in locis varia fuerit. Deinde lapsus in voluntariam pollutionem cap. *testamentum* dist. 6. non permittitur ipso die celebrare, etiam si populus ex hoc die festo non sit audiurus Sacrum, ut videbitur capite sequenti. Ergo multò minus id permittendum lapsus in fornicationem.

645 At (inquis) si Sacerdos lapsus non celebret in die festo, populus scandalizabitur.

Respondeo cum Hennebello negando sequentiam. Tum quia scandalum non magis consequens est in casu nostro, quam in casu soluti jejunii. Tum quia scandalo occurri potest, vel jejunium naturale solvendo, & illud à se ob indispositionem solum populo exponendo, vel dicendo se indispositum, vel extraordinarie turbatum. ita ut neciat quid se de Deo disponere velit; exposuisse se viro doctrinæ & integritate probato animi sui angustias, sibi que ab eo permittum esse, ut, attentâ illâ animi perturbatione, à celebratione cessare liceret, dummodò populus Sacrum expectans induci possit ad impendendum orandum in Ecclesia tempus, quod alias impenderet Sacrum audiendo. Idipsum se rogare, eorumque precibus se commendare. Hinc profectò festiva nata non est nisi populi quedam ad rem insolitam admiratio, vel etiam querulorum quorundam murmuratio. Quæ si in casu soluti jejunii Deo committenda est: à fortiori in casu nostro. Si quorundam insuper accedat sinistra suspicio, tantò magis temeraria erit, quantò probatoris vite Sacerdos hæcenus fuisse supponitur. Neque enim justam suspensionis causam ingerunt generalia illa dicta ipsius; cum innumera sint; quæ virum, etiam probatissimum, à celebrando remorari possunt, ut si putet se per testimonium in causa sanguinis irregularitatem incurrisse: si scrupulis agitur, sibi satisfacere non possit; nec scrupulos excutere: si simoniacè, culpâ non suâ, sed parentum, ad Sacerdotium jam demum diceat se fuisse promotum. Qua de causa S. Dominicus Loricatus altaris ministerium, quoad visit, numquam usurpare ausus fuit.

646 Si his solatis, tanque rationabilibus mediis salvandi bonam famam suam, Sacerdos lapsus acquiescere nolit, ipsi in memoriam revocandam 1<sup>o</sup>. quod S. Damianus in suo Gomorrhiano c. 8. ait: *salubrius esse in conspectu hominum temporalem perpeti verecundiam, quam ante Tribunal superni Judicii æternam subire vindictam.* Et In-

nocentius III. lib. 4. de myster. Miss. c. 13. *peccator debet potius eligere, ut abstinento recedatur suspectus, quam ut communicando, vel celebrando, manducet indignus.* Quia, ut S. Thomas q. 80. a. 6. ait, *pejus est peccatori occulto peccare mortaliter; sumendo corpus Christi, quam infamari.* Unde peccator occultus potius deberet eligere infamari, quam indignè ad mensam Domini, vel ad sacrificandum accedere. 2<sup>o</sup>. quod nimis inordinatum sit ad salvandam famam suam horrendum committere sacrilegium. 3<sup>o</sup>. quod si aliquod famæ præjudicium patitur, id ipse voluit, dum ne propriæ quidem famæ & honoris memoria ipsum à peccato revocare potuit. 4<sup>o</sup>. quod constans Ecclesiæ Latine praxis & disciplina, apud Græcos etiamnum perdurans, manifestè ostendat, Ecclesiæ sensum esse, quod ad consulendum famæ Sacerdotis taliter lapsi non sit habenda ratio suspitionum, quæ temeritate hominum, vel aliter oriri possunt, nec propterea solvendas divinas humanasque leges, ad altare tam citò festinando: cum Ecclesia Latina tot sæculis, Græca usque in hodiernam diem, Sacerdotes, etiam occultè fornicatos, vel perpetuò, vel ad notabile tempus removerit ab altari. 5<sup>o</sup>. quod multas Ecclesiæ debeat gratias, quod hodie longè mitius agere permittat cum ipso, longè citius quam olim ipsum absolvendo, altarique restituendo, non obstante enormitate criminis ipsius, quod in veteri lege expiatur flammis, quodque novem mensium ergastulo Potamius expiare non potuit, & Generalis tam extraordinariâ septem annorum poenitentia vix potuit eluere. 6<sup>o</sup>. denique Sanctorum illorum exemplo magis fatagere debere de reparando honore divino, quem enormiter læsit, quam de suo contra temerarias suspiciones hominum per medium tam periculofum conservando.

## CAPUT XLIX.

*Consulatur adhuc propositio nona, quoad id quod dicit de pollutione voluntaria, & ostendatur sacram Communionem ne quidem eam consentibus consulendam, imò nec permittendam ipso die voluntaria pollutionis.*

CUM S. Thomas in 4. dist. 9. in solutione q. 647 2. ad 2. profiteatur, non esse alicui consulendum, quod statim post peccatum mortale, essam contritus & confessus, ad Eucharistiam accedat, sed debere, nisi magna necessitas urgeat, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere; manifestum est propositionem nonam, quæ Communionem, præmissâ Confessione, consulitur, ipso die voluntaria pollutionis, Angelicæ doctrinæ esse diametraliter adversam. Cùmque Angelica illa doctrina dicat, Communionem non solum non esse consulendam contritis & confessis, statim post voluntariam pollutionem, sed longè generalius dicat consulendam non esse post peccatum mortale: sequitur multò minus consulendam post voluntariam pollutionem; utpote quæ non est peccatum mortale qualecumque, sed valde enorme. Et si tam plenâ ac præmeditatâ voluntate commissa fuerit, quam fornicatio committi solet, non est facile, sed difficile, statim post illam, de illa plenè ac sufficienter conteri. Et ideo plerumque ambigua est contritio Sacerdotis, vel Religiosi, qui eam sicut & fornicationem confitentur pauculis horis post illam perpetratam. Proinde tam citò sacerdotali absolutione remittenda non est. Neque enim peccatori, cujus ambigua est contritio, Sacerdos absolutionem impendere potest, multò minus permittere Communionem, ut constat ex Decreto Innocentii XI. quo 65. propositiones damnantur, X 3



& signanter prima permittens Sacramenta conferre cum materia incerta, tamen probabilis esset, si ex ea valor Sacramenti penderet, uti Sacramenti Penitentiae valor penderet à vera contritione.

648 Quod autem difficile sit, statim post illud commissum, plenè ac sufficienter conterere de peccato pollutionis, tam plenè ac præmeditatè voluntate commissio, quàm fornicatio committi solet, ratio est quia grande est crimen, & valde enorme; cuiusmodi crimina (etiam in Laicis) momentaneis lachrymis & sterilibus non eluuntur, nec tam citò & faciliè curantur, uti probabimus libro sequenti. Quod autem grande & enorme sit crimen, probatur ex eo quòd iuxta S. Petrum Damiani in Gomorrhiano, sit primus sceleris sodomitici gradus; & addò contra naturam, ut à nulla unquam bestia fuerit perpetratum: Nimirum (inquit) hoc perdidit homines perpetrare non mesuunt, quod ipsa quoque bruta animalia perhorrescunt. Quod ab humana pravitatis temeritate committitur, irrationabilium pecorum iudicio condemnatur. Et ipsemet Martialis, tamen Gentilis, ac valde impurus Poëta, lib. 9. epigrammate in Ponticum, istius criminis reum, sic scribit:

*Hoc mihi esse putas; scelus est, mihi crede, sed ingens,*

*Quantum vix animo concipis ipse tuo.*

*Ipsam, crede, tibi naturam dicere rerum:*

*Illud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.*

649 Imò ex genere suo gravior est omni carnali crimine, quod cum quacumque femina, modo naturali committitur, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 12. & ostendunt Sinnichius in Saëlle Excege l. 1. c. 113. §. 430. & Gesualdus de Bononia de sexto præcepto tr. 12. c. 1. q. 9. n. 37. Tamen crimina alia carnalia, v. g. fornicatio, adulterium, &c. plerumque graviora sunt, propter circumstantias scandalii personarum, & præjudiciorum, quæ nata sunt inferre Ecclesiæ, & Republicæ, conjugii innocenti (si de adulterio sit sermo) legitimis hæredibus, &c.

650 Si voluntaria pollutionis crimen ex suo genere tam grave est, vel in ipsis Ethnicis & Laicis, quantum magis in Religiosis, & Sacerdotibus, in quibus præter molliam propriam, specialem involvit malitiam sacrilegii, tantò majoris, quantum tunc commissum est, quando reverentia saltem sacrificii proximè offerendi, vel ad eundem Communionis, revocare debebat à tali crimine? Talem ergo ipso die commissi tam nefarii criminis ad altare, vel ad Communionem mittere non permittit reverentia tanto mysterio & Sacramento debita, etiam si contritus & confessus esset, ut S. Thomas ait. Quantum ergo minus, si vel contritus non sit, vel ob allegatam rationem merito dubitetur an sit? Siquidem tunc ne quidem magna (nota bene, non dico extrinsecà) necessitate urgente, S. Thomas permittit statim post illud commissum ad Eucharistiam accedere, sed tunc tantum, quando contritus est, & confessus, prout n. 645. vidimus.

651 Voluntariam certè pollutionem, seu molliem Græci censent in tantum reddere hominem indignum altaris ministerio, ut Joannes Jejunator ab anno 585. ad 596. Constantinopolitanus Patriarcha (cujus disciplinam à Græcis etiamnum servari testatur Arcudius) de ea in Canonario suo statuat, ut sequitur: Si in molliem incidit ante consecrationem, nesciens quid hoc esset, & quod hoc prohibet ipsum à Sacerdotis susceptione, vel propter ignorantiam, vel quod sic ab animalium corruptore & ignorantem eductus fuerit, vir tamen est sapiens, vel pius, vel utrumque, puniatur prius, penamque exposita Sacerdotio dignus habeatur (ecce quot conditiones requirit ut lapsus in molliem Sacerdotio dignus censeri queat: quid de eo censet, qui in eam lapsus esset, sciens quid hoc esset, ab indocto animalium corruptore non sedu-

ctus, nec adhuc penitentia purgatus?) quod si post sacrum ministerium susceptum in hoc crimine, eà ratione quam prædicimus, deprehensus est, vel propter ignorantiam, vel quod sic ab animalium corruptore eductus sit, unius anni penitentiam accipiat, à sacro ministerio abstinens, & sic postmodum (non ante) sacris operetur (ecce ad hoc ut post unius anni penitentiam sacris operari possit, hanc conditionem exigit, ut in molliem lapsus non sit sciens ejus malitiam, sed ignorans, vel seductus, &c.) quod si bis terò hoc iteraverit, non amplius Sacris minister, sed in Lectoris ordinem descendat. Audiant Confessarii, qui tam faciliè absoiunt, & sacris operari permittunt Sacerdotem, non primà jam vice dumtaxat, sed sæpius antehac, non ignoranter, fed scienter, & cum plenissima voluntate hoc vitio contaminatum. Et tamen ille ipse est Joannes Jejunator, qui in sine Canonarum sui, hæc sunt (iaqu) definitio- nes episcoporum (id est penitentiarum) levissimorum quidem, & nimia relaxatione facilissimorum, à me traditorum. Qui & à compluribus Græcis de nimia indulgentia accusatus, & malè notatus fuit.

Tamen nona propositio ex dictis satis sit confutata, amplius tamen confutatur ex capite testamentum dist. 6. ex Pio V. in rubrica Missali Romano præfixa, atque ex Angelico Doctore. Siquidem in cap. testamentum dicitur quòd Sacerdos lapsus in pollutionem nocturnam, dum pollutio illa oritur ex eo quòd ultra modum appetitus gula in sumendis alimentis rapit, atque iacroc humorum receptacula gravantur, atque idèd habet exinde animus aliquem reatum; nisi aut festus dies exigat, aut exhibere mysterium pro eo quòd Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellat... ab immolatione sacri mysterii abstinere humiliter debet... Si vero ex turpi cogitatione vigilantis, oritur illatio in mente dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim à qua radice inquinatio illa processerit quia quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens, & propter talem pollutionem (tamen solum voluntariam in causa illa, non in se) à sacro mysterio abstinere eà die oportet, nullà diei festi, nullà dicte necessitatis factà exceptionem, prout in priori casu. Si ob pollutionem nocturnam ex turpi cogitatione præcedente solum indirectè voluntariam, Sacerdos prohibetur eo die celebrare, non obstante necessitate exhibendi ministerium die festo, dum Sacerdos alius deest; quantum magis ab eo prohibendus est ob fornicationem directè voluntariam? de qua capite præcedenti.

Pius V. in rubrica Missali Plantiniani anni 1596. tit. de dispositione corporis, sic statuit: Si præcesserit pollutio nocturna, que causata fuerit ex præcedenti cogitatione, que sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à Communionem, & celebrationem. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum extra casum necessitatis. Quam tamen exceptionem omisit Pontifex, dum dubium non est in præcedenti cogitatione fuisse peccatum mortale.

S. Thomas 3. p. q. 80. a. 7. in corp. Pollutio nocturna quandoque est cum peccato, puta cum provenit ex superfluitate cibi vel potus, & hoc etiam potest esse peccatum veniale, vel mortale, licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensu, quam circa sumptionem cibi & potus. Undè Gregorius scribens Augustino, Anglorum Episcopo, dicit, cessandum esse à Communionem, quando ex turpibus cogitationibus provenit; non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit. Et in 4. dist. 9. cum sibi opposuisset hoc argumentum: Secundum Gregorium pollutio, que



ex crapula accidit, à Communionem non impedit, si necessitas incumbat: ergo nec illa quæ ex turpi cogitatione procedente in vigilia procedit. In solut. q. 2. ad 4. dicit, quod turpis cogitatio (juxta Gregorium) turpitudinem habet, propter delectationem, vel consensum adjunctum. Et hæc quidem turpitudine magis horrenda est, quam illa quæ in cibo accidit. Tum quia magis vitari potest; cum difficillimum sit in cibo modum tenere. Tum quia est magis propinqua ad mortale peccatum.

655 Constat ex utroque hoc loco, S. Doctorem subscribere capiti testamentum, sique permittere celebrationem; dum urget necessitas, in casu nocturnæ pollutionis, ortæ ex crapula, ut eam non permittat, etiam dum urget similis necessitas (ut constat, tum ex antihesi quam facit in priori loco, tum ex objectione ad quam respondet in posteriori) in casu pollutionis ortæ ex turpi cogitatione.

656 Ne quis verò existimet S. Doctorem solum vel le, pollutum nocte præcedente ex turpi cogitatione, tunc solum prohiberi à celebrando, cum non est contritus & confessus. Ipsemet questione illâ 80. a. 7. sibi met obicit: dato quod nocturna pollutio proveniret ex peccato, quod est mortale, potest contingere quod de mane penitet & confitetur. Et respondet ad 4. quod licet per contritionem & Confessionem auferatur reatus culpæ, non tamen auferatur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione subsistentia.

657 Suppositâ tamen verâ plenâque contritione, & Confessione, fatemur cum eodem S. Doctore, quod mortaliter non peccaret, qui eo die communicaret, vel celebraret, quo nocte præcedente, in somnis, ex turpi cogitatione pollutus fuisset. Quia ex necessitate (sub peccato utique mortali) impeditur hominem ab hujus Sacramenti susceptione solum peccatum mortale. Ex congruitate tamen, propter tanti Sacramenti reverentiam, pollutio nocturna ex turpi cogitatione, vel crapula, illâ die Communionem sub veniali impedit, etiam post contritionem & Confessionem, propter duo. Quorum unum semper accidit (prosequitur S. Doctor) scilicet quedam fœditas corporis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere (nisi forte talis immunditia sit perpetua, vel diuturna; adde tu, vel proveniat ex nequitia demonis, Communionis fructum impedire volentis.) Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam; præcipue quando cum turpi cogitatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod provenit ex congruitate, postponi debet propter aliquam necessitatem. Citra quam videtur non exhibere debitam reverentiam Sacramento (ait in 4. dist. 9. q. 1. a. 4. quæstion. 2.) post ejusmodi pollutionem celebrans, non tamen peccat mortaliter, sed venialiter. Ita etiam Major, Adrianus, alique Veteres, docentes cum Paludano in 4. dist. 9. q. 3. conclus. 2. quod si pollutio nocturna est cum peccato mortali, impedit quousque sit contritus & confessus. Nec etiam eo die peccat mortaliter est communicandum; quamvis contritus & confessus. Si tamen faceret, credo quod non mortaliter peccaret.

658 Non ideo tamen dicendum, quod is, qui non dormiendo, sed vigilando, ex plena atque omnino præmeditata voluntate seipsum polluit, vel fornicationem commisit, eodem die, absque mortali communicare vel celebrare possit, tamen si confessus. Tamen enim fortasse mortaliter non peccaret, si ex toto corde contritus esset, & confessus; post tam enorme peccatum, plenâ & omnino præmeditatâ voluntate commissum, securè præsumere non potest, se toto corde, seu plenè tam citò esse contritum, ordinariè loquendo; imò vel præsumere debet contrarium, vel de eo saltem

dubitare. Ob ea quæ supra dixi. Nullus autem Venterum, imò nec Modernorum, dubiè contrito celebrationem vel Communionem, post ejusmodi pollutionem vel fornicationem permittit.

Fortè tamen mitius aliquando sentiendum de 659 pollutione, seu nocturnâ, seu diurnâ, directè non voluntariâ, sed indirectè dumtaxat, in cogitatione cui non sine acri pugna animi voluntariè quispian immoratus fuit. Neque enim ob mortale quodcumque differenda est absolutio. Quia quò minori voluntate peccatum est commissum, eò facilius & citius de eo contritio concipitur. Videri potest Hennebellus in Thesi Apolog. de Sacerd. laps. §. 2. ubi id extendit ad oscula, & repentinum (non præmeditatum) uberum tactum, aliaque ejusmodi.

Qui etiam involuntariè polluitur, etiam vigil, 660 ex causa necessaria, vel utili, nullo modo voluntaria, v. g. ex turpibus auditis in Confessione, non impeditur à celebratione magis quam Frater ille, de quo legitur in Collationibus Patrum, quod pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum. De quo seniores comperto quod nulla causa ab ipso processisset, decreverunt, quod propter hoc à Communionem non cessaret. Sic refert S. Thomas 3. p. q. 80. a. 7.

## CAPUT L.

Consuetur propositio nona: Communio multò magis consulenda est conjugatis, ipso die copulæ habitæ causâ voluptatis.

Consuetur (inquam) 1<sup>o</sup>. ex S. Thoma q. 661 80. a. 7. ad 2. ubi sic: Si non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominetur in opere conjugali (ut ibidem Gregorius subdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum. Ecce Authores illius propositionis consulunt, quod SS. Doctores prohibendum tradunt.

2<sup>o</sup>. copula conjugalis, habitæ causâ voluptatis, impedit eam cordis & corporis munditiem, sicut & attentionem & devotionem, quæcum accedere oportet ad sacram Communionem. Tum quia conjuncta est cum fœditate corporali, & cum affectu ad carnalem voluptatem, quam secundum se appetere illicitum est; ideoque cum non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de sua commixtione quod deseant, inquit Gregorius epist. ad Augustinum. Tum quia eam sequitur evagatio & hebetudo mentis, quæ attentio & devotio impeditur.

3<sup>o</sup>. vel ipsa copula conjugalis, quæ est sine peccato (quæ utique fit causâ prolis) in aliud tempus differenda est, dum conjuges volunt ad sacram Communionem accedere, ob dictam fœditatem, mentisque evagationem. Ut enim dicitur can. omnis homo de consecr. dist. 2. omnis homo ante sacram Communionem à propria uxore abstinerere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus. Et ut S. Hieronymus, à S. Thoma ubi supra re-latus, super Matthæum ait, si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant: quanto magis panis qui de celo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulò antè basere complexibus, violari atque contingi. Et si Apostolus 1. Cor. 7. commendat abstinentiam ab illo opere ex mutuo consensu ad vacandum orationi: Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Quanto magis ad participandum Dominico corpori & sanguini? Sed quia hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem est intelligendum (ait S. Thomas ibidem) Gregorius dicit quod talis suo iudicio est relinquendus.



664 4<sup>o</sup>. ex S. Carolo Borromæo Act. p. 4. de Sacram. Euchar. ubi ad communicandum à conjugatis exigit abſtinentiam ab opere conjugali, non illo dumtaxat die quo communicant, ſed & aliquot diebus: *Præſtantiffimi (inquit) hujus Sacramenti dignitas hoc poſtulat, ut qui matrimonio juncti ſunt, aliquot dies à concubitu uxorum abſtineant. Davidis exemplo admoniti, qui propoſitionis panes à Sacerdote ſuſcepturus, ſe ipſoque pueros ab uxorum conſuetudine pueros jam tres dies profeſſus eſt. Et ex Canone etiam veteri, qui tres vel quatuor, vel etiam octo dies abſtinentiæ in hoc genere proponit. Sanctus quoque Cæſarius ſerm. 88. Ante dies plures (inquit) caſtitaſem ſervare, ut cum ſecura conſcientia ad altare Dei poſſitis accedere.* Ita etiam Innocentius XI. in Decreto de Communionem quotidiana, ſicut & Catechiſmus Romanus, & Paſtorale Mechlinienſe ſub Hovio. Ita denique tota Antiquitas.

665 Facilius tamen excuſandus eſt conjugatus, qui die Communionis rædit, quàm qui exigit debitum (tametiſi in reverentiam Sacramenti, juxta conſilium Apoſtoli, ſed pro poſſe excuſare debeat, compartemque rogare, ut ſibi abſtinentiam permittat) quia raro & difficilius contingit, quin affectus voluptatis in exigente ſe non intermiſceat. Ideoque S. Bonaventura in 4. diſt. 12. q. 3. n. 90. *Raro (inquit) conſingit, quòd homo conjugatur cum uxore, debitum exigendo, quum ſit ſibi aliqua culpa. Si autem ſolùm reddendo debitum, non credo quòd debeat à Communionem reſtrahi, niſi de congruo.*

## CAPUT LI.

*Conſuetur propoſitio decima: Extra culpam eſt quiſquis Euchariftiam ſumit, ſibi non conſcius peccati mortalis.*

666 **H**oc enim quòd non habet aliquis conſcientiam ſui peccati, poſſe contingere... per culpam ſuam (ait S. Thomas q. 80. a. 4. ad 5.) vel quia per ignorantiam juris, que non excuſat, reputat non eſſe peccatum quòd eſt peccatum, puta ſi aliquis fornicator reputaret, ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale (vel ſi qui voluntariam pollutionem committit, eam non eſſe peccatum errando credidiſſet) vel quia negligens eſt in examinatione ſui ipſius, contraria quòd Apoſtolus dicit 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Et ſic nihilominus peccat peccator ſumens corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati. Quia ipſa ignorantia ſeu non conſcientia eſt ei peccatum.*

667 Si ex priori capite, id eſt ex eo quòd culpà ſuà ignoret eſſe peccatum, quòd reverò peccatum eſt, à ſacrilega Communionem quis excuſaretur, ſimiliter excuſandi forent, qui ſuà culpà non advertunt eſſe peccatum, quòd reverò peccatum eſt. Et ſic innumeri, qui ſuis paſſionibus & cupiditatibus inordinatis voluntariè excecantur, ideòque ſibi conſcii non ſunt ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, ut avari uturas committendo, vel miſericordiæ opera negligendo; Clerici qui patrimonio pauperum pingueſcunt, neglectiſque pauperibus ſuperflua ſua in parentes effundunt; femine, quæ nudatione peſtoris, aliſque ejuſmodi vanitatibus, & liberiiori converſatione, innumeris ſceleribus occaſionem præbere ſolent, & vitam ethnicam ducunt, &c. tametiſi de iis nec doceant, nec conſcientur, nec ſe emendare proponant, à ſacrilega Communionem excuſarentur, eò quòd propriis cupiditatibus & vanitatibus excecati, ſibi conſcii non ſint peccati mortalis. Cùm tamen vix ſint qui magis rei ſint corporis & ſanguinis Domini, quàm

iſti, qui mediis in flagitiis nihil in ſe flagitioſum agnoſcunt. Cùm tenebræ illæ, quæ ipſos excecant, argumenta ſint depravati animi ipſorum, iratque Dei ſupplicia, qui (ut Auguſtinus ait l. 1. Conf. c. 18.) *ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.*

Ex poſteriori etiam capite innumeri ad ſa- 663  
eram Communionem ſacrilegè accedunt. Quia licet peccata ſibi occurrentia accuratè conſcientur (id ſufficere exiſtantes) numquam intimos cordis ſui recessus ſcrutantur, numquam ſeridè diſcutiunt, quis amor, Dei an mundi, in ſe prædominetur, an non potiùs mundi maximas ſequantur, quàm regulas Evangelii, an toto corde velit dèdere ſe Deo, ſervareque ſponſionem ſolemniſter ipſi factam in baptiſmo. Quòd niſi faciant, poenitentia ipſorum ſimulatio dici poſſet, non poenitentia, ait Gregorius VII. l. 7. ep. 10. Per conſequens Confeſſiones ipſorum vana ſunt. Quia quiſquis ſine iſtiusmodi examine, & ſine ſincera iſta voluntate conſitetur, ore non corde, vel ſaltem non pleno corde, ſive non ex toto corde conſitetur; imò non conſitetur, ſed loquitur, ut Nicolaus I. ait in ep. ad Regem Salomonem.

Et quis non videt miſerrimum periculoſiſſimumque eſſe ſtatum iſtorum hominum, qui (quia ſeridè nunquam intrant cor ſuum) nec tuam miſeriam ſentiunt, nec ſacrilegaram Confeſſionem Communionemque ſuarum advertentiam, nec conſcientiam habent? Ex quo fit, ut ex iis nullum unquam emendationis vitæ fructum reportent; ſed in tanta cæcitate, in tanto vertentur ſtupore, ut in bono ſe ſtatu eſſe exiſtiment, cum in peſſimo ſint, abſque poſſibili remedio, niſi ad ſe reverti ſeridè atque ex toto corde ſtatuant ſponſionem baptiſmalem ſervare, ſequè totos Deo dare. Quòd quia ex ipſis pauciſſimi faciunt, innumeri miſerrimè tandem pereunt.

## CAPUT LII.

*Nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariftiam accedere debet: dummodo non deſit copia Confeſſoris. Quòd ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum conſitetur.*

**V**erba ſunt Concilii Tridentini ſeſſ. 13. c. 7. 670  
ſic ex traditione intelligenti, & exponentiſtiam Apoſtoli ſententiam: *probet autem ſeipſum homo.* Quippe Eccleſiaſtica conſuetudo declarat (inquit) eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, &c.

Circa poſtrema verba, quibus Tridentinum ſta- 671  
tuit, ut Sacerdos neceſſitate urgente abſque prævia Confeſſione celebrans, *quamprimum conſitetur*, obſervandum, quòd nonnulli, ſed pauci, nec primæ notæ Theologi, verba illa per admonitionem (ſeu conſilium) non per præceptum dicta interpretantur, inquit Pallavicinus Hiſt. Conc. Trid. l. 12. c. 6. Sed hoc eſt quòd Alexander VII. damnavit propoſit. 38. inter 45. Propoſitio namque 38. ab ipſo damnata ſic ſe habet: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate, cum peccato mortali, conſitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.* Non audiendus proinde Gobat in Alphaneto Sacrific. caſu 4. n. 439. aicens verba Tridentini habere hunc ſenſum: *venetur ſub veniali conſiteri; vel hunc, ſuademus ut conſitetur quamprimum.*

Obſervanda item propoſitio 39. ab eodem dam- 672  
nata: *illa particula quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos*



Sacerdos suo tempore confitebitur. Cujus damnationis ratio iustissima fuit: quia si obligatio confitendi in hoc casu solùm esset, cum Confessionis præceptum urget, vel Sacerdos iterum celebraturus esset, Concilium illam sui Decreti partem omittere potuisset, utpote vel ipso Confessionis præcepto, vel priori parte Decreti sui comprehensam.

673 Verus proinde verborum Concilii sensus est, quòd talis Sacerdos statim atque post celebrationem nactus fuerit copiam Confessarii, confiteatur, etiam ipso die celebrationis, si sine magna difficultate possit. Ut enim Lumbierus noster ad dictam propositionem n. 811. observat, longius protrahere, non verificat Confessionem fieri *quamprimum*, juxta vim illius vocis.

674 Circa priora verò Concilii verba multiplex etiam fuit opinio non probanda. Primò namque verba illa, *summodo non desit copia Confessarii*, quidam apud Leandrum disp. 7. q. 28. ad eò laxarunt, luxaruntque, ut dicerent, Confessarii defectum à Confessione celebrationi præmittenda excusantem, stante celebrandi necessitate, tunc contingere, cum desit Confessarius ordinarius, cui devotius & confidentius solet quis confiteri, tamen adit alius idoneus. Sed hoc nec verum est, nec securum, & improbable censent Suarez, Vasquez, & alii passim. Reverà enim non desit copia Confessoris, cum adest Confessarius idoneus, cui possim sine gravi periculo confiteri.

675 Secundo alii apud Filiatum tr. 4. n. 213. censuerunt deesse Confessarium, cum desit proprius Sacerdos, seu Parochus, tamen adit alius per privilegium idoneus. Quam opinionem Filiatus probabilem esse insinuat. Sed immeritò, ob rationem proximè dictam. Eamque improbabilem vel ipse Diana reputat p. 9. tr. 3. resol. 13.

676 Tertio non defuerunt, qui dicerent, tunc Confessarii copiam deesse Sacerdoti Religioso, dum sibi confiteatur peccati infamiam adferentis, v. g. fornicationis, ad manum non habet Confessarium suam regularem, cui sine infamia suæ Religionis confiteri possit, sed sæcularem dumtaxat, licet alius idoneus. Ita Summa Rosella verbo *Communio*. Sed nec hoc ullo modo probabile est. Ob eandem rationem. Et quia infamia Religionis reverà non magis resultat ex Confessione facta Sacerdoti sæculari, quam infamia status sacerdotalis sæcularis ex simili Confessione à Sacerdote sæculari facta Confessario regulari. Videri potest Diana loco citato, ubi opinionem illam Rosellæ pronuntiat improbabilem.

677 Quarto Leander q. 30. cum Philiberto Marcino, & P. Joannes à Concept. in compendio Leandri tr. 7. disp. 7. n. 10. censent deesse copiam Confessarii, quando non adest nisi Confessarius, cum quo poenitens non habet animi conjunctionem, sed rixas & inimicitias. Quia (inquit) nec Deus, nec Ecclesia quemquam obligat ad confitendum hosti, cui iratus est. Sed nec hoc consonat veritati, nec Evangelio. Cum enim Sacramentum hoc sit Sacramentum unitatis & pacis, atque à S. Thoma in cap. 6. Joannis vocetur *panis concordie*; una ex dispositionibus ad illud recipiendum, est depositio omnis dissensionis, inimicitiae, & rixæ, reconciliatioque cum inimicis, juxta illud: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offers munus tuum*. Unde Hieronymus epist. 62. *Ignorantius* (inquit) *sine pace communionem*. Et Chrysolomus homil. 4. de Patch. agnum esse vult, qui Agnum comedit. Posuit enim Deus fines tuos pacem, antequam adipe frumenti satiet te. Et quomodo ob inimicitiam à Confessionis obligatione

Tom. III.

excusaret, qui iussit inimicos diligere, & benefecere his qui oderant nos? Nec solùm ante celebrationem & Communionem, sed & ante Confessionem, imò & ad eliciendam veram contritionem deponenda est omnis inimicitia, fratrique remittendum de cordibus nostris. Et cur rixæ cum Confessario poenitentem eximeret ab obligatione ipsi confitendi, potius quam rixæ subditi cum superiore, subditum eximat ab obligatione ipsi obediendi? Procul ergo amandandæ opiniones, Evangelicis regulis, atque principiis vitæ christianæ, communique piorum fidelium sensui tam repugnantes.

Tunc igitur demùm Confessarii copia deesse 678 censetur, quando Confessarius sine grandi difficultate & incommoditate adiri nequit. Quod quando contingat, generali regulà definitur non potest, idèque prudenti judicio relinquatur determinandum, habità ratione personarum, &c. Quod enim uni valdè difficile est, v. g. podagrico, non est ita difficile alteri. Nec distantia unius leucæ excusat bonum peditem (quidquid dixerit Henriquez l. 1. de poenit. c. 4.) imò nec distantia duarum vel trium, dum tempus permittit, ut sapienter observat Granadus.

Tunc etiam Confessarius deesse censetur, quando 679 celebraturus habet casum reservatum, & non habet nisi copiam Confessarii non habentis potestatem in reservata, sive interim habeat aliud mortale peccatum, præter reservatum, sive non habeat. Quia ipsum absolvere non potest, neque à reservato (quia Tridentinum sess. 14. c. 7. declarat Confessarios inferiores, in reservata *nihil posse extra articulum mortis*) neque à non reservato, ob conjunctionem ipsius cum reservato; cum enim unum mortale sine altero absolvere nequeat, qui non habet potestatem in reservata, neque potestatem habet in non reservata cum reservatis conjuncta. Qua de re plura libro sequenti.

Secundum quod à Tridentino requiritur ad ce- 680 lebrandum, vel communicandum sine Confessione, est necessitas gravis. Quam Doctores communiter adesse censent 1.º in periculo mortis, tam Sacerdotis, quam alterius. Si aliàs absque necessitate viatico moreretur. 2.º quando Parochus in die festo debet celebrare, nec alium habere potest, qui vices suas suppleret. 3.º quando sine scandalo, vel gravi periculo infamiae, non potest celebrationem, vel Communionem omittere. Quia præceptum præmittendæ Confessionis Communioni non videtur obligare cum tanto rigore.

Sed vide, ne populi admirationem hinc accipias 681 pro scandalo. Neque enim sine prævia Confessione licitè celebras, vel communicas, eò quòd alioqui populus mirabitur, vel habeat te pro minus devoto. Cum hoc non sit grande malum.

Addit Leander disp. 7. q. 16. sine prævia Con- 682 fessione Sacerdotem, inceptà Missa, pergere posse, tamen tunc recordetur peccati mortalis, & sine gravi nota & scandalo confiteri possit. Quia coeptum sacrificium interrumpere non decet. Ita ille, referens Sorum, Vettori, Henriquez, Valentiam, Layman, Granadum, Dicastillum. Sed vera est opposita sententia Bonaventuræ, Scoti, Sylvestri, Navari, Suarii, Vasquez, de Lugo, &c. Neque enim tunc adest necessitas à Tridentino requisita, nec magis indecens est copiam Missam interrumpere, ob Confessionem, quam ob Concionem.

Multò minus recipiendum est, quod idem Leander 683 q. 17. probabile putat, utique Sacerdotem in altari jam existentem, posse absque prævia Confessione Missam inchoare & perficere, tamen ante inchoationem illius recordetur peccati mortalis, illudque absque nota confiteri queat. Quia (inquit) Laicus absque Confessione bene potest

Y



communicare, quando existens in scanno Communionis, recordatur peccati mortalis non confessi, licet illud confiteri possit absque infamia nota vel periculo, ut docent Victoria, Henriquez, Valentia, Granados, Reginaldus. Eo quod utique jam affideat ad mensam caelestis Regis, nec deceat affidentes à mensa Principis ante convivium peractum recedere.

- 684 Multò (inquam) minus recipiendum est, sive illud de Sacerdote, sive illud de Laico, ad scannum Communionis existente. Si enim decentissimum est, ut offerens munus suum ad altare, dimisso altari vadat reconciliari cum fratre suo (dum sine nota & periculo infamiae potest) juxta Christi praeceptum n. 497. relatum: decentissimum quoque est, ut Sacerdos vel Laicus, ad mensam caelestis Regis affidens, ab ea tantisper recedens, vadat per Confessionem reconciliari cum Deo (dum sine nota & periculo potest) ut sic debet se disponat ad sacrum convivium, in ea mensa dignè celebrandum.
- 685 Et confirmatur, quia si Sacerdos ille, vel Laicus, recordatur se non esse jejunum, non esset indecens, sed reverentia magna, à sacra mensa, vel altari recedere, ut non celebraret, vel non communicaret non jejunus, ut fateretur Leander disp. 5. q. 25. cum communi. Ergo similiter, &c.
- 686 Numquid saltem est sufficiens necessitas celebrandi sine Confessione, dum (Confessario deficiente) simplex Sacerdos iter agens, in die festo, cum aliis satisfacere nequibus praecepto audienda Missa, nisi sic celebrat? Affirmant Tolemus, Henriquez, Dicathillo, Leander, & alii. Sed negativam sententiam Bonacina, Suarii, Laymanni, Coninck & Cardinalis de Lugo probabiliter exillimo. Quia praeceptum Confessionis praemittenda celebrationi, vel Communioni, probabilius est divinum, ab Apostolo Paulo promulgatum I. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo quod profecto Apostolus ex se non tradidit, sed à Domino accepit, ut patet ex verbis praecedentibus: Ego enim accepi à Domino, quod est traditum vobis, &c.* Quae verba referenda sunt ad omnia quae Paulus ibi tradit de Eucharistia: divino verò illi praecepto Ecclesiasticum de audienda Missa cedere debet.
- 687 Aliud videri potest de praecepto annuae Communionis, quod purè Ecclesiasticum non est, sed divinum, ab Ecclesia determinatum quoad tempus. Ob quam rationem simplex Sacerdos, juxta communem sententiam, absque pravia Confessione celebrare potest, ut ipse, vel alii satisfaciant illi praecepto.
- 688 Hoc tamen D. Antoninus, Pitigianus, Nugnus, Suarez, Tannerus, & alii valde probabiliter negant. Quia determinatio illa Ecclesiae intelligenda est salvo alio praecepto divino: cum Ecclesia divinum de Communionis praeceptum determinet absque praedictio alterius praecepti divini, de Confessione Communioni praemittenda.
- 689 Ex dictis n. 506. à fortiori conficitur, Regularem, ex statuto, vel consuetudine suae Religionis obligatum ad quotidie, vel ad certis diebus celebrandum, absque Confessione celebrare non posse, ut isti statuto vel consuetudini satisfaciat, sed debere à celebrando abstinere, si copiam non habeat Confessarii, & à celebratione absque gravi nota & scandalo, quæsito aliquo praetextu, abstinere possit (uti regulariter potest) quamquam Leander q. 35. cum Henriquez, Dicathillo, & aliis à se relatis, existimet tunc absque Confessione celebrare posse.
- 690 Ne ipse quidem Sacerdos ex opere Capellaniae obligatus ad certis diebus celebrandum, potest istis diebus absque Confessione celebrare. Quia Capellaniae onera intelliguntur salva reverentia,

probationeque debita, & Missis illis per alterum, vel per se altero die Sacerdos poterit satisfacere. Nec ab hoc se excusare potest colore pauperatis, cum aliunde possit & debeat sibi de necessariis providere, debeatque primò quaerere regnum Dei, ut caetera adjiciantur sibi.

## CAPUT LIII.

*Legitimè confessus omnia mortalia, memoria occurrentia, si postea ante Communionem recordetur alicujus mortalis, in Confessione inculpate obliti, tenetur pro illo ante Communionem redire ad Confessarium, si commode possit.*

**E**st communis sententia Doctorum contra Prae-<sup>691</sup>positum 3. p. q. 80. a. 5. dub. 3. n. 15. Ferrantinum de scandalo disp. 1. q. 80. n. 2. Hieronymum Garciam in Sum. Theol. Moral. tr. 3. diff. 5. dub. 1. puncto 5. quorum opinionem probabilem censuerunt Arriaga de Euchar. disp. 40. sect. 3. subsect. 2. & noster Cornejo 3. p. q. 80. a. 4. disp. un. dub. 3. Sed eam improbabilem vel ipse Diana judicat p. q. tr. 3. resol. 4. & p. 11. tr. 8. resol. 40. ubi gravissimos Auctores eandem censurantes producit, restaturque eandem ex ordine Supremi Tribunalis S. Inquisitionis Hispanicae expunctam esse ex operibus nostri Cornejo.

Enimverò praeceptum est divinum confitendi<sup>692</sup> omnia mortalia, memoriae occurrentia ante Communionem, prout Doctores communiter tradunt, & n. 507. probavimus. Hoc autem non implet, qui ante Communionem haud confitetur illud mortale, nondum confessum, ante Communionem memoriae occurrentes.

Sed & praxis & consensus fidelium omnium<sup>693</sup> idipsum ostendit, utpote qui (teste Cardinale de Lugo hinc disp. 14. sect. 6. n. 126. teste quoque experientia) etiam post legitimam Confessionem, non audent communicare, nisi prius confiteantur illud mortale, oblitum in Confessione.

Praeceptum istique divinum, de Confessione<sup>694</sup> Communioni praemittenda, ex communi fidelium omnium confessione & praxi (quae est optima legis hujus interpretis) ante Communionem eo obligat modo, quo praeceptum divinum confitendi absolute, obligat absolute. Nam divinum praeceptum confitendi absolute omnia mortalia, memoriae post debitum examen occurrentia, extendit se absolute ad omnia mortalia, etiam in Confessione oblita, & indirectè absolute, si postea memoriae occurrant. Similiter ergo divinum praeceptum de Confessione Communioni praemittenda, extendit se ad omnia peccata mortalia, ante Communionem confitenda, etiam in Confessione oblita, & indirectè absolute, si postea ante Communionem memoriae occurrant.

Hinc etiam ante Communionem non solum<sup>695</sup> confitenda sunt omnia mortalia certa, verum & dubia; sicut absolute non solum confitenda sunt omnia mortalia certa, verum & dubia, ut probabitur libro sequenti.

Denique praeceptum adversae partis fundamentum ducit ad praeceptum, sive ad nimiam laxitatem. Sic enim arguunt: legitimè confessus omnia peccata mortalia, post debitum examen memoriae occurrentia, per talem Confessionem est Deo reconciliatus, & judicio clavium, in gratia constitutus. Ergo satisfacit divino praecepto, de Confessione Communioni praemittenda. Cujus praecepti finis est, reconciliatio cum Deo, gratiaque recuperatio per claves Ecclesiae.

Respondeo negando consequentiam; utpote



non magis legitimam, quam si ex eodem antecedente quis inferret: Ergo talis satisfecit divino præcepto, de omnibus mortalibus absolute confitendis, atque adeo manet liber de obligatione confitendi mortale, in Confessione legitima inculpate oblitum: cum finis illius obligationis pariter sit reconciliatio cum Deo, &c. Quod dici nequit. Non apparet autem cur dici non posset, si negata consequentia, legitima esset: Et idem dixi, argumentum illud docere in præcipitium. Ad vitandum verò utrumque inconueniens, pariformiter dicendum, finem utriusque obligationis esse quidem reconciliationem cum Deo, gratiæque recuperationem iudicio clauium, non utrumque, sed per sui humilitationem coram Sacerdote, siue per humilem & verecundam omnium mortalium declarationem ipsi factam. Neque enim sine onere isto fit illa cum Deo reconciliatio.

697 Ex dictis hoc & precedenti capite perspicua est Græcorum Sacerdotum cæcitas, qui (ut Arcudius refert lib. 3. c. 60.) tametsi crimina perpetraverint, celebrationi nunquam ferè Confessionem præmittunt; uti nec Russorum Presbyteri, ut videre est apud eundem lib. 4. c. 2. Sacrilegi illius abusus origo fuit antiquorum Canonum rigor, quo Clerici lapsi in peccatum ad mortem, nominatim in fornicationem, ab executione Ordinum perpetuo suspenduntur. Metu igitur suspensionis illius sacramentalem refugiant Confessionem, suaque occultant scelera, à quibus potius ex eodem metu abstinere debuissent, & advertere quòd antiqua illa disciplina, priorum sæculorum tempore instituta, hinc temporibus rationabiliter temperari possit.

## CAPUT LIV.

Tametsi indefinitè sacrilegi non sint, qui ad sacram Communionem accedunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint: ex communi tamen SS. Patrum, gravissimamque Theologorum sententia, nemo leiballium, saltem graviorum reus, & maxime carnis, tametsi confessus, ad sacram Communionem accedere debet, nisi præmissis per aliquod tempus poenitentia, seu pietatis operibus expurgatorius.

698 Prior pars assertionis certa est ex declaratione Ecclesiæ, quæ per Alexandrum VIII. in Decreto de 7. Decembris 1690. damnavit hanc propositionem 22. inter 31. Sacrilegi sunt iudicandi, qui jus ad Communionem percipiendam præstulant, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint. Et meritò damnavit. Tum ob nimiam universalitatem; nullum enim excipit: cumque sit indefinita, & sine ulla restrictione, æquipollet huic universali: Sacrilegi iudicandi sunt omnes peccatores, qui siue post peccatum mortale, siue post veniale, siue post crimen enorme, siue post quodcumque, jus ad Communionem suscipiendam præstulant, &c. Cum tamen crimina non enormia, quæque canonicè poenitentia non multabantur, ante poenitentiam impletam olim plerumque absoluebantur, & absolutus statim communicare non prohibebatur, ut videre est apud Morinum l. 5. c. 31. lib. 9. c. 1. n. 13. & c. 14. n. 8. Tum quia propositio damnata jus negat peccatoribus ad Communionem, antequam condignam, id est plenam & adæquatam (hoc enim in sensu naturali & obvio significat vox condignam) de delictis poenitentiam egerint. Tum denique quia damnata propositio absolutam asserit necessitatem præmittendæ Communioni satisfactionis, & quidem condignæ. Quæ assertio certissimè falsa est, Ecclesiæque sensui, & probatè ab ea praxi contraria.

Tom. III.

Posterior pars probatur, quia verba ista Apostoli, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* sancti Patres semper intellexerunt de probatione, non per solam Confessionem, sed & per poenitentia labores, sine quibus censuerunt, reos criminum, saltem graviorum, eam ordinariè puritatem & sanctimoniam non acquirere, quam postulat devota & fructuosa tanti Sacramenti susceptio.

Sic namque imprimis censuerunt Cyprianus, Clerus Romanus, & sancti Confessores n. 591. 596. & 597. laudati. Sic etiam D. Ambrosius, cuius verba habes n. 602. Chrysostomus homil. 61. ad popul. miratur quomodo aliqui Christiani Quadragesimæ tempus sibi sufficere putarent pro expurgatione criminum toto anno commissorum, siue longiori ad Communionem Paschalem præparatione: *Dic mihi, queso, post annum Communionem sumens, quadraginta dies ad totius temporis peccatorum purificationem tibi satis esse putas? Et hebdomade lapsa rursum ad priora revertaris... Quadragesima diebus animæ sanitatem assignas, & Deum habere propitium expectas? Iudisne queso? Quid igitur magnus ille Doctor diceret, si tot & tantos peccatores nostræ ætate videret, non solum quadragesima dierum poenitentiam sacræ Communioni non præmittentes, sed unico veluti passu post unam peccatorum totius anni Confessionem, à sacro Tribunali ad altare properantes, altero post breve tempus ad prostibulum reversuros? Audiant igitur ipsi, sibi que dictum patent id quod Os aureum proximè subiungit: *Hæc dico, non uno & anno vos prohibens accessu, sed vos semper ad sancta sanctè volens accedere. Propter hoc & Diaconus exclamat, tunc sanctos vocans... cum enim dicit, sancta sanctorum, hoc dicit: si quis non est sanctus, non accedat: non simpliciter dicit, à peccatis purus, sed sanctus. Non peccatorum tantum liberatio, verum & Spiritus præsentia sanctum facit, & bonorum operum divitiæ. Nolo vos tantum (inquit) à cæno esse liberatos (per contritionem & Confessionem) verum & candidos ac splendidos. Nam si Rex Babilonius ex captivitate deliquens adolescentem, pulchros specie, & decoros aspectu sumpsit: multo magis & nos sancta mensis aspidentes regia, specie pulchros esse decet, aurum animæ mundum habentes, vestem puram, calceamenta regia, decorum animæ cultum, aureum ipsius ornatum, &c.**

Augustinus serm. 252. de temp. *Unusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis vel elemosinis studeat mundare conscientiam suam; & sic Eucharistiam præsumat accipere. Si enim agnoscens reatum suum, ipse se à divino altari subtraxerit... ab aeterno illo & celesti convivio excommunicari penitus non timebit.*

Sermonem hunc suum Ecclesiæ fecit, legitque illum (velut Augustini) in secundo Nocturno festi dedicat. Eccles. Vide tamen noviss. Edit. Oper. S. Aug. to. 5. in Append. serm. 229. ubi dicitur esse S. Cæsarii serm. 52. Ex eo interim quòd Ecclesiæ sermonem illum etiamnum recitet, perspicuè colligitur, eo declarari sensum Ecclesiæ nedum primitivæ, sed etiam hodiernæ.

S. Ildorus l. de Offic. Eccles. c. 18. *Si talia sunt peccata, quæ quasi mortuum remouent ab altari, prius agenda poenitentia est; ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Hoc enim est indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere poenitentiam.* Verba ista desumpta sunt ex Augustino epist. 54. aliàs 118. ad Januar.

S. Joannes Climacus gradu 15. communicare permittit statim atque ab hæresi quispian conver-



fus est, post penitentiam; sed non statim post penitentiam de peccato carnis.

703 Algerus l. 1. de Sacram. corp. & sang. Dom. c. 22. ante Communionem probandos docet diu- turnis penitentiae operibus, continentiaque salu- tari, qui lapsi sunt in peccata carnis. Ad hoc quippe significandum, ad edendum Agnum lex de- dit in calceamentis cautelam, ne a vitis fallamur; in baculo disciplinam, qua perpetrata corrigamus; in lacrymis compunctionem, ut non solum inte- rius, sed & exterius penitentiam agamus; in se- sumatione desiderii ardorem, quo ad caelestia suppe- remus. Sed cur (inquit) accensis renibus absti- nentiam libidinis expressus induxit? Agnum Dei sine macula, qui Virginis est Filius, luxuriosus & incesti sumunt periculosus. Quia cum in Sacra- mento Christi, ei unius debeamus conformitate pas- sionis & munditia, nihil sic aduertatur passioni cras- cis, ut voluptas, nihil sic munditia, ut scditas; nihil sic ejus unitate, ut fornicariae societatis uni- tas. Libido enim appetitu suo allicit & incendit; actu suo sedat & enervat; uis lubricas & illa- queat, adeo ut... difficilem aut nullam sui penita- entiam admittat; & nisi valida manu misericor- diae Dei subvertent fuerit, miserabili sine suo ama- toris suos sine fine perdat... Haec enim peccata: quod praeter ceteris vitii est naturae familiarior, eo ad ca- vendum difficilior... Et dum sensum insundit amorem suum, prope extirpat amorem castitum. Sed quia contra faciendum est ne pereamus... Difficilem, sed cooperante Deo non impossibilem pen- tentiam & continentiam ingrediamur vitam... An- gelicam in terris vitam amemus, quatenus casti- tatis munditia, corde & corpore Christi munditia conformes, & carnis maceratione conformes passio- ni ipsius, ne caelesti alimonia indigne resiciamur, simus, spe & conversione caeloses. Quia panis An- gelorum, non nisi Angelica uita est stipendium. Quod probat ex Apostolica ista sententia: Probet se homo, & sic de pane illo edat, &c. quia reuera sollicitudine debet pendere, cujus sit actionis, vel saltem intentionis, qui tanta uult fieri particeps Communionis.

704 S. Anselmus orat. 25. noviss. Edit. Rom. Si peccata Sacerdotis sunt criminalia, utilius est ei ab immolatione sacrificii humiliter abstinere, quam per praesumptionem immolando, majorem damnationem acquirere, donec inchoata vel peracta penitentia possit ad altaris seruitium securus accedere.

Idem S. Anselmus, vel quisquis est Author ce- lebris Commentarii, ipsi attributi in Epistolas Pau- li, explicans caput 11. 1. ad Cor. tria dicit. Pri- mum est: Indigne manducat & bibit, qui non prius per penitentiam purgatus, ad Sacramentum accedit. Secundum: Indigne manducat, qui sine debita reverentia sacram. Eucharistiam percipit. Tertium: Indigne manducat & bibit, qui aliquod grave peccatum... commisit... nisi confessus fue- rit illud, & per penitentiam deleverit.

705 S. Bernardus serm. de S. Magdalena post D. Basilium homil. 28. de poenit. observat, quod San- cta illa statim atque audivit: dimissa sunt ei pec- cata multa. Item: remittuntur tibi peccata, non involavit in caput, neque attigit manum, sed manit ad pedes, lacrymis suis eos irrigans, ca- pillis extergens, unguento ungens: quia interstis morositas inter pedes debet esse & caput: quia profecto difficilissimum est presumptuosus saltus est, a vestigiis ad verticem Domini transvolare. Neque enim eadem que unxit pedes, unxit & caput: cum illa meretrix nihil horum fecisse legatur, secundum illud: "Verte impios, & non erunt." Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profecto jam electa, jam familiaris effecta, longaeque a peccatis eius illius ubioluta vestigiis, quam infelix septena- rius confundebat. Praemiserat autem Mellissus

Doctor discrimen inter unguentum illud prius & posterius, quod istud illo sublimius esset. Primum namque, quod pedibus Salvatoris infudit, est unguentum penitentiae, sive sacrificium Deo spi- ritus contribulatum. Secundum, quod super caput recumbentis effudit, primo longe pretiosius est; sacrificium utique laudis, seu gratiarum actionis, quo Eucharistia designatur, quae Sacramentum est gratiarum actionis. Interfuit verò morositatem inter istud & illud unguentum Bernardus affirmat esse debere: quia non statim post nudam pecca- torum gravium Confessionem contritionemque peccator satis paratus est ad Eucharistiam perci- piendam; sed ad hoc per morum correctionem, & dignos penitentiae fructus, Salvatori esse de- bet familiaris effectus. Neque enim nudus gratiae status, post violatam gravibus peccatis Baptismi innocentiam, ad id sufficit; sed virtutum requi- ritur apparatus, & comparata per dignos peni- tentiae fructus vitae sanctimonia, qua penitens Christo conformis & jam familiaris fit effectus, prout Sanctorum testimonia in superioribus pro- lata satis probant.

S. Thomas in 4. dist. 9. q. 1. a. 4. quaest. 2. ad 2. Non esset consulendum alicui, quod statim post pe- catum mortale, etiam contritus & confessus, ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reve- rentiam abstinere. Siquidem Confessio purgat maculam mentis; non autem immunditiam corporalem, & hebetudinem, quae contingit in mente, ex depressione ejus ad carnem. Ubi cum S. Doctor solum excipiat casum argenti necessitatis, utaturque verbo deberet, periculum est (inquit Do- ctor Steyartius in suis Annotationibus ad Wig- gers, ad q. an etiam alia peccata, quam carnis, impediunt sacram. Communionem?) eum de obli- gatione quadam nisi, est forsassis non tam gravi. Et ideo, more suo, minus loquitur, dicitque non consulendum. Eandem reverentiam nobis inculcat Ecclesia in lectionibus secundi Nocturni dedicati- nis Ecclesiae, ut videamus non solum hunc esse spi- ritum Ecclesiae primitivae, sed etiam hodiernae.

Joannes Taulerus (serm. 2. Domin. vii. post Trin- itat. Cum lacrymis agrestibus manna hoc calicem sumendum est, quae quia amarae sunt, amarum Pas- sionis Christi compassionem significat, ita ut, ad honorem ipsius, ipse quoque (satis post grava crimi- na) vitam rigidam & penitentialem assumat, &c.

Venerabilis Ludovicus Granatensis in Memo- riali tr. 5. c. 5. Maxime corrigendi sunt Christiani, qui cum vitam omnibus criminalibus inquinatissimam egerint, evoluta anno consententur, & vix mille criminum abominationumque genera apud Sacerdo- tem evomere desierunt, cum sese ad caelestem men- sam proripiunt, & manducant Panem Angelorum, ad cujus dignam perceptionem vel ipsa Angelorum puritas exigeretur, si ad illam homines pervenire possent.

Synodus Bituricensis anni 1584. tit. 22. c. 5. Ne- mo sine contritione, Confessione & satisfactoris ope- ribus dignè promittitur ad Eucharistiam sumendam accedat.

Eidem denique assertioni nostrae subscribit Marianus Victorius, Episcopus Amerinus, in suo de poenit. lib. adversus nuperas hereses scripto. Si- cut & viginti novem Archiepiscopi & Episcopi, qui librum de frequenti Communione approbarunt. Quos inter, Episcopus Briocensis, Anobis (inquit) Joannus Precursoris insitit, adveniens Agno, peccata mundi tollenti, vias penitentiae parat, & demon- strat. Docet cum Apostolo probare nosmetipsos, prius quam sacris epulis accumbamus, atque ut Christi corpus dignè accipiamur, si prioris baptismatis inno- centiam amissimus, novam posteriori lacrymarum



ac vere penitentia beatissime comparandam. Episcopus Lascariensis: Non edebatur olim Agnus Paschalis sine amaris oleribus. Equum est parificandis animis quam maxime operam dent, qui huius Sacramenti participes fieri cupiunt, eius comparatione impari sunt Angeli. Episcopus Tarbenis: Nunquam pro merito liber hic probabitur, dum mira portenta refellit, a novis quibusdam animarum Rectoribus excogitata, qui quosvis promiscue, quamlibet criminibus oneratos, dimisso modo prius, ea confessi, & resuscitandi voluntatem, quam frequentissima eorundem peccatorum vicissitudo confusum inaneque gloriatur, professi fuerint, ad divinam mensam ignavissima quadam temeritate propebant. Recte ergo movet, longiore moram interponendam, ut certiora firmioraque emendate vitæ argumenta capiamus, & aliquandiu in solitudine, scilicet ac suspensis instantium, priusquam caelesti manna satiemur. Non mediocriter gavisus sum, cum ab universo Provincia nostræ Cæta (undecim Episcoporum) doctrinam hanc saluberrimam unâ voce probatam vidi. Guido de Seve, laudatissimus Episcopus Arelatensis, in Mandato suo de 5. Augusti 1695. regulâ 10. Quis primis seculis labebantur in peccata gravia, aliquando ad annos decem, aliquando etiam ad viginti à Communione sejungebantur. Et hodie quidem Ecclesia usum illum non servat, nec ad eam servandum Confessarius suos astringit; sed ut minus improbandum non est, nec habendum tanquam spiritui illius adversum, quod aliquando per Quadragesimam, aut etiam amplius à Communione separantur, qui ad eam non videntur dispositi, quique olim ob crimina, quorum rei sunt, separati ab ea fuissent ad annos septem, decem, & viginti.

Enimvero id modernæ quoque Ecclesiæ spiritui conforme esse, præter dicta num. 702. & 704. S. Thomas indicat opus de Sacram. alt. c. 16. dicens, idèd statutos fuisse, ante Pascha, quadragesima dies penitentia, ut in peractis in jejuniis, & orationibus, & continentia, & bonis operibus, tunc possit communicare penitentes cum aliis bonis Christianis. Hinc super illud 1. Cor. 11. "Si nosmetipsos ipso dijudicemus, &c." dicit Augustinus: ab ipsamet mente penitentis talis sententia proferatur, ut se indignum iudicet participatione corporis & sanguinis Domini, ut ad tempus per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento caelestis panis separatur.

Idipsum quoque propinquius ad tempora nostra Tridentinum indicat scilicet 14. c. 5. dum laudat, & merito retinendam cicit morem, qui jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidei fructu observatur... confitendi sacro illo maxime acceptabili tempore Quadragesimæ. Quæ verba S. Carolus Borromeus de primis Quadragesimæ diebus, non de ultimis intellexit, dum in primo suo Concilio Mediolanensi tit. de pertin. ad Sacram. Pœnit. moneri voluit à Parochis fideles, ne Confessionem ad hebdomadam sanctam differrent. Et in Act. Eccles. Mediol. tit. de Sacram. Pœnit. Parochus (inquit) ante Quadragesimam moneat fideles, qui Confessionis frequentem usum non habent... ne eam differant in postremis Quadragesimæ dies. Similiter Concilium Cameracense sub Maximiliano de Bergis: Admoneri omnes volumus, ut à principio Quadragesimæ se ad peccatorum Confessionem præparent, ac dignis penitentia operibus vacent. Ita etiam Concilium Bituricense anni 1581. tit. 21. can. 10. Quibus concinens Bellarminus in notis ad Decreta Tridentini: Non in fine, inquit, Quadragesimæ confitendum est, ut abusus irrepisset, sed in initio huius temporis, ut olim rectè confitendum fuerat. Ob finem utique n. 706. à S. Thoma enarratum.

Propterea assertioni nostræ, præter hæcenus laudatos, suffragantur Emericus de Bonis tr. de Sa-

eram. alt. Merbesius Sum. Christ. to. 2. differt. 3. 9. 3. & 15. Maldonatus apud ipsum. Contention. to. 8. differt. 4. c. 2. Reg. 2. Natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. to. 3. c. 5. a. 4. Reg. 6. Paulus Segnerus hom. Christ. p. 3. discursu 8. Iveninus de Sacram. differt. 4. q. 8. c. 1. a. 1. §. 2.

Suffragatur & ratio multiplex (præterquam enim quod ad id præfigurandum Deus in veteri Testamento voluit Agnûm Paschalem sine lactu- cis agreffibus, seu amaris oleribus non manducari; Joannes quoque Baptista prædicavit penitentiam, ut pararet viam Domini, sive Judæos disponeret ad recipiendum Christum) reverentia tanto Sacramento debita (ut supra dixi ex doctrina Sanctorum) virtutum requirit apparatus, sanctimoniamque per dignos penitentia fructus comparatam. Neque enim subditi, statim atque de rebellionis crimine veniam à Rege misericorditer impetravit, dignus est, qui cum familiaribus Regis ad mensam Regis accumbat. Nec statim atque peccator à gravioris criminis sebre liberatus est, continuo idoneus efficitur, qui divinis Sal- vatoris carne vescatur, nisi expurgata superflite humorum corruptione validior efficiatur. Quia, ut Ambrosius 1. 6. in Luc. c. 9. ait, multitudinem illam, quæ inter desertam quærebatur Christum, quinque panibus Salvator auit, non carne sua; quia validiori illi cibo par nondum fuit: Dominus pro uniuscujusque vitiis impartire nobis alimenta dignatur: ne aut infirmum validior cibis opprimat, aut validum exilia alimenta non satient. Qui enim infirmus est, olus manducet; hoc est cibo infirmitati suæ congruente alatur.

Sed & nonnullis peccatoribus, maxime consuetudinariis, & frequenter relapsis, penitentia opera preparatoria, ante sacram Communionem necessaria sunt, eadem ob rationes, ob quas olim SS. Patres illa requisierunt, etiam ante absolutionem. 1. quia (experientia teste) ordinariè vix possibile est, ut sine illis debitum concipiant de peccatis gravioribus dolorem. 2. ut ab iis se expediant, & à vita perveria transeant ad verè christianam, baptismaliumque spon- sionum implerem. 3. ut ad Deum verè, plene atque ex toto corde convertantur, seque taliter convertos Sacerdotibus probent, uti pluribus demonstrabimus libro sequenti. His adde quod peccata, saltem carnis, obscœnis speciebus obnubent atque offuscant & conspurcant animum, in coque causent hebetudinem impediendam animi puritatem, ac devotionem necessariam ad hoc Sacramentum ritè suscipiendum. Sunt quidem Confessarii hodie multi, qui, ad ista parum attendentes, quoslibet promiscue à Confessionali ad sacram mensam sine scrupulo mittunt. Sed nescio an coram tremendo Iudice non reprobantur, tanquam dispensatores infideles, qui Sacramenta inconscienter exposuerunt profanationi impiorum.

## CAPUT LV.

Nullus post cibum vel potum, quamlibet minimum, licet sacram Eucharistiam sumis, nisi in casibus ab Ecclesia vel a jure admissis.

Id enim Ecclesiastica lege vetitum est, in reverentiam tanti Sacramenti, prout constat ex Concilio Cartaginensi III. c. 29. Toletano VII. can. 2. Constantiensi sess. 13. & antiquissima Ecclesiæ consuetudine, de qua testis est Augustinus epist. 118. ad Januarium: Liquidò apparet, quando primam acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universa Eccle-



ſie ( uti calumniatur Lutherus lib. de abroganda Miſſa privata , conſuetudinem iſtam vocans ſurorem ſuroris ſuroris ) quid à jejunio accipitur ? Et hoc verò placuit Spiritui ſancto , ut in honorem tanti Sacramenti , prius in os Chriſtiani corpus Domini intraret , quam ceteri cibi . Nam idèd per totum Orbem mos iſte ſervatur , ut refertur can. liquidò de Conſecr. diſt. 2.

709 Huius etiam moris meminit Tertullianus l. 2. ad uxorem c. 5. Cyprianus epiſt. 63. Chryſoſtomus homil. 27. in priorem ad Corinthios.

710 Verùm hunc morem , & rationem , in qua fundatur , Lutherus irridet loco citato : *Fæſtiva* ( inquit ) ratio . Fortè nec nebulam , nec aërem prius intrare licet os Chriſtiani , quam Chriſtum . S. d. inſana eſt irriſio , quaſi nubecula vel aër cibus ſit vel potus ? Audi ( Lutere ) Auguſtinum , cuius aliquando filium & diſcipulum te eſſe profeſſus es : *Siquid* ( ait epiſtola citatà ) tota per orbem frequentat Eccleſia , quin ita faciendum ſit diſputare , inſolentiſſima inſania eſt . Illa quippe , quæ non ſcripta , ſed tradita cuſtodimus , quæ quidem toto terrarum Orbe obſervantur . dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtoliſ vel plenariis Comitibus , quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas , commendata atque ſtatuta retinere .

711 Licet ergo Chriſtus poſt cœnam inſtituerit hoc venerabile Sacramentum ( ait Concilium Conſtantienſe ) tamen ſacrorum Canonum auctoritas , & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit & ſervat , quod huiusmodi Sacramentum nec conſecratur poſt cœnam , nec ſumatur à non jejunis , niſi in caſu infirmitatis , aut alterius neceſſitatis , à jure vel Eccleſiæ conceſſo , vel admiſſo .

Verum quidem eſt in primitiva Eccleſiâ poſt commune convivium , ad imitationem Dominicæ cœnæ , ſacram Euchariftiam fuiſſe celebratam , ut Auguſtinus oliſcit loco citato , antiquam ſcilicet jejunii præmittendi lex ab Apoſtoliſ inſtituta foret : imò legem iſtam jejunii primitiſ ſic inſtitutam fuiſſe , ut exciperetur anniverſarius dies , quo cœna Domini celebratur , ut conſtat ex Cartaginienſi III. can. 29. Cypriano epiſt. 63. Auguſtino ubi ſuprà . Quem etiam morem apud Ægyptios vigiſſe referunt Socrates l. 5. c. 21. Sozomenus l. 7. c. 19. & Nicephorus l. 11. c. 34. Sed mos iſte particularis univerſalior in contrarium conſuetudine , atque expreſſis Conciliorum Decretiſ & Canonibus ob abuſus revocatus fuit . A plebriſque enim in crapula & ebrietate Sacramentum hoc recipiebatur .

712 Porò jejunium lege Eccleſiaſtica ad ſacrum convivium requiſitum , non ſolùm eſt Eccleſiaſticum ( ut Godefridus & Joannes Pariſienſes dixerunt apud Sylveſtrum verbo *Euchariftia* ) ſed naturale , ita ut poſt mediam noctem nihil omninò cibi vel potùs ſumatur , etiam per modum medicinæ , ut ex communi totius Eccleſiæ ſenſu tradunt omnes alii Theologi & Canoniſtæ , ſanſque colligitur ex verbis Auguſtini n. 704. relatiſ , nec non ex Concilio Toletano VII. can. 1. dicente : *Nullus poſt cibum potumque , quamlibet minimum , Miſſas facere præſumat . Qui ſecus fecerit , excommunicetur .*

Ex eodem Eccleſiæ ſenſu Doctores communiter tradunt , non dari hîc materiæ parvitatem à mortali excuſantem , ita ut vel ipſi recentiores Caſuiſtæ improbabilem cenſeant opinionem nonnullorum , qui , teſte Hurtado de Euchar. diſt. 9. diſt. 11. exiſtimarunt peccatum veniale , communicare poſt ſumptam parvam quantitatem cibi vel potùs . Quamvis enim abſtinentia à parva iſta quantitate ſit phyſicè & materialiter levis , eſt formaliter & ſignificativè gravis , quatenùs Eccleſiâ per abſtinentiam illius ſignificare vult , cibum & potum Eucharifticum cuiſlibet alteri cibo potuique eſſe præterendum .

Non violatur tamen hoc naturale jejunium , niſi tria ſequentia concurrant . 1.º ut ſumatur aliquid cibi vel potùs . Quia Concilia de cibo & potu expreſſe loquuntur . Si quis proinde ab ore in ſtomachum trajiceret nummum aureum , globulum plumbeum , vel quid ſimile , à ſtomacho nec alterabile nec digeribile , juxta Ledefſam , Cardinalem de Lugo , alioſque communiter , non impediretur à Communionè , tametiſ Nugnus & alii diſſentiant . De cera , creta , charta , &c. major adhuc eſt variatio Doctorum .

2.º ut cibus vel potus exterius ingeratur ori , juxta illud S. Thomæ in 4. diſt. 8. q. 1. a. 4. *Quæ exterius ingeruntur* ( ut ſanguis , vel alius humor è cerebro in os accluſus ) ſine exterioriſ cibi ſumptione , non videntur ſolvere jejunium naturæ , nec impedire Euchariftiæ perceptionem .

3.º ut ſumatur per actionem vitalem , quæ ſit comefſio , vel potatio , ita ut glutiat & ab ore in ſtomachum vitaliter trajiciatur . Quia naturale jejunium non violatur niſi comedendo vel bibendo . Unde ſi cibus vel potus in ſtomachum meum non trajiceretur vitaliter à me , ſed ab alio per ſiſtulam , non obſtaret jejunio meo . Quia nihil equidem comediffem , nec bibiffem .

Nec ſolvitur naturale jejunium , per hoc quòd 714 aliquid comefſibile vel potabile ab ore in ſtomachum trajiciatur per modum ſalivæ , id eſt non formaliter & per ſe : ſed casualiter , & conſecutive ad trajectionem ſalivæ , tamquam illi permixtæ , vel etiam per modum ſpirationis , & conſecutive ad attractionem aëris . Ita Doctores communiter , cum S. Thoma q. 80. a. 8. ad 4. ubi ſic : *Reliquiæ cibi , remanentis in ore , ſi casualiter tranſglutiantur , non impediunt ſumptionem huius Sacramenti : quia non trajiciuntur per modum cibi , ſed per modum ſalivæ . Et eadem ratio eſt de reliquis aque , vel vini , quibus os abluatur , dummodo non trajiciantur cum magna quantitate , ſed permixtæ ſalivæ ; quod vitari non poſſeſt .* Unde ſiquis muſcas casualiter per modum ſpirationis attrahat & trajiciat , & ſi coquus guſtando cibum , aliquid per modum ſalivæ trajiciat , à Communionè non impeditur , ut communiter cenſent Theologi . Secus eſſet , ſi ex propoſito hoc faceret , ut ſignificat S. Thomas , cum ait : *Si casualiter tranſglutiantur .*

Et hinc ſiquis veſperi ſaccharum ori impoſuerit , paulatim ſolvendum & trajiciendum , ad lenendam pectoris vel faucium raucedinem , ſequenti die communicare non poſſet , niſi moraliter certus ſit , ſe nihil poſt mediam noctem tranſglutiſſe . In dubio enim præſumere non poſſet ſe jejunium : cum voluntariè ſe expoſuerit periculo tranſglutiendi aliquid poſt mediam noctem , contra jejunii præceptum . Hoc enim tempore ſomni facilè ſit . Quia tunc ſacchari ſolutio & trajeccio valdè lentè ſit , & frequenter durat ultra mediam noctem . Ita Coninck , Caſtro-Palao , & noſter Franciſcus à Jeſu Maria tr. 4. de Sacram. Euchar. c. 7. n. 68.

Ex quo ulterius conſicitur , eum qui tam ſerò 716 cœnavit , vel bibit , ut dubitet , an mediam noctem cœnando vel bibendo non exceſſerit , non poſſe die ſequenti communicare . Neque enim ( in dubio ) rationaliter præſumere poſſet , ſe mediam noctem non exceſſiſſe , qui voluntariè ſe expoſuit periculo eam exceſſendi . Imò , in dubio , debet præſumere quod tutius eſt , in reverentiam Sacramenti : ne exponat ſe periculo poſt ſolutum jejunium , contra ſacros Canones , communicandi non jejunus . Ita noſter Franciſcus à Jeſu Maria ibidem n. 69. cum S. Thoma . Villalobos , &c. contra Sancium , Tamburinum , Rhodèz , Gobat , Dianam , &c. ſatis ridiculè aientes , tali homini favere poſſeſſionem juris communicandi . Quod



à veritate alienum est: cum nullus possideat jus istud nisi jejunus; ac per consequens dubia sit juris istius possessio, eo ipso quo dubium jejunium. Nec minus ridiculum est, quod addunt, neganti jus istud, incumbere onus probandi defectum jejunii. Cum e contra asserenti se habere jus istud, incumbat probatio dispositionum necessariorum ad Communionem, juxta illud: *probet autem seipsum homo, &c.* & hoc ne, contra reverentiam Sacramenti, exponat se periculo communicandi sine dispositionibus ad susceptionem illius requisitis. Ob quam rationem, is qui evigilans bibit aliquid, nesciens quâ horâ (si post examen perseveret in dubio) non potest communicare, ut Doctores communiter tradunt, contra Gobat tr. 4. n. 280. & alios apud ipsum.

717. Quandoquidem verò censenda sit media nox, an ad primum ictum duodecimæ nocturnæ, an ad ultimum, variæ sint opinionum Doctorum. Sed resolute dicendum, cum Cardinale de Lugo, primum ictum campanæ (post præludium) horam præcedentem à sequenti distinguere, cæterofque solùm addi, ut qui indicem aspicere nequeunt, horam discant. Hoc enim certum esse, nec ab hominibus qui artem noverit, in dubium vocari vel ipse Caramucci asserit in Theol. Fund. n. 237. Ab ultimo namque ictu usque ad horam primam non est integra hora, sed à primo ictu. Et ideo auditio primo ictu tenens ex ore ejicere cibum vel potum quem ingessisti, & nondum transgissisti, ut rectè Coninck contra Gobat n. 275. Si enim non liceat post primum ictum ori ingerere reliquum craterem, cujus dimidiam partem ante-ingeras, ut fatetur Gobat; nec licet post primum ictum, ab ore in stomachum vitaliter trajicere reliquam partem cibi vel potus, cujus partem ante jam trajecerat. Cum istud ad priorem commestionem vel potationem haud magis pertineat, quàm illud. Nec iste minus censetur comedere vel bibere post primum ictum, adeoque post mediam noctem, quàm ille.

718. Ubi verò plura sunt horologia bene regulata, tamen Probabilistæ permittant comedere & bibere, usquequid media nox sonuerit in ultimo horologio: recta ratio suadet potius fovendum pietati, & reverentiam Sacramenti, quàm ventri & voluptati: summa enim ratio est, quæ pro religione & pietate facit: ideoque cessandum ad primum ictum primi horologii. Nec audiendi, qui cum Vericello, Pasqualigo, Caramucle, adeo laxè hinc sentiunt, ut etiam in civitatibus, ubi sex vel octo sunt horologia bene regulata, auditis singulis, etiam ultimo, dicere possit: Est probabile quòd horologium istud incedat uno quadrante citius quàm deberet, adeoque quòd comedere & bibere censendum non sit post mediam noctem, nec solvere jejunium Eucharisticum, qui aliquantulo tempore post ultimum ictum ultimi horologii adhuc comedit vel bibit. Non audiendi (inquam) tum quia dato quòd probabile sit quòd singula horologia (si sola spectentur, seorsim ab aliis) incedant uno quadrante velocius quàm debeant; id probabile non est de omnibus, nec de ultimo spectato conjunctim cum aliis. Tum quia laxitas illa est contra communem sapientum piorumque sensum & usum; secundum quem intelligendum est tam antiquum, quàm religiosum præceptum jejunii Ecclesiastici, non secundum speculationes Novarientium.

719. Tria supersunt discutienda. Primum, an jejunium Eucharisticum violet qui folium tabaci ore sumit & masticat, ad aquas phlegmaticas ex ore projiciendas. Secundum, an etiam qui fumum tabaci per nares attrahit vel pulverem naribus sumit. Tertium, quibus in casibus præceptum jejunii Eucharistici non obliget.

Ad primum respondeo affirmativè, cum Antonio de Leone qq. mor. p. 2. §. 4. & Leonardo Van Roy de Eucharist. c. 8. q. 1. quia plurimæ tabaci particule, cum succo illius, per illam masticationem ad stomachum semper trajiciuntur. Dum autem trajiciuntur in stomachum, solvitur jejunium Eucharisticum, ut Doctores conveniunt. Aiunt quidem Diana, Præpositus, Lugo, &c. trajectionem illam ad dictum effectum non esse necessariam, ideoque jejunium non solvi, si nihil trajiciatur. At ut hoc verum esse queat in speculatione, falsum est vel periculosum in praxi. Quia præctice loquendo semper aliquid trajicitur, vel periculum est ne trajiciatur. Ideoque abstinendum in Sacramenti & religiosissimi præcepti reverentiam.

Ad secundum respondent etiam affirmativè Antonius de Leone, & noster sapientissimus P. Lezana to. 3. verbo *Eucharistia* n. 16. Quia fumus ille vel pulvis facilè, & uplurimum trajicitur à naribus per os in stomachum. Et quamvis nonnulli existiment non solvere jejunium, quia illa tractio per nares non videtur vera comestio, vel potatio (quibus solis actionibus jejunium solvitur) saltem est valdè indecorum, meritòque gravissimè prohibitum in Diocesi Tornacensi, in Synodo Mexicana III. & Limana III. & Urbani VIII. Constitutione 131. sub pena excommunicationis lætæ sententiæ, ipso facto, absque alia declaratione incurrendæ prohibuit, ne in Ecclesiis Diocesis Hispanensis, earumque atriis, & ambitu, tabacum, sive in folio, sive in pulvere, ore, vel naribus, vel fumo, de cætero fumeretur, prout antea fieri consueverat. Sic refert & testatur Van Roy loco citato. Unde non adeo turè id à nonnullis præctatur, quolibet prætextu. Ita post Marchanum noster Stephanus à S. Paulo de Euchar. disp. 4. dub. 5. n. 28.

Ad tertium respondeo non obligare in casibus ab ipsa Ecclesia expressè vel tacitè exceptis. Quorum primus est dum quispiam ad mortem infirmatur, ne sine Communionem decedat. Quia necessitas non habet legem. Tunc promde Presbyter *infirmum statim communicet, ne sine Communionem moriatur*, prout ex Concilio Wormat. dicitur de Consecr. dist. 2. Nec scrupulosè expectandi sunt extremi mortis agones, tum ne mors fortè præveniat: tum ut vigentibus adhuc animi sensibus homo ad devotè suscipiendum tantum Sacramentum sit aptior. Neque etiam scrupulosè statim post mediam noctem, vel paulò post, Eucharistia ipsi ministranda est, ut jejunus possit illam suscipere. Quia Ecclesiæ consuetudo (optima legum interpret) non habet ut importuna in tempestiva noctis horâ, nisi tunc necessitas specialiter urgeat, ad infirmos deferatur Eucharistia. Hora ergo tam infirmo, quàm Sacerdoti commoda expectari potest, nec interim agrotus necessariiis cibus, medicinis & solatiis destituendus. Nec unâ tantum vice id licitum est in periculosa infirmitate, sed sæpius fieri potest, periculo durante, aut post aliquod melioris sanitatis intervallum redeunte, dummodò aliquot dierum servetur interstitium. Ita Doctores communiter contra Vasquez. Quia caelestis iste cibus non solùm ipsi datur, ad hoc ut satisfaciatur præcepto Viatici sumendi, verùm etiam in præsidium contra tentationes inimici. Saltem post octo vel septem dierum intervallum inter unam & alteram Communionem consuetudo videtur permittere, ut iterum Communitio detur non jejunio. Scio aliquos esse liberaliores, dum trium dierum contenti sunt interstitio. Imò Hurtadus adeo liberalis est, ut id permittat quoties jejunus communicare possit. Ast neutrum conforme est Belgicis Ritualibus, nec Ecclesiæ usui, secundum quem frequentius pro



- devotione Communionem frequentare amans, jejunii legem servare, horamque ad id opportunam eligere debet.
- 723 Sed potestne Sacerdos, non jejunus, celebrare, ad dandum alteri Viaticum in periculo mortis, si aliter dari nequeat? Doctores communiter negant. Quia major habenda est ratio reverentiae & dignitatis tanti Sacramenti, quam necessitatis proximi. Sed haec ratio nihil probat, quia nimium probat: infirmum scilicet non jejunum magis consulere debere dignitati & reverentiae Sacramenti, quam propriae necessitati. Cujus oppositum cum sit verum, & Sacramenta in hominum utilitatem instituta sint, nec irreverentia Sacramento magis fiat in casu Sacerdotis celebrantis in illa extremitate, quam in casu infirmi communicantis soluto jejuniis, videtur mihi probabiliter dici posse cum Mjore, Zambrano, Zanardo, Philiarco, Heredia, Granado, Hurtado & aliis, quod sicut Sacerdos non jejunus in tali celebrare posset pro necessitate propria (ut concedunt Cardinales de Lugo, Palao, Layman, noster Franciscus à Jesu Maria, &c.) ita & pro pari necessitate proximi. Utpote quem diligere jubemur sicut nosipsum, ipsique proinde sicut nobis succurrere. Neque hinc consequens est Sacerdotem ad dandum alteri Viaticum celebrare posse sine vestibus sacris, vel in pane fermentato. Cum hoc ipsi Doctores non permittant ad Viaticum sibi metipsum ministrandum, & à diversis non valeat illato.
- 724 Secundus casus est, dum post consecrationem Sacerdos recordatur se non esse jejunum, aut sumpto calice advertit se aquam vel acerum consecratis (quam dum tenet in ore, expuere non debet, ne particulam Dominici corporis simul expuat, sed audacter sumere potest) quia sacrificii perfectio majoris necessitatis est, quam jejunii observantia. Si tamen ante consecrationem advertat se non esse jejunum, pergere non debet, sed ab altari recedere, si possit absque nota & scandalo, monendo adstantes sibi deum occurrere memoriam soluti jejunii, idemque rogare ut non scandalizentur, si ad obediendum legi jejunii ab altari recedat. Ita Doctores communiter contra Gobat tr. 3. casu 23. n. 424. aientem, quod quando Sacerdos incepto jam sacro, recordatur se non esse jejunum, pergere communiter possit in suo sacro. Partim quia communiter recedere nequit sine magno suo pudore, & infamia. Partim quia indecorè sacrum abrumptur, v. g. post Offertorium.
- 725 Sed rationes istae levissimae sunt. Neque enim verum est. magnam sibi infamiam accersere si recedat, monito populo, ut dixi. Nec indecorum, sed maxime decorum est recedere, in reverentiam Sacramenti, obedientiamque antiquissimi religiosissimique praecipii. Utinam levissimulus ejusmodi de causis Gobat non infrequenter recederet à tutoribus & communiter receptis sententiis!
- 726 Recepta etiam sententia est, quod si Sacerdos, post calicis ablutionem, inveniat aliquas Dominici corporis vel sanguinis reliquias, eas consumere possit, velut Communionem suam consummando. Sic enim habet communis timoratorum Sacerdotum praxis. Idque adeo extendunt Granados & alii (apud Dianam p. 5. tr. 14. resol. 45.) ut ipsum permittant Sacerdoti ad sacrificium regresso, si velles sacras nondum exuerit. Quod tamen non puto verum, nisi reliquiae illae decentius servari non possent.
- 727 Tertius casus est, dum Sacerdos, qui consecravit, ante Communionem deficit, nec adest nisi Sacerdos non jejunus, qui sacrificium perficere possit. Doctores communiter. Quia sacrificii perfectio, est de jure divino.
- 728 Quartus casus est, dum probabiliter timetur,

sacratissimam Eucharistiam in sacrilegis infidelium manus perventuram, & ab ipsis ludibrio habendam, nisi statim absumatur. Tunc enim à Sacerdote, & (si hic non addit) à Clerico vel Laico, quamvis non jejunus, cum timore & reverentia sumi debet, ut Doctores communiter tradunt, ex rationabili epikeia & interpretatione mentis Ecclesiae, quae non vult legem jejunii (latam in reverentiam Sacramenti) locum habere, dum servari nequit sine periculo conculationis & ludificationis ipsius.

Haecenus de dispositionibus ad divinissimam Eucharistiam suscipiendam requisitis, fusiuseculè quidem egimus; sed de dilecto, & preparatione ad tantum hospitem numquam latius. De ea piissimus Author Thomas à Kempis l. 4. de Imit. Christi c. 1. *Ecce (ait) Nunc vir justus in arca fabrica 100. annos laboravit; & ego quomodo me potero unà horà praeparare, ut mundi fabricatorem cum reverentia sumam?* Si vir justus & sanctus sic loquitur; quomodo peccator, quomodo Sacerdos nocte lapsus in enorme peccatum, tam citò se ut oportet praeparare poterit, ut paucis post horis ad altare litaturus accedere possit? Non credebatur hoc S. Philippus Nerius, dum negabat eum ritè se praeparare, qui non nisi medià horà se ad sacrificandum praepararet; alicuius preparationem illam esse debere continuam ex parte vitae sacerdotalis. Quod maxime verum est de Sacerdotibus illis, qui sive ex Ordinis statuto, sive ex beneficio, sive alio titulo tenentur ad quotidie vel saepissime celebrandum.

## CAPUT LXI.

*Nec parvulis, nec adultis sacratissimi Eucharistia Sacramenti perceptio, in re, necessaria est necessitate mediis, nec parvulis in voto. An adultis necessaria sit in voto, necessitate mediis, ad hoc ut accipiam gratiam conservent, in eaque contra tentationes perseverent? incertum. Saletem ipsis necessaria est necessitate praecipii avomi, si sufficienti ad hoc ratione utantur.*

**N**on esse necessariam parvulis nec in re, nec in voto, constat ex sensu & praxi Ecclesiae, parvulis Eucharistiam subtrahentis. Constat item ex Tridentino sess. 21. c. 4. *Eadem S. Synodus docet parvulos, usu rationis carentes, nullà obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae Communionem. Siquidem per Baptismi Sacramentum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt.*

Nec adultis necessariam esse in re, nec in voto, necessitate mediis, ad primam gratiam comparandam, perspicuum est, ex eo quod hoc Sacramentum ad primam gratiam conferendam per se institutum non sit. cum sit Sacramentum vivorum.

Inde probabiliter Doctores communiter inferunt, nec ipsis necessariam, ne quidem in voto, ad hoc ut gratiam acceptam conservent, in eaque perseverent. Quia, ut S. Thomas ait in 4. dist. 9. a. 1. ad 2. q. *gratia semel acquisita est sufficiens causa gloriae. Unde omne illud, sine quo potest haberi gratia, non est de necessitate salutis; hoc autem Sacramentum gratiam praesupponit: quia praesupponit Baptismum, in quo gratia datur. Et ideo quantum est de se, non est de necessitate salutis.*

Huic tamen rationi obviare videtur, quod adultis, in infantia gratiam per Baptismum adeptis, si des actualis equidem necessaria sit necessitate mediis ad salutem, sicut & amor Dei. Et idem à nonnullis



nullis probabiliter asseritur de voto hujus Sacramenti. Quia ad salutem non minus necessarium est perseverare in gratia, quam eam primam acquirere, vel perditam recuperare. Per Baptismum, primam gratiam adipiscimur. Per Pœnitentiam, gratiam amissam recuperamus. Per Eucharistiam fit ut in ea perseveremus. Neque quoad hoc eadem adultorum ratio est, quæ parvulorum. Hi gratiam adeptam in ea ætate amittere nequeunt. Et ideo non egent illo spiritali cibo, ut adulti, qui (utpote variis tentationibus exagitati, atque ex se semper deficientes) cœlesti hoc alimento confortandi sunt, ne deficientes vitam amittant, quam acceperunt, saltem si diu vivant post Baptismum, adeptumque rationis usum. Neque enim frustra Veritas dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii Homini, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

734 At (inquis) locus iste nimium probat: videlicet Eucharistiam etiam parvulis esse necessariam necessitate mediæ. Quia eo loco etiam parvuli comprehenduntur, prout Innocentius I. tradere videtur epist. 93. inter epistolâ Augustini, sicut & Augustinus ipse l. 1. de peccat. merit. c. 20. Et l. 3. c. 4. Quorum verba habes supra n. 389. Id ipsum Gelasius Papa declarat in epistola ad Episcopos Picensi.

At (inquam ego) Ecclesia aliter de adultis intelligit, quam de parvulis. Innocentius verò, Augustinus, & Gelasius locum illum ad parvulos non extendunt, intellectum de sacramentali manducatione Eucharistiæ, sed intellectum de spiritali manducatione per fidem, seu fidei Sacramentum, id est Baptismum, prout ostendimus n. 390. per fidem namque, vel fidei Sacramentum, licet parvuli sacramentaliter non percipiant Christum, spiritaliter ipsum percipiunt, quia incorporantur Christo, & Ecclesiæ, quæ est corpus mysticum Christi, sicque percipiunt rem Sacramenti Eucharistiæ, licet Eucharistiæ Sacramentum non percipiant. Videri potest S. Fulgentius epist. ad Ferrandum Diaconum, ubi sic: *Arbitror, sancte Frater, disputationem nostram præclaris Doctoris Augustini sermone firmatam, nec equivam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptisinate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedit, & calicem bibit, de hoc saculo in unitate corporis Christi constitutus discedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc quod illud Sacramentum significat invenitur.*

735 Simili modo S. Thomas in 4. d. 9. a. 5. ad 3. q. exponit id quod can. in Ecclesia de Consecr. dist. 4. dicitur: *Non cogitetis eos vitam habere posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso: "nisi manducaveritis, &c." Dicendum (inquit) quod hoc intelligendum est, quantum ad rem Sacramenti, quæ est unitas Ecclesiæ, extra quam non est salus, neque vita. Et non quantum ad sacramentalem manducationem.*

736 An locus Evangelicus, *nisi manducaveritis, &c.* intellectus de necessitate mediæ, possit simili modo exponi pro adultis? Respondeo cum communi probabile esse quod sic. Tum quia aliâ Ecclesiâ omnino procuraret, ne parvuli post adeptum rationis usum, sine hujus Sacramenti participatione decederent. Cùm tamen Pastores ante decem circiter annos non ideo id procurant. Tum quia Marci ult. dicitur: *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.* Quia tamen subintelligitur conditio, modò cætera necessaria non præmittantur, ut amor Dei, mandatorum obser-

vantia, &c. nihil inde efficaciter concluditur contra opinionem n. 733. expositam.

Quidquid ergo sit de ista opinione, certum est sacramentalem Eucharistiæ perceptionem adultis sufficienti ad hoc ratione utentibus in re necessariam esse necessitate præcepti divini. Quia verba illa, *nisi manducaveritis, &c.* propriè & ad litteram intellecta, manifestè significant necessitatem, saltem divini præcepti.

Quo quidem præcepto omnes tenentur adulti, etiam non baptizati, juxta sententiam communionem; eum proinde in finem baptismum suscipere tenentur. Cui enim præcipitur finis, præcipiuntur & media necessaria ad finem.

Ex universali tamen Ecclesiæ sensu & consuetudine certum est, adultos eo præcepto non censeri adstrictos, quamdiu propter ætatis imbecillitatem nondum illius Sacramenti cognitionem & gustum (id est devotionem) habent. Idèò namque ante illud tempus Rituale Romanum ait, Eucharistiâ non debere ipsi administrari. Pastoralis etiam Mechliniense & Cameracense aiunt ipsos ad primam Communionem admittendos non esse, nisi prius diligenter examinati fuerint & instructi, eaque discretionem & ætate sint, ut judicare possint corpus Domini. Mechliniense sub Hovio addit, quod communiter atas hujus rei apta esse solet ab anno decimo, usque ad decimum quartum. Denique S. Thomas in 4. d. 9. a. 5. ad 4. q. dicit, quod circa ætatem 10. vel 11. annorum potest eis dari Communio, si in eis signa discretionis appareant & devotionis. Hoc autem nemo melius consuetudine poterit, quàm pater, & Sacerdos cui confiteretur, ait Catechismus Romanus.

Divinum istud præceptum solum in articulo mortis obligare, non extra illum, docet Vasquez, Cajetanus, Victoria, & alii, semel dumtaxat in vita, absque determinatione temporis. Sed cùm divina Eucharistia instituta sit per modum alimonie spiritualis, & antidoti contra ejus inimicos; neutra istarum opinionum videtur esse vera. Quia alimonia spiritualis (sicut & corporalis) etiam ante mortem sapienter in vita sumenda est, ad animæ vires reficiendas, & munimentum seu antidotum ipsius contra inimicos, à quibus incessanter impugnatur.

Obligat ergo in articulo mortis (sub eo comprehendendo damnationem ad mortem) cùm hoc Sacramentum institutum sit in viaticum salutis, & (ut antè dixi) in antidotum contra inimicos tunc præcipue insultantes. Undè Pius V. abrogavit consuetudinem in Hispania negandi Eucharistiâ damnatis ad mortem. Sub mortis articulo etiam comprehenditur illius periculum, v. g. dum milites in itinere sunt prælium, dum quis exponit se ad pestem, dum mulier habere solet partus periculosos, &c.

Obligat & in vita, ut non diu differatur. Cujus determinationem Ecclesiæ Deus reliquit. Quæ proinde eum determinet tempus ultra quod differri non debet, præceptum merè Ecclesiasticum non condit, sed divini determinativum.

Pueri quidem non censentur prævaricatores hujus præcepti, sive in vita, sive in morte, si in hoc negotio sequantur judicium Confessarii, vel Pastoris sui. Sed meminerit, sive Pastor, sive Confessarius, in articulo mortis curare ut sine Viatico non decedat, si aliquam illius discretionem habeant, tamen non tantam, quanta meritò desideraretur, si tempus permitteret. Hoc enim posito omnes Confessionis capaces in extremis Viatico esse necessario munandos, docent Suarez, Palao, & alii, quorum sententiam, utpote magis piam, censeo practicandam, maxime dum puer cum aliqua devotione petit, vel desiderat.

Sed quid si manè adultus quispiam sanus com-



municasset, vel celebrasset, & vesperis in periculum mortis incideret, possitne & deberet Viaticum eodem die ipsi dari?

Negant Wiggers, & Doctores communiter. Quia non licet eodem die bis communicare, sine necessitate, quæ hæc nulla est. Quia per matutinam Communionem satisfecisse censetur præcepto Viatici sumendi. Cùm unusquisque censetur interpretativè habere voluntatem adimplendi omnem obligationem, cui obnoxius est.

745 Affirmant nihilominus probabiliter Vasquez, Turrianus, Gaspar Hurtadus, & alii apud Dianam p. 5. tr. 3. resol. 33. & p. 8. tr. 2. resol. 87. Et priore quidem loco Diana censet posse & debere ipsi Viaticum dari. In posteriore negat debere, aiens tamen posse. Sed inconsequenter. Si enim potest, debet. Cùm non liceat ipsi bis uno die communicare, nisi secundam Communionem exigat adimpletio præcepti divini.

746 Hanc opinionem idèò probabilem censeo, quia ex una parte facit pietati; ex altera pro se probabilem habet rationem, sicut & praxim nonnullorum timoratorum. Teste namque Diana & aliis, Patres Societatis domus professæ Panormitanæ id præcæperunt in persona P. Bescanæ, qui cùm manè celebrasset, & in lethalem morbum post prandium incidisset, iterum eodem die communicavit per modum Viatici. Idem factum in morbo lethali R. P. Aquavivæ, Generalis Societatis, refert Amicus. Sed Gobat tr. 4. n. 177. ostendit ex litteris P. Nadasi, in Archivis Tabulariisque Romanis Soc. Jesu veratissimi, Aquavivam non celebrasse ultimo die vitæ, sed communicasse, non per modum Viatici. Postea verò (imminente morbo) per modum Viatici communicasse. An eodem die post mediam noctem sequentem? Non conveniunt (inquit Nadasi) qui id scriptum reliquerunt. Quidquid de eo sit, multis viros doctos, & pios id facere testatur Dicastillo tr. 4. de Euchar. disp. 10. dub. 3. Nec sine ratione, quia qui sanus manè communicavit, non adimplevit præceptum divinum sumendi Viaticum: cùm præceptum istud alligatum sit tempori, in quo est periculum mortis; cui per matutinam Communionem non satisfecisse ostenditur à simili, in præcepto eliciendi actum amoris Dei super omnia in morte. Siquis enim manè sanus illum eliceret, atque eodem die post prandium in mortis incidat articulum, amoris actum repetere tenetur.

747 Et hinc patet ad rationem in oppositum. Quia hæc est necessitas secundæ Communionis, ex præcepto divino, cui Ecclesia duplicem eodem die Communionem vetando, non intendit præjudicare, sed se conformare, subintelligendo excepto casu, quo secundam Communionem lex exigit.

## CAPUT LVII.

*Nec divino Communionis præcepto, nec Ecclesiastico satisfi per Communionem sacrilegam.*

748 Divino Communionis præcepto sacrilegâ Communionem quoad substantiam satisfieri plerique asserunt (inquit eruditissimus Boudartius to. 4.) eo prætextu quòd substantia præcepti habeatur in sacramentali manducatione, ritu religioso factâ; non in modo illius, nec in fine qui est adeptio gratiæ. Cùm modus aut finis præcepti non cadat sub præcepto.

749 Addunt, divinum Communionis præceptum esse virtualiter duplex, quorum unum est negativum, de non communicando indignè, alterum positivum, de communicando. Priori quidem factentur non satisfieri Communionem indignâ: secus

posteriori, ut colligitur ex eo quòd infirmus, qui heri sacrilegè Viaticum sumpsit, non teneatur hodie iteratò Viaticum sumere, ut divino satisfaciatur præcepto.

Sic utique ratiocinantur, qui de divinis, Ecclesiasticisque præceptis ratione purè humanâ ratiocinantur, cavillitque potius quàm veris rationibus Theologicis & autoritatibus innuntur. Neque enim illa talis qualis ratio ipsorum, tam est ratio, quàm cavillatio. Si enim Patres, si Concilia consultissent, invenissent in Tridentino sess. 13. c. 2. *Sumi autem voluit (Salvator) hoc Sacramentum tanquam spirituales animarum cibum, quo alantur & confortantur, viventes vitâ illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Atqui animæ non aluntur, neque confortantur Communionem sacrilegâ, magis quam corpora cibo venenato. Sicut ergo præcepto de cibo sumendo ad conservandam vitam corporalem, non satisfi sumptione cibi venenati, seu veneno infecti; sic præcepto de spiritali cibo animæ, sumendo ad ipsam alendam & confortandam, non satisfi sumptione sacrilegâ. Modus proinde dignè sumendi spirituales cibum sub divino haud dubiè cadit præcepto. Imò & sub Ecclesiastico. Neque enim id Ecclesia tacuit, dum in cap. *omnis utriusque sexus* fidelibus omnibus præcepit, *reverenter suscipere Eucharistiæ Sacramentum, ad minus in Pascha.* Cui certissimum est non satisfacere suscipientem illud sacrilegè. Cùm Innocentius XI. damnaverit hanc propositionem quinquagesimam quintam inter 65. *Præcepto Communionis annuè satisfi per sacrilegam Domini manducationem.* Et cui dubium est iure divino & naturali *sanctâ sanctè*, adedque dignè tractanda?

Falsum proinde est, divino præcepto de Viatico sumendo satisfecisse, qui communicavit indignè. Falsum, ipsum non teneri de novo Viaticum sumere, etiam eodem die, si eodem die credatur moriturus, nec speretur alio die sumpturus, & eodem die sumere possit absque scandalo. Nec pluribus impugnanda est assertio Christianis Theologis indigna. Contra quam nihilominus plura dixi to. 2. ubi de legibus.

## CAPUT LVIII.

*Satisfi nonnullis questionibus concernentibus præceptum Concilii Lateranensis, cap. omnis utriusque sexus fidelis, statuentis, ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè, de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

Prima questio: quid ibi intelligitur per Pascha? Respondeo, intelligi totam quinquagesimam à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis inclusivè. Sic enim declaravit Eugenius IV. apud Navarum c. 21. n. 45. Imò quibusdam in locis tempus istud ad totam quadragesimam extendit consuetudo. Cui standum est.

Secunda questio: ubinam præceptum istud implendum est? Respondeo in propria Parochia, uti declaravit S. Congregatio anno 1638. Sacerdotes tamen sæculares non tenentur in ea celebrare, ut illi præcepto satisfaciunt; sed ex consuetudine satisfaciunt, ubicumque celebrant.

Parochiæ verò nomine non venit Ecclesia Cathedralis, respectu omnium qui in Diocesi commorantur, sed respectu dumtaxat eorum qui sunt



de Parochia Cathedralis. Unde Communioni Paschali satisfecisse non censetur, qui ob aversionem à suo Parocho in Cathedrali Diocesis suæ communicasset, ait Cardinalis de Lugo respons. moral. dub. 15. contra nonnullos, quos noster Stephanus à S. Paulo refert tr. 5. disp. 2. n. 46. Neque enim Cathedralis est generalis omnium Diocesanorum Parochia, ut constat ex eo quod nullum sit matrimonium eorum Parocho illius sine licentia proprii Parochi contractum. Nisi forte Episcopi licentia accesserit. Quæ pro annua etiam Communionem sufficeret. Cum Episcopus sit proprius Pastor omnium Diocesanorum suorum, sicut Papa Pastor est omnium fidelium.

755 Tertia quæstio est: an qui aliàs intra quindenam communicavit, vel communicaturus est in propria Parochia, in die Resurrectionis communicare possit in Ecclesia Mendicantium? Negat Wiggers, & post ipsum Boudartius tr. 3. de Euchar. § 6. q. 1. Sed affirmandum censo cum nostro Lezana to. 1. c. 21. n. 8. Suarez, Rodriguez, Barbosa, Neeßen, & aliis communissimè. Dum enim Paulus III. & Pius V. in Bullis suis diem excipiunt Resurrectionis, diem illam non accipiunt materialiter, sed formaliter, illà exceptione nihil aliud intelligentes, nisi tempus illud, quo satisfactio annuæ Communionis præcepto. Sicque in Belgio nostro usus obtinuit. Nec ibi usu recepta est declaratio S. Congregationis in contrarium.

756 Quarta quæstio: an forenses & peregrini, qui ad propriam Parochiam pro dicti præcepti adimplerione accedere nequeunt, illi satisfacere queant communicando apud Mendicantes? Respondeo affirmativè, cum Cajetano, Navarro, Soto, Rodriguez, Azorio, Cardinali de Lugo disp. 18. de Euchar. n. 50. & (ipso teste) Doctoribus communiter. Quia ex una parte Eugenius IV. declaravit, ipsos adimplere præceptum, communicando in loco, ubi transierunt reperitur. Ex alia parte respectu ipsorum cessat ratio prohibitionis Ecclesiæ, quæ Regularibus non prohibet administrare Communionem Paschalem, nisi ut jura Parochorum serventur illi. Quæ profectò non laeduntur, dum forensibus & peregrinis Communionem Paschalem à Mendicantibus ministratur; cum eam accipere non teneantur in Ecclesia Matrice, vel Parochia loci, ubi hospitantur: quia non sunt Parochiani ipsius, nec Parochus ipsius jus habet in eos.

757 Quinta quæstio: an sæculares Religiosorum familiares, in Monasteriis, seu aliis locis à cura Parochorum exemptis habitantes, Paschalem Communionem sumere possint in locis, in quibus habitant? Respondeo affirmativè cum Sanchez, Rodriguez, Bonacina, Palao, Dicastillo, quos citatos sequitur noster Franciscus à Jesu Maria tr. 4. de Euchar. c. 8. puncto 8. n. 30. Quia æquè exempti sunt à Parochia, quàm ab Ordinario, à quo exemptos esse sæculares qui sunt de Monasteriorum exemptorum familia, docet Tridentinum sess. 25. de Regul. c. 11.

758 Sexta quæstio: utrum ille qui non communicavit in Paschate, nec ante Pascha illo anno, post Pascha communicare teneatur? an verò liber maneat usque ad Pascha sequentis anni?

Hoc posterius affirmant Valentia, Sylvester, Toletus, Sotus & alii. Sed prius sustinendum est cum S. Thoma, Navarro, Azorio, Suarez, Layman, Sylvio, & aliis apud Leandrum hïc q. 39. Quia allatum præceptum duo importat, unum de communicando semel in anno, alterum de communicando saltem in Paschate, juxta illud Concilii Tridentini sess. 13. can. 9. *Siquis negaverit omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneantur singulis annis, saltem in Paschate ad commu-*  
Tom. III.

*nicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.* Unde patet 1<sup>o</sup>. Communionis obligationem absolutè non alligari Paschæ, uti Missæ obligatio alligatur diei festo; aliàs frustra in præcepto additum esset *ly ad minus*, in cap. *omnis utriusque*, & *ly saltem* in citato canone Tridentini. 2<sup>o</sup>. Pascha in Ecclesiastico præcepto non designari tamquam terminum ultra quem non currat obligatio, sed tamquam terminum ultra quem non debeat differri Communionem. Quando autem terminus non designatur ad finiendam obligationem, sed tamquam tempus ultra quod differri non debeat opus præscriptum, qui tunc non satisfacit, manet obligatus ad satisfactionem quamprimum potest, argumento legis *ensus §. sed ipse* de receptis arbitris, ubi obligatus certo die pecuniam solvere, si tunc omittit, manet obligatus ad solvendum quamprimum potest.

Hinc si quis prævideat futurum, ut non possit in Paschate communicare, non tenetur prævenire, dummodò probabiliter credat sibi non defuturam potentiam communicandi post Pascha. Si autem credat sibi defuturam potentiam communicandi post Pascha, prævenire tenetur. Quia toto anno currit obligatio præcepti, ad modum quo toto antemeridiano tempore diei festi currit obligatio Sacri audiendi; vel quo (in sententia alligante obligationem Communionis quindena Paschali) tota illà quindena currit obligatio communicandi, vel hæc scilicet horà, vel istà, vel illà, vel hoc die, vel isto, vel illo. Sicut ergo prævidens sibi defuturam potentiam audiendi Sacrum horà nonà, & deinceps, tenetur ante nonam audire; & prævidens sibi defuturam potentiam communicandi Dominicà Resurrectionis, & deinceps, tenetur ante Dominicam Resurrectionis communicare. Sic prævidens sibi defuturam potentiam communicandi in Paschate, & deinceps, tenetur ante Pascha communicare. Ita Vasquez, Sylvius, Cardinalis de Lugo, &c. contra Suarez, Azorium, Reginaldum, Coninck, Bonacinam, &c.

764 Septima quæstio: an Confessarius rationabili de causa Communionem Paschalem poenitentis ultra tempus Paschæ differre possit; v.g. dum poenitens venit ad Confessionem ultimo die quindena Paschalis, & Confessarius rationabiliter dubitat, an tunc dispositus sit ad absolutionem, vel iudicat ipsum debere Communionem præmittere Confessionem generalem, vel prius debere ejicere concubinam, prius reconciliari cum inimico, &c.

Respondeo ex communi & certa Theologorum Canonistarumque sententia Confessarium id posse. Patet ex clausula ista canonis *omnis utriusque: nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Videri potest ex Theologis Boudartius ubi supra q. 5. Ex Canonistis Fagnanus to. 7. ad cap. *omnis utriusque* de poenit. & remiss. n. 46. ubi ex his verbis: *de proprii Sacerdotis consilio*, necnon ex declaratione S. Congregationis probat, *tempus Paschale hic præfixum ad sacram Communionem suscipiendam, posse à proprio Sacerdote ex causa prorogari.* Enimverò ex verbis istis manifestum est quod Confessarius rationabili de causa poenitenti consulere possit ut differat. Si autem ex causa id possit consulere; ex causa id necessarîo exigente potest & præcipere. Est enim iudex poenitentis, sicut in ordine ad absolutionem; ita & in ordine ad Communionem, quæ ab absolutione dependet. Ipsè proinde poenitens debet obedire.



## CAPUT LIX.

*Ad satisfaciendum Communionis praecepto, seu divino, seu Ecclesiastico, Laici non tenentur sub utraque specie communicare.*

761 **E**st Catholica veritas, contra modernos haereticos definita in Concilio Constantiensi sess. 13. & Tridentino sess. 21. c. 1. ubi hanc veritatem sic declarat & ostendit: *S. Synodus a Spiritu sancto, qui Spiritus est sapientiae & intellectus, Spiritus consilii & pietatis, adhaec, atque ipsius Ecclesiae iudicium & consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino praecepto Laicos, & Clericos, non conscientibus, obligari ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum; neque illo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei Communicatio ad salutem sufficiat. Nam etsi Christus in ultima caena, venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolus tradidit, non tamen illa institutio & traditio extendunt, ut omnes Christi fideles, statim Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur utriusque speciei Communionem a Domino praeceptam esse, utrumque juxta varias sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur. Numque qui dixit: nisi manducaveritis carnem Tibi hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Dixit quoque: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Et qui dixit: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Dixit etiam: panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et demique qui dixit: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Dixit nihilominus: qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

762 **E**t c. 2. praeterea declarat hanc potestatem perpetuam in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, procerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, dum ait: sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Atque ipsum quidem hanc potestatem usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tam in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum: cetera (inquit) cum venero, disponam. Quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianae Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus & justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito commutare non licet.

763 **Q**uod autem olim fideles nonnumquam communicarent sub una tantum specie, colligitur ex Acto 2. Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, utique Eucharistici, ut Syrus vertit, & textus Graecus indicat, & fractione illius panis super substantialis. Neque enim magna primorum Christianorum laus fuisset, eos perseverantes fuisse in fractione panis communis, sive in prandis & cenis materialibus.

764 **D**einde tempore persecutionum fidelibus concedebatur, ut hostiam consecratam domum, vel in solitudinem deferrent, & inde sumerent imminente periculo tractionis ad Judicem, ut constat ex Tertulliano l. 2. ad uxorem, Clemente Ale-

xandrino, Cypriano, &c. Sola verò species panis ipsis porrigebatur in manus, calix ori communicantium admovebatur, numquam domum deferendus concedebatur. Neque enim sacra vasa Christi sanguinem continentia domi habebant, ut testatur Athanasius Apol. 2. contra Arianos. Atque Eucharistia quidem, sic delata, aliquando per annum integrum in solitudine, fervente praesertim persecutione, servata fuit, ut habetur in Prato spirituali c. 49. tamdiu verò vini species servari non poterunt. Eucharistia verò sic servata solitari utebantur, ut divino praecepto satisfacerent.

765 **I**nfantibus quoque, nondum idoneis ad fumentum cibum solidum, Eucharistia nondum dabatur sub panis specie, sed infillabatur in os aliquid Domini sanguinis, teste Cypriano serm. de baptismo. Sed & abstemis, id est praenativo vini horrore, ab illo abstinentibus, Eucharistia sub panis dumtaxat specie porrigebatur (teste Hieronymo epist. 22. ad Euloch.) nec ipsi hodie Lutherani & Calvinistae abstemios ad usum calicis adstringunt. Vel ipsi igitur fateri coguntur divino praecepto unius speciei sumptione satisfieri. Cum ei satisfaciunt abstemis.

766 **A**ntiquissimus quoque mos est (cujus principium ignoratur) quod Sacerdos, die Parasceves, sub unica communicat specie praesentificata, id est praecedenti die consecrata. Hoc enim Veteres vocabant communicare ex praesentificatis. Unde & in antiquis Liturgiis Missa praesentificatorum continebatur. Quam Trullani Patres can. 52. sacrum praesentificatorum sacrificium vocant.

767 **D**emique (ne infinitus sim pluribus aliis exemplis referendis) Dionysius Alexandrinus (apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccles. c. 44.) narrat Serapionem senem, morti proximum, Viaticum à Presbytero petiisse; cui Sacerdos cum per se ire non posset, per puerum misit particulam panis consecrati, cum mandato ut ipsam praeus maderetam (ne alioqui ob duritiem transglutire non posset) sibi porrigeret. Ergo divino Viatici sumendi praecepto tunc credebatur sub unica panis specie satisfieri. Unde Calvinus lib. 4. Instit. c. 17. §. 39. fatetur quod qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiae exemplum.

768 **C**ur ergo (inquit) Gelasius Papa can. compertimus de Consecrat. dist. 2. redarguit eos, qui Eucharistiam sub una dumtaxat panis specie sumebant? Conspicimus, quod quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacri cruoris abstineant: qui procul dubio (quoniam nescio quid superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.

**R**espondeo Gelasium vel id solum dicere quantum ad Sacerdotes, qui sicut totum consecrant, totum sumere debent, ut S. Thomas explicat. Vel arguit superstitionem Manichaeorum, qui ideo sumebant Eucharistiam sub unica panis specie, quia credebant Christum assumptis corpus sine sanguine, & vinum credebant esse creaturam de se malam, à diabolo factam: cum ad regendam infidelitatem suam (ait Leo Papa serm. 4. de temp. Quadrages.) Manichaei nostri audent interesse mysteriis: ita in Sacramentorum Communionem se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem verò Redemptoris haurire omnino declinant, & igitur ut Manichaei manifestis procedunt indicis, Decretum proximè relatum Gelasius condidit. Ex quo nihil in praedictum Catholicæ veritatis. quam tuemur; imò exinde apparet, ante istud Decretum, fidelibus licuisse sub una panis specie communicare. Alias enim Manichaei occult-



ti, ante istud Decretum, manifesto indicio singularis usus Eucharistiae fuissent proditi.

769 Adhuc tamen obstrepunt haeretici, dicentes, quod Laicis interdictio calicis usu, Concilium tam Constantiense, quam Tridentinum, spirituale causet damnum, contra charitatem ipsos privando majori gratia, quam recipere sub utraque specie communicando. Nec satisfacit Tridentinum sess. 21. c. 3. dicendo, *nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt*. Dicendo enim, *nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari*, tacite facitur eos defraudari aliqua gratia, ad salutem non necessariam.

Respondeo Dialecticam hanc non esse bonam. Concilium dicit Laicos nullam gratiam ad salutem necessariam fraudari: ergo faceret aliqua gratia non necessariam fraudari. Sicut ista non est bona: Petrus per Judicem non est spoliatus bonis necessariis ad vitam: ergo est spoliatus aliquibus bonis non necessariis ad vitam. Est enim frequentissima loquendi ratio in tribunalibus, scholis, & colloquiis domesticis, affirmare aut negare rem aliquam, sub aliqua consideratione, vel conditione, sub qua affirmatio vel negatio est certa; nihil determinando quidnam esset, ea consideratione sublata. Quod tanto verius est in casu praesenti, quanto certius magnam partem Tridentinorum Patrum in ea fuisse opinione, quae dicit, aequaliter sub una quam sub utraque specie gratiam recipi. Quod & post Tridentinum Auctores gravissimi sentiunt, Bellarminus, Vasquez, Suarez, Syvius & Doctores communissime, sicut S. Thomam q. 8. a. 12. ad 3. ubi sic: *Potesse autem a populo corpus sine sanguine sumi: nec exinde sequitur aliquod detrimentum*. Fundaturque opinio ista in ipsomet Tridentino ibidem dicente, *fatendum esse, etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi*. Ex quo dum Tridentinum intulit, *nullam gratiam necessariam ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt*, viam monstravit pariter inferendi, nullam etiam gratiam utili eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt. Cum consequentia ista perinde legitima sit, ac illa. Ut enim Hieronimus ait can. *ubi pars est de Consecr. dist. 1. eadem virtus Sacramenti operatur in recipiente unam, vel alteram speciem, vel utramque, quia ubi pars est corporis, est & totum*. Eadem est ratio in corpore Domini, quae est in manna (quod in eius figura praecessit) de quo dicitur: "qui plus" collegerat, non habuit amplius; neque qui minus paraverat, invenit minus. *Non est omnino quantitas, nec per consequens una vel utraque species, visibilis in hoc estimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis; quae sicut eadem est in sumente totum Christum in minori, vel majori quantitate, seu specie visibili, sic eadem est in sumente totum Christum in una, vel utraque specie.*

770 Dato tamen, non concessio, quod plus gratiae recipiat, qui sub utraque specie Christum recipit, quam qui sub una dumtaxat: potuit equidem Concilium gravissimas ob rationes, ad evitanda utique scandala & pericula, Laicis interdicere calicis usum, sicut eis interdicere potuit plusquam unam in die Communionem, & Sacerdotibus plusquam unam in die celebrationem, non obstantem majore fructu qui proveniret ex pluribus, seu Communionibus, seu celebrationibus. Cum non solum habenda sit ratio fructus, sed & reverentia divinissimo Sacramento debita.

## CAPUT LX.

*Miser valide conficiens hoc Sacramentum est*

*omnis & solus Sacerdos rite ordinatus. Ad quem etiam solum, velut Ministrum ordinarium, spectat distributio illius. Non ad Diaconum, nisi ex commissione Sacerdotis, in causa necessitatis.*

771 Prima pars patet ex eo quod conficiendi potestatem Christus non dedit, nisi Sacerdotibus: quibus solum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Hic enim verbis Apostolos ordinavit Sacerdotes, ut haberet traditio Ecclesiae, & Tridentinum declarat sess. 22. c. 1.

Omnem porro Sacerdotem, rite ordinatum, etiam haereticum, excommunicatum, suspensum, &c. valide illud conficere, constat ex eo quod tamdiu in ipso maneat potestas Ordinis, quamdiu in ipso manet character. Qui cum sit indelebilis, non amittitur per haereticum, excommunicationem, &c.

772 Secunda pars, quod utique ad solum Sacerdotem, velut Ministrum ordinarium, spectet distributio hujus Sacramenti, constat ex cap. *pervenit de Consecr. dist. 2.* Nec tamen omni Sacerdoti ex officio competit distributio illius, sed proprio Pastori, uti habetur in Concilio Cartag. I. cap. 7. Et ratio est, quia ad Pastores pertinet ex officio pascere oves suas. Quod maxime fit per distributionem panis caelestis. Ceteri tamen Sacerdotes id possunt de licentia expressa vel tacita ipsius. Unde quia ad id licentiam expressam a Supremo Pastore Religiosi habent Mendicantes, tacitam vero ceteri Sacerdotes, juxta Navarum, & Doctores communiter apud Leandrum disp. 4. q. 3. sequitur omnes Sacerdotes hoc Sacramentum distribuere posse, quamdiu proprius Pastor non contradicit. Sic enim consuetudo declarat.

773 Tertia pars, videlicet quod Diaconus hoc Sacramentum distribuere non possit, nisi ex commissione Sacerdotis, in casu necessitatis, constat ex can. *praesente dist. 93. Praesente Presbytero, Diaconus Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus erogat*. Absente vero Sacerdote, Ecclesia ipsi solum permittit Christi corpus erogare, si summa aut gravis necessitas urgeat, ut patet ex Concilio Eboracensi, ubi sic: *Decrevimus etiam, ut nunquam summa & gravi urgente necessitate, Diaconus corpus Christi cuiquam erogat*.

774 An autem Laici in extrema necessitate, deficientibus aliis Ministris, dispensare possint Eucharistiam, alias sine Viatico morituri? Affirmant (secluso scandalo) Lessius, Mercerus, Prappositus, Palao, & ipsos referens Diana p. 9. tr. 6. re. fol. 33. Et p. 11. tr. 7. re. fol. 43. Quorum sententiam probabiliter censet noiter Lezana verbo *Eucharistia* n. 15.

775 Sed Contenson dissent. 3. c. 1. specul. 3. certum asserit, secundum praesentem Ecclesiae disciplinam, nullum Laicum id posse. Praeceptum enim sacri Viatici tunc solum obligat (inquit) cum Eucharistia ea qua par est, & quae decet tantam Majestatem reverentia accipi potest. Secundum praesentem vero disciplinam, a quo Ecclesiae consuetudinem, exigit tremendorum mysteriorum dignitas, ut a solum Ministris, in Ecclesia designatis, servatimque servandis dispensetur. Unde nec seipsum Laicus hodie, ut olim, communicare potest, ne in mortis quidem articulo, quidquid dixerint laudati Auctores. Quibus profecto non faveret exemplum Reginae Mariae Stuart. Neque enim seipsam ipsa communicavit, nisi ex concessione Pii V. ut adversus impiae Elizabethae tyrannidem muniretur.

776 Quaritur etiam an Laico moribundo, sacramentum, ob linguae ariditatem, trajicere non valenti, ministranda sit Eucharistia sub specie vini?



- Affirmat Ochagavia de effectu Euchar. tr. 2. q. 18. quia præceptum divinum de Communione in articulo mortis, præponderat Ecclesiastico, de non communicando Laicum sub specie vini.
- 778 Sed id negandum cum Suarez, Mercero, Sylvio, & Doctoribus communiter, ob contrariam Ecclesiæ praxim, ex qua intelligimus præceptum divinum istis in circumstantiis non obligare. Ad do cum Sylvio, numquam moraliter contingere quin minimam hostiæ consecratæ partem, cum vino, infirmus trahere possit.
- 779 Quæritur 3<sup>o</sup>. an deficientibus parvis formulis consecratis, Sacerdos celebrans dare possit communicare ex devotione volenti partem majoris hostiæ suæ?
- Negat noster Lezana; affirmant Sylvester, Angelus, Homobonus, alique non pauci. Nec video cur id praticari nequeat, secluso scandalo. Cum in eo nihil appareat contra reverentiam Sacramenti, nec contra integritatem sacrificii, quæ solum postulat sumptionem utriusque speciei.
- 780 Quæritur denique quid factu opus, si contingat sacram hostiam inopinato casu decidere in sinum mulieris?
- Respondeo habendam rationem honestatis & decentiæ; idèdque suadendum mulieri, ut in loco secretiori ex se videat, an modestè exporrecis tantisper vestibus efficere nequeat, ut Sacerdos accipere possit, vel potius ex vestibus immittere super corporale extensum super scabellum. Si non: ipsa mulier accipiat, & ponat super corporale, tuncque Sacerdos ipsam communitet, & mulier digitos suos laver, aquâ deinde in piscinam projectâ. Si solus Sacerdos advertat, parvum fragmentum in sinum ipsius incidisse, ne causet ipsi notabilem turbationem, & adstantibus offensionem, nihil tunc dicat Sacerdos, sed totum committens Deo, pergat in ministerio suo. Deinde post modicum tempus, communicatis omnibus, in divinissimi Sacramenti reverentiam, caret illam vocari secretò, blandèque moneat, ne turbetur, sed adhibeat diligentiam inveniendi ut supra.

## CAPUT LXI.

*Sacerdos negare debet hoc Sacramentum pueris, nondum rationis usum adeptis, & amentibus à nativitate. Eam tamen per modum Viatici dare potest in amentiam & phrenesim lapsis post rationis usum, si absit periculum irreverentia, illudque petierint, dum ratione utebantur. Ubi etiam de surdis, mutis, caecis, & energumenis.*

- 781 Quoad pueros namque, rationis usum nondum adeptos, etsi olim Eucharistia daretur, Rituale Romanum jam dudum hoc inhibuit, tum ob defectum devotionis, tum ob periculum irreverentia.
- 782 Amentes verò à nativitate dictis pueris æquiparantur. S. Thomas q. 80. a. 9. Et propterea ipsi etiam dare vetuit Paulus V. in suo Rituali.
- 783 Si non semper amentes fuerint, sed in lucido rationis usu petierint, secluso periculo irreverentia Viaticum ipsis dandum, expressè statuit Concilium Cartag. IV. c. 48. Statuit & Rituale Romanum. Et quamvis expressè non petierint, si tamen aliquandiu piè christianèque vixerint, nec constet ipsos in statu malo in amentiam incidisse, in sua illa pia christianaque vita probabiliter censebuntur impetisse petisse, saltem si apparuit in eis hujus Sacramenti devotio. S. Thomas ibidem.
- 784 Extra mortis articulum, si quis notoriè amentis ingerat se in turbam communicantium, sicutat

que ad mensam Communionis in speciem devotè cum aliis, tamen Joannes Sancius in select. diff. 28. n. 9. dicat non prætereundum à Sacerdote, sed lucidum intervallum tunc præsumendum. Censeo equidem prætereundum, tum ad cavendum simul adgeniculationum scandalum ac perturbationem. Tum quia ex illa adgeniculatione, sine alio examine, lucidum intervallum non bene præsumitur: cum stulti frequenter simias agant.

Illis verò amentibus, qui non nisi per intervalla tales sunt, durante lucido intervallo non est dubium posse dari hoc Sacramentum. Sicut & in Paschate, & in mortis articulo semifatuis, qui infirmo quidem rationis usu fruuntur, tali tamen ut absolutionis sacramentalis sint capaces. Quibus tamen extra hæc tempora Tannerus censet raro distribuendum.

Quoad illos, qui à nativitate simul cæci sunt, muti & surdi: cum non videantur ullo modo posse edoceri res sacras, non videntur capaces hujus Sacramenti. Si cæci non sint, sed solum surdi & muti, multiplex experientia docuit, ipsos per signa edoceri posse, maxime cum esse soleant perspicacioris ingenii, atque ex multiplici observatione, collatione, reflexioneque eò frequenter perveniant, ut ad motum laborum aliavè signa intelligant quæ ipsis proponuntur, ut videre est in vita S. Francisci Saleii Dilingæ edita c. 22. ubi legitur, quòd cum talem hominem, Dei & divinorum mysteriorum penitus ignarum, nactus esset vir sanctus, sibi domesticum factum, patientiâ & charitate mirabili, nutibus & signis docuerit illum fidei mysteria, & quomodò ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta accedendum foret, ita ut ipsi à Confessionibus ipsemet esse voluerit. Talibus proinde neganda non est Communio, si judicio & arbitrio prudentis Confessarii probabilis dent signa devotionis erga illam. Videri possunt Diana p. 5. tr. 6. resol. 7. Layman. Theol. Moral. I. 5. tr. 4. c. 4. n. 5. Palao p. 4. tr. 21. puncto 10. n. 9.

Energumens hoc Sacramentum olim negabatur ob decentiam. Postea à Concilio Arauf. I. can. 14. ipsis concessum fuit, modò irreverentiæ periculum abfuerit.

## CAPUT LXII.

*Peccatoribus publicis, sive publicè, sive occultè peccantibus, Sacerdos negare debet Communionem, nisi sufficientia dederint signa penitentia, eaque publica, si publicè petant. Occulto verò peccatori, publicè peccanti, Sacerdos negare non potest.*

Utraque pars assertionis constat ex dictis lib. 1. c. 18. Publicis proinde adulteris, concubinariis, infamibus, meretricibus, usurariis, mulieribus ornatu lascivo incedentibus, vel nudato sinu publicè se ad Communionem præstantibus, deneganda est Communio. Sicut & omnibus, quorum gravia peccata per majorem loci partem innoverunt per evidentiam facti, vel per publicam sententiam Judicis, vel per publicam & manifestam de iis jaçantiam: tamen aliqui fortè in loco, ubi Communio distribuitur, peccatum ignorent.

Si tamen ille, cujus crimen uno loco publicum est per sententiam Judicis, sive notorium notoritate juris, publicè petat in loco diffito, ubi publicum non est, probabile est Communionem ipsi non negandam. Tum quia fortè homo ille est emendatus: ad quod multum facilitare solet mutatio loci. Tum quia ex tali repulsa videntur nata sequi inconventia & scandala, quæ nata sunt sequi ex publica repulsa peccatoris occulti.

Addit Concilium Mediol. V. I. anni 1582. tit. 794



de Sacram. Pœnit. Incunte in vrbis Quadragesimâ Episcopus quàm diligentissimè investigabit, si qui vel in urbe, vel in Diocesi sint, qui opera carnis sectantes, turpiter vivant, si qui item odia & inimicitias exercent, si qui alii denique, qui in aliqua peccandi consuetudine jaceant. . . nec verò antequam ipse perpererit, istos ab ea male agendi via recessisse, ac publicas offensiones præcidisse, permittat (etiamsi testimonium Confessarii adferant) ne in Paschali quidem celebrata sacram Communionem eis ministrare; quin imò illam tamâris differre jubeat, quoad eorum veram vitæ emendationem Episcopus cognoverit.

## CAPUT LXIII.

*Eucharistia non solum est Sacramentum, sed & verum & propriè dictum sacrificium.*

791 **E**st de fide, definitum in Tridentino sess. 22. c. 1. & can. 1. Et probatur 1<sup>o</sup>. ex Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & manus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus. Magnificis namque hiæce verbis nihil aliud ibi prædictum dici potest, nisi sacrificium Eucharisticum, quod in Missa celebratur. Nam Deus asserit se legis antiquæ sacrificia repudiaturum & reprobaturum, atque in lege nova aliud institutum, quo hostia pura & sancta in toto orbe terrarum sibi sacrificabitur. Illud verò sacrificium aliud esse non potest nisi Eucharisticum. Neque enim crucentum crucis sacrificium dici potest ibi prænuntiatum; utpote in solo Calvariæ Monte oblatum, non in omni loco ab ortu solis usque ad occasum. Nec certe hebraica vox *mincha*, quâ afflante Spiritu) usus est Propheta, significat crucentum crucis, sed incruentum Missæ sacrificium. Siquidem *mincha* sacrificium erat farinæ & panis, ut videre est Levit. 2. cumque hujusmodi sacrificio færeo quotidie libabatur vinum in jugi sacrificio Agni, ut videre est Exodi 29. v. 40. Sieque per sacrificium illud farris & vini optimè adumbratum sacrificium Eucharisticum, quod offertur sub speciebus panis & vini.

792 Et idè proprietatem illam Malachiæ de Eucharistico novæ legis sacrificio meritò intellexerunt sancti Patres passim omnes, Justinus in Dialogo ad Tryphon. Irenæus l. 4. adversus hæreses c. 32. Tertullianus l. 3. contra Marcionem. Cyprianus l. 1. contra Judæos c. 16. Eusebius Cæsariensis l. 1. de demonstrat. c. ult. Chrysostronus in Psal. 95. Hieronymus in illum Malachiæ l. cum. Augustinus 19. Civit. 25. & alibi sæpè. Damascenus l. 4. fid. orthod. c. 14. Justinus dumtaxat, & Irenæi, & Augustini verba referam: *De sacrificiis à vobis (Judæis) olim oblatis (verba sunt Justinus) Deus, sicut supra dixi, per Malachiam. . . ait: non est voluntas mea in vobis. . . De nostris verò Gentium, que in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, jam tum locutus, prædixit nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.*

793 Irenæus: *Eum (inquit) qui ex creatura panis est acceptus, & gratias agit, dicens, hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. . . de quo in duodecim Prophetis Malachiæ præsignificavit: non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, &c. (ut supra) manifestissimè significans per hæc, quoniam prior*

quidem populus cessavit offerre Deo. *Omni autem loco sacrificium offertur Deo, & hoc purum, &c.*

Augustinus Prophetam ibi prædicere dicit, *refaturas victimas*, quas in umbra futurorum offerrebant Judæi; & unum sacrificium à solis ortu ad occasum, sicut jam cernimus, oblaturas Gentis.

2<sup>o</sup>. idipsum probatur ex Hebr. 9. *Christus factus est Pontifex in æternum, secundum ordinem Melchisedec.* Quare secundum ordinem Melchisedec? Omnes unanimiter Patres, rationem esse dicunt, quia sicut Melchisedec panem & vinum obtulit in sacrificium: sic Christus Dominus in ultima cœna æterno Patri in sacrificium obtulit corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini. Ita Cyprianus l. 2. epist. ad Cæcil. Ambrosius l. 5. de Sacram. c. 1. Hieronymus epist. ad Marcellam. Augustinus l. 1. contra advers. leg. & Proph. Et l. 4. de doctr. Christi c. 21. ubi sic: *Quis magis Sacerdos Dei summi fuit, quàm Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & hoc idem quod Melchisedec obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.*

3<sup>o</sup>. probatur ex ipsamet institutione sacratissimæ Eucharistiæ, prout ab Evangelistis refertur Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. & ab Apostolo 1. Cor. 11. Ex istis quippe locis constat, Christum Dominum panem & vinum consecrasset, & transubstantiale in corpus & sanguinem suum; nec magis dubium, Patri æterno tunc obtulisse, & sacrificasse, tamen verba ista non usurpaverit, *offero, sacrifico*, quàm corpus & sanguinem suum æterno Patri obtulerit & sacrificaverit in cruce; tamen nec tunc verba ista usurpaverit. Nec certè veteris Testamenti Sacerdotes eâ verborum formâ in suis sacrificiis usi sunt, *offero, sacrifico*; vera nihilominus sacrificia obtulerunt. Cùm ergo constet verba ista ad verum sacrificium offerendum necessaria non esse, nihil certè quod ad sacrificii rationem pertinet, in ultima cœna Christus omisit, magis quàm in cruce. Tam verè igitur sacrificavit in cœna, quàm in cruce. Nam quia ex una parte exemplum Melchisedec, & sacrificii ab eo oblatis, à Christo reipsâ completum non fuit in cruce; ex alia parte per sacrificium crucis, & mortem, sacerdotium ipsius extinguendum non erat: in cœna novissima, quâ nocte tradebatur, aliud instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedec (id est adumbratum & significatum per sacrificium Melchisedec, qui sacrificavit proferens panem & vinum) quod post mortem suam in æternum, id est ad finem usque mundi permaneret, quodque ipse, tam per Apostolos suos, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes instituit, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*, quàm eorum in sacerdotio successores, tamquam Vicarios suos & Ministros, ipse tamquam principalis offerens semper offerret. Sic enim Catholica Ecclesia semper intellexit. Sic Andreas Apostolus practicavit, ut fidem faciunt verba ipsius relata à Presbyteris Achaïæ in actis Passionis ipsius: *Coram circumstante multitudine effatus est: ego Agnum immaculatum in altari quotidie offero, cujus carnes postquam omnis populus credentium manducavit, Agnus qui manducatus est, integer perseverat.* Sic etiam reliquos Apostolos, eorumque proximos successores practicasse constat ex antiquissimis Liturgiis Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostromi. Unde & à primis Ecclesiæ temporibus historia & vitæ primorum Pontificum Romanorum fidem faciunt, fuisse altaria, Sacerdotes, Episcopos, à quibus Sacerdotes ordinabantur. Sic denique habemus ex Traditione omnium Patrum, Græcorum & Latinorum, tum primorum, tum sequentium sæculorum (quorum complures fuerunt Christi & Apostolorum temporibus propin-



qui, ac proinde historiam Evangelicam probe callebant) videlicet Iustini Martyris in Dialogo supra relato, Irenæi l. 4. contra Valentium c. 32. Tertulliani lib. ad Scapulam c. 2. Cypriani l. 2. epist. 3. Eusebii Cæsariensis l. 1. Evangelic. demonstr. c. ult. Gregorii Nysseni orat. 1. de festo Paschæ, Basilii l. 2. de Baptismo in respons. ad q. 2. Ambrosii lib. 4. de Sacram. & lib. 1. de Offic. c. 48. Cyrilli Hierosol. Catech. mystag. 5. Cyrilli Alexandrini anathemat. 2. & in postrema ad Nestorium epistola. Augustini 10. Civ. 20. & lib. 22. c. 10. Et lib. 9. Conf. c. 3. Chrysostomi hom. 61. ad pop. Antioch. & hom. 24. in 1. ad Corinth. Gaudentii Brixienfis Episcopi serm. 2. ad Neophytos, &c. Ecclesiæque & omnes Christianæ Nationes, Orientales & Occidentales, semper ita crediderunt, & unanimi consensu tamquam veritatem Catholicam semper receperunt, prout innumeris testimoniis invictè probat liber aureus de perpetuitate fidei, sicut & defensio illius. Quod autem apud tam multos, in tot aliis ab invicem diffidentes, unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Quodque tam unanimi tamque constanti omnium Patrum, omniumque Christianarum Nationum consensu contrarium invenitur, non potest esse dogma Catholicum, utpote singulare & novum, Catholicæque traditioni & perpetuæ omnium populorum Christianorum fidei contrarium.

## CAPUT LXIV.

*Hæreticorum objecta dissolvuntur.*

797 **O**bjiciunt 1. *Unâ oblatione* Christus consummavit in æternum sanctificatos. Hebr. 10. Sed ibi per unam oblationem, intelligitur oblatio crucis. Unicâ ergo crucis oblatione Christus consummavit in æternum sanctificatos. Ergo opus non est aliâ oblatione, nec sacrificio.

Respondeo 1. *sententiam* Apostoli esse, quod quia sub priori Testamento, ut Apostolus ait ibidem c. 7. propter Levitici Sacerdoti imbecillitatem, consummatio non erat, oportuit Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedec exurgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui possit omnes quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectionem adducere. Quod unâ oblatione Christus præstitit, sed duplici modo factâ, modo scilicet cruento in cruce, incruento in cena. Una quippe eademque est oblatio crucis & cenæ, quoad rem principaliter oblatam, quæ est unus & idem Christus. Quâ quidem oblatione, cruento modo factâ, consummavit in æternum sanctificatos quoad virtutis sufficientiam: utpote per quam obtulit sufficiens, imò superabundans pretium redemptionis generis humani; sed quia virtus cruenti illius sacrificii nobis non applicatur immediatè per septimam, sicut ultra cruentum illud sacrificium requiritur baptismus, fides, spes, charitas, per quæ virtus illius sacrificii nobis applicetur ad peccatorum remissionem, & justificationem; sic etiam requiritur incruentum Missæ sacrificium, per quod eadem virtus nobis applicetur ad sanctificationem. Quod tamen (ut dixi) non est aliud & aliud sacrificium quoad substantiam, sed quoad modum dumtaxat. Nec incruentum idem requiritur, quasi novum pretium & nova redemptio generis humani, sed quasi applicatio pretii per sacrificium cruentum perfoluti. Unde

798 Respondeo 2. *distinguendo* consequens: opus non est aliâ oblatione quoad substantiam, concedo: quoad modum, subdistinguo. Non est opus aliâ oblatione tamquam præstante novum pretium

redemptionis nostræ, concedo. Tamquam applicante pretium per sacrificium crucis prælitum, nego.

Objiciunt 2. *In nova lege* unicus est Sacerdos, Jesus Christus, secundum illud Hebr. 7. In veteri lege alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem (Jesus) est quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum. Ergo Christus in nova lege alios à se non instituit Sacerdotes.

Respondeo consequens esse verum de Sacerdotibus principalibus, in sua persona, suo nomine, propriâque autoritate sacrificantibus. Hoc enim sensu Christus in nova lege unicus est Sacerdos principalis, in sua persona, suo nomine, propriâque autoritate sacrificans; sed quia Christus voluit, post mortem suam, visibile sacrificium in Ecclesia sua permanere, quo cruentum sacrificium crucis representaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus, in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur (inquit Tridentinum sess. 22. c. 1.) idèd plures esse voluit Sacerdotes ministeriales, non ipsi succedentes; sed ipsi instrumentaliter ministrantes, per quos ipse, tamquam unicus Sacerdos principalis, sacrificaret. Sicut enim ipse est, qui principaliter baptizat, & consecrat per Sacerdotes, tamquam Vicarios suos & Ministros; sic ipse est qui per eosdem principaliter sacrificat. Quod enim Sacerdotes faciunt, in persona ipsius faciunt, non sua, ipsiusque, non suo nomine & autoritate.

Objiciunt 3. *Non apparet* quomodo sacrificium, quod vocamus Eucharisticum, sit verum sacrificium; quandoquidem nulla in eo appareat peremptio seu destructio victimæ. Neque enim panis & vinum sunt victimæ illius sacrificii, sed ipsæmet Christus secundum nos. Sic enim Patres. Sic Tridentinum his verbis: *In divino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.*

Respondeo negando antecedens. 1. *quia* ad rationem sacrificii non requiritur destructio principalis victimæ in se, sed vel in se, vel in aliquo adjuncto (ut aliquibus placet) & ostenditur in sacrificio Abraham, in quo Isaac mactatus non fuit, sed aries in locum ipsius substitutus; necnon in sacrificio duorum passerum, vel hircorum, de quo Levit. 14. quorum uterque unam moraliter constituebat victimam; uterque tamen non jugulabatur, sed unus dumtaxat, alter verò peccatis populi onustus dimittebatur. Ergo vera sacrificii ratio non exigit, ut quidquid in se offertur in sacrificium, in se destruat. Christus verò licet non destruat in se, destruitur in adjuncto pane, vel vino.

2. *quia* ad rationem sacrificii saltem non requiritur physica victimæ destructio, sed sufficit moralis; in eo consistens, quod victimam ponatur in statu, in quo servire amplius non potest ad priores usus, vel ponitur in statu destinato ad destructionem. Siquidem effusio vini in terram, facta ad honorem Dei à legitimo Ministro, cum aliis circumstantiis ad sacrificium requisitis, in veteri lege, dicebatur libatio, & per effusionem illam vinum dicebatur sacrificari, tamen physicè & substantialiter non destrueretur, sed solum redderetur inutilis ad potationem, ponereturque in statu tendente ad corruptionem. Hoc autem modo Christus in sacrificio Eucharistico verè sacrificatur; tamen physicè & substantialiter non destruitur: quia equidem ponitur in statu destinato ad esum & potum, per quem licet non deinat esse absolute,



absolutè, sed integer perseveret, definit tamen in esse Sacramenti: nec in eo statu corpus Christi ( licet animatum ) seipsum naturaliter movere potest, nec agere in corpora extrinseca.

## CAPUT LXV.

*Sacrificium Eucharisticum in ultima cœna  
Christus instituit.*

802 **P**atet ex dictis capite precedenti, atque optimè explicat Concilium Senonense anni 1524. Decreto II. de sacrificio Missæ: *Porro etsi Christus, assistens pro nobis Pontifex, non per sanguinem vitulorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ: negari tamen non potest Sacros in æternum, secundum ordinem Melchisedech, ac proximo, ejus exemplo, sacrificium aliquod obtulisse, quod exteriori panis & vini formâ veteri illi Melchisedech oblationi responderet; erat enim Sacerdos Dei altissimi. Quod utique fecit in supræmilla cœna. Nam accepto pane gratias egit, & fregit, deditque discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; & ab Evangelicis Sacerdotibus jurgi observantiâ præcepti iterari: hoc facite in meam commemorationem. Hoc enim holocaustum, hæc vitima pro peccato, hæc hostia pacifica, hoc jus sacrificium, hæc munda oblatio, quam in omni loco Malachias prædixit offerendam, cum dixit, quod repudiatis legis antiquæ caeremoniis, ab ortu solis usque ad occasum, magnum esset nomen Domini in Gentibus.*

## CAPUT LXVI.

*In sola utriusque speciei consecratione consistit  
essentia sacrificii Eucharistici.*

803 **S**unt qui putant rationem sacrificii Eucharistici absolvi in sumptione seu Communione. Alii in consecratione & sumptione simul. Alii superaddunt oblationem. Sed assertio nostra est sancti Thomæ q. 82. a. 10. in corpore, & ad 1. & q. 83. a. 4. ubi dicit, Sacerdotem per illa verba: *supra quæ professio, &c.* ( quæ Sacerdos dicit statim post consecrationem ) petere ut sacrificium peractum, sit acceptum Deo. Et probatur 1.º quia non consistit in oblatione expressa & vocali, distincta à consecratione; neque in sumptione seu Communione. Igitur in sola utriusque speciei consecratione. Probatur prior pars antecedentis, quia talis oblatio nullibi præscripta legitur in sacrificiis veteris legis; imò ne Christus quidem eam fecisse legitur in sacrificio crucis. Igitur non est de ratione sacrificii.

804 Probatur etiam posterior pars, quia de omnibus sacrificiis legis aliquid non comedebatur ( ut patet in holocausto, quod totum comburebatur, & vino, quod in terram effundebatur ) nec comestio requiritur ad salvandam destructionem, in ratione sacrificii requisitam, prout n. 801. & 803. vidimus; nec Christus, cruentus in cruce immolatus, comestus fuit; nec satis constat, an in ultima cœna seipsum comederit. Id enim licet non negemus, imò cum Hieronymo affirmemus, non legimus in Evangelio. Neque id ex traditione habetur. Et tamen sacrificium integrum certissime perfecit.

805 Probatur 2.º quia Christus dicendo, accipite & comedite, *hoc est corpus meum*, accipite & bibite, *hic est sanguis meus*, &c. sacrificium obtulit; & addendo: *hoc facite in meam commemorationem*, Apostolos novæ legis Sacerdotes instituit, prout Tridentinum definit sess. 22. c. 1. sed hoc totum dixit ante sumptionem: ergo sacrificium obtulit, & Apostolos Sacerdotes instituit, Tom. III.

ante sumptionem. Deinde Gregorius Nyssenus orat. 1. de Christi Resurrect. *Pilati sententiam* ( inquit ) *consilio suo anteverit, & arcano sacrificii genere... seipsum pro nobis hostiam offert... Quando id præstitit? Cum corpus suum discipulis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc (igitur ante sumptionem) aperte declaravit, Agni sacrificium jam esse perfectum* ( exhibendo scilicet corpus suum, licet animatum, idoneum ad edendum, & sanguinem idoneum ad bibendum, sequitur enim ) *nam victima corpus nec est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana & non aspectabili ratione corpus erat immolatum.* Ecce Nyssenus assertionem nostram perspicue docet, & destructionem in hoc sacrificio requisitam explicat uti nos suprâ n. 801.

Ante Nyssenum Irenæus l. 4. c. 32. sacrificii rationem in consecratione positam satis aperte declaraverat, dicens: *Discipulis suis dant consilium offerendi... eum qui est ex creatura panis, accipit, & gratias agit, dicens: hoc est corpus meum. Et calicem similiter... suum sanguinem confessus est, & sic novi Testamenti docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens offert Deo in universo mundo.*

3.º in consecratione Eucharistiæ tria fiunt, in quibus sacrificii veri & realis ratio consistit. Primum res profana fit sacra. Panis enim, res alioqui terrena & communis, per consecrationem vertitur in corpus Christi, & vinum in sanguinem, rem utique omnium sacratissimam. Secundò in consecratione res illa, sacra ex profana effecta, Deo offertur, dum super altare Dei collocatur. Nam victimam in altari per verba consecrationis ponere, est reipsâ illam Deo offerre. Ipsa namque consecratio ex Christi institutione oblatio est Deo facta, & Sacerdos intendens facere quod Christus fecit per consecrationem, eo ipso offert Deo rem consecratam, utpote quam Christus tanquam principaliter consecrans eo ipso principaliter offert. Tertio, per consecrationem res quæ offertur ad veram, realem & sensibilem mutationem & destructionem ordinatur, dum ad etum & potum destinatur. Atque hoc pacto non deest hæc moralis destructio, sufficiens ad rationem sacrificii: maxime cum ipsi quoque addatur realis & substantialis destructio in adjuncto, sive in pane & vino, ex quibus Christi corpus & sanguis efficiuntur, & accipiunt formam cibi & potus.

Denique in ea actione posita est essentia sacrificii Eucharistici, quæ maxime fit in persona Christi; quandoquidem Sacerdos, dum sacrificat, sic agit in persona Christi, ut ipse Christus sit principalis sacrificans. Sed consecratio est quæ maxime fit in persona Christi. Quia in consecratione sic loquitur Sacerdos, quasi etiam ipse Christus. In sumptione verò Sacerdos non agit in persona Christi: quamvis enim se tradat ad edendum & bibendum, sicut se tradidit ad cruciendum; ipsa equidem comestio non magis fit in persona ipsius, quam crucifixio: neque enim Christus est qui principaliter manducat, neque manducatio fit nomine ipsius, sed proprio nomine Sacerdotis, tanquam principalis manducantis. Ea quippe sola fiunt in persona Christi, tanquam principalis agentis, in quibus Christus est qui principaliter agit per hominem, tanquam Vicarium, Legatum & Ministrum suum, vice ipsius agentem. Dum verò Sacerdos Eucharistiam sumit, Christus non est qui principaliter sumit per Sacerdotem, tanquam Vicarium, Legatum & Ministrum suum, vice ipsius fumentem. Ergo sumptio non fit in persona Christi.

Consecratio verò utriusque speciei idè est de essentia sacrificii, prout à Christo institutum est, quia ex Christi institutione expressam repræsentat.



tionem exhibere debet sacrificii cruenti in cruce peracti, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*. Consecratio verò solus panis non exhibet representationem expressam sacrificii cruenti; sed ad hoc addenda est consecratio vini. Dum enim panis & vinum seorsim consecrantur, quantum est ex vi verborum corpus ponitur separatum à sanguine, & sanguis separatus à corpore (prout in cruce sanguis extitit separatus à corpore, & corpus separatum à sanguine) sicque utraque consecratio exhibet expressam representationem cruenti sacrificii. Et quidem sanguis seorsim consecratus expressius passionem Christi representat, juxta illud S. Thomae q. 78. a. 3. ad 7. *Sanguis, seorsim consecratus à corpore, expressius representat passionem ipsius Christi*. Et ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi, & fructu ipsius, quam in consecratione corporis.

- 810 Cæterum etsi sumptio non sit de essentia, est tamen de integritate sacrificii Eucharistici, & de necessitate præcepti divini, idèque Ecclesia usque adèd sollicita est ut consecratio sine sumptione non fiat, ut si Sacerdos post consecrationem deficiat, velit ab alio Sacerdote, tametsi non jejunio, Communionem & Missam peragi: nimirum ut impleatur præceptum divinum, & sacrificium sit integrum, sive habeat omnes partes suas, nedum essentiales, sed & integrales. Quo sensu Concilium Toletanum can. *relatum de Consecr. dist. 2. Quale (inquit) erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?*

## CAPUT LXVII.

*Sacrificium Eucharisticum, seu Missæ, non solum est læteticum & regratiatorium, sed & propitiatorium, & impetratorium pro vivis & defunctis.*

- 811 **E**st de fide contra modernos hæreticos, quibus anathema dicit Tridentinum sess. 22. c. 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse læteticum, aut gratiarum actionem, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium, vel solum prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, penis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*
- 812 Enimvero si sacrificia veteris legis fuerant non solum læteticæ & regratiatoria, sed & propitiatoria & impetratoria pro vivis (ut patet ex Levit. 4. & 7.) atque etiam propitiatoria pro defunctis, ut constat ex 2. Machab. 12. quanto magis excellentissimum sacrificium novæ legis, per quod Deo præstantissimus exhibetur cultus, quodque infinite magis valet ad gratiarum pro beneficiis acceptis actionem, ad novorum beneficiorum impetrationem, atque ad propitiationem, quam vetera illa sacrificia, quæ hujus nonnisi umbra fuerunt?
- 813 Libro 2. Machab. c. 12. Judas Machabæus legitur jussum offerri pro militibus occisis sacrificium. Et additur: *sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*. Et reverà esse peccata, quæ in hoc sæculo non soluta, solvantur in futuro, libro sequenti probabitur ex Evangelio. *Sed est nusquam in Scripturis omnino legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, inquit Augustinus lib. de cura pro mortuis. Legitimus autem testimonis demonstratur istam fuisse perpetuam & universalem Ecclesiæ consuetudinem, ab Apostolorum tempore, pro defunctis orare, & sacrificium altaris offerre. Id enim testantur antiquissimæ Liturgiæ Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, &c.*

Testantur & Patres omnes. Dionysius de ecclesiæ Hierarch. c. 7. dicit suffragis viventium defunctos juvari, narratque morem primitivæ Ecclesiæ orandi pro ipsis. Tertullianus de corona militis c. 3. *Oblationes (inquit) pro defunctis annuâ dæ facimus*. Cyrillus Hierosol. Catech. mystag. 5. *Regamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus... pro omnibus qui inter nos vitam sanctam sunt, maximum esse credentes animarum servamen, pro quibus offertur precatio Sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii*. Testatur & Augustinus verbis relatis addens, quod consuetudo ad altare orandi pro mortuis, ab Apostolis inchoavit. *Idem tradit Damascus, in quodam sermone de suffragiis mortuorum, sic dicens: mysterium conficit discipuli Salvatoris, & sacri Apostoli, in tremendis & vivificis mysteriis memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt, sanxerunt. Non temerè ab Apostolis hæc sancta fuerant (ait Chrysostomus hom. 69. ad pop. Antioch.) ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sacrificium (ait Ildorus l. de Offic. Eccles. c. 18.) pro defunctorum fidelium requie, vel pro eis orare, quia per totum hoc Orbem custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit.*

Atqui vacare, id est in vacuum credere, non potest, quod universa pro defunctis orat Ecclesiæ, ait S. Paulinus apud Augustinum loco citato. Et Augustinus ipse l. 4. de bapt. contra Donatist. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesiæ, semperque tenuit, nec Concilii institutum, sed semper retentum est, nonnisi ab auctoritate Apostolica traditum certissime creditur*. Idèque instantissima instantia est dicit redarguere, quod universa per Orbem frequenter & semper frequentavit Ecclesiæ.

Augustino consentit Epiphanius hæresi 75. illud Ecclesiæ ritum commemorans, & nullissimum esse ostendens, testaturque, quod Ecclesiæ traditum sibi ritum illum à Majoribus accepit. *Potesne verò quisquam maternam sanctionem, aut legem Patris evertere? Quemadmodum à Salomone scriptum est: audi fili sermones Patris tui, & ne dimittas legem Matris tue. Quibus Patrem, hoc est unigenitum Deum, cum Spiritu sancto declarat, partim scripto, partim sine scripto docuisse. Matrem verò nostram Ecclesiam decreta quadam habere penes se, quæ dissolvi everteque nequeunt. Quibus quicquid contradixit, semper hæreticus habitus est. Cujus exemplum idem Epiphanius in hac ipsa materia ponit in Actio, qui (ut narrat in Anacephaleosi sua) olim damnatus fuit ut hæreticus, eò quod negaret sacrificium pro defunctis esse offerendum.*

Si petas an Missæ sacrificium, pro animabus purgantibus oblatum, habeat effectum infallibilem, atque ex opere operato respectu animarum pro quibus offertur?

Respondeo (cum Cajetano opusc. 1. tr. 16. Melchioro Cano, Dominico Soto & aliis) negativè, sed effectum pendere ab acceptance divina. Deus autem pro illis dumtaxat animabus Missæ sacrificium oblatum acceptat, illisque prodesse vult, quæ in hac vita meruerunt, ut hoc sibi post mortem prodesse possent, ut Augustinus docet Enchirid. c. 110. *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro his sacrificium Mediatoris offertur, vel elemosyna in Ecclesiæ sunt. Sed hæc eis profunt, qui, cum viverent, hæc sibi ut postea prodesse possent, meruerunt. Illud autem meritum specialiter comparant animæ illæ (ajunt laudati Doctores) quæ multum in vita sollicitæ fuerunt ad satisfaciendum pro suis alienisque peccatis, habueruntque specialem devotionem ad Ecclesiæ claves, suisque suffragis pro posse fidelibus defunctis conata sunt prodesse.*



## CAPUT LXVIII.

## CAPUT LXIX.

*Sacrificium Eucharisticum, seu Missa, tamen si ex parte primarii offerentis, reique principaliter oblati, sit valoris infiniti; effectus tamen ipsius, tam ex opere operato, quam per modum impetrationis, est simpliciter finitus.*

818 **R**atio prioris partis est quia tam Christus ipse, quam omnes Christi actiones sunt infiniti valoris.

819 **R**atio posterioris partis potissimum petitur ex Christi voluntate & institutione, sive ex eo quod talis est ordo & dispositio divinæ providentiæ, quæ nobis innotescit ex communi usu universalis Ecclesiæ, communicæ sententiæ fidelium, qui (ut sapienter observat Cardinalis Bona in scriptis suis aſceticis de Missa §. 4.) *plura pro se, & suis sacrificia offerri curant. Quod certe non facerent, si infinitam in singulis efficaciam agnoscerent. Possent etiam Sacerdotes unico sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere: quod Ecclesiastica vetant Decreta. Frustra pro uno defuncto tot multiplicarentur sacrificia: quia unum sufficiens esset, ad omnes animas liberandas. Missa denique cuiuslibet Sacerdotis sacrificium Christi in cruce aquaret: quod ideo unicum fuit, quia valoris infiniti. Neque considerandum est id quod in sacrificio continetur, tamquam ens quoddam naturale, agens secundum summum gradum virtutis suæ, sed ut ens liberum, cuius operatio tantam habet efficaciam, quantum habere vult ipsum agens principale, Christus Redemptor noster, qui hoc incremento sacrificio vult nobis applicari finitum tantum & limitatum fructum suæ Passionis.*

820 **P**orrò effectus, seu fructus, & gratiæ quæ ex Missa sacrificio in nos derivantur, derivantur primordialiter ex meritis Passionis & mortis Christi. Ideo namque Christus dicitur unâ crucis oblatione consummasse sanctificatos, quia ab illa derivatur omnis gratia, omnique sanctificatio nostra, ita ut cætera, per quæ fructus sacrificii crucis nobis applicatur, non sint prima origo gratiarum, sed veluti canales, per quos gratiæ ex meritis sacrificii crucis in nos defluunt. Quod etiam de incremento Missæ sacrificio verum est. Nec mirum: cum Christus, upote jam exiens extra statum merendi & satisfaciendi, amplius non mereatur, nec pro nobis amplius satisfaciatur. Torum ergo meritum, & tota satisfactio, quæ per Missæ sacrificium vivis & defunctis applicantur, primordialiter ex morte Christi derivantur.

821 **E**t idem Tridentinum, postquam sess. 22. c. 2. dixit, *sacrificium istud (Missa) verè propitiatorium esse, per ipsum fieri, ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia contriti ac penitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum penitentia concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversa. Addit: cuius quidem oblationis eruenta, inquam, fructus per hanc incrementam uberrimè percipiuntur. Et idem tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur (prout heretici garrunt) quandoquidem fructus, qui per hoc incrementum sacrificium derivantur, fructus sint sacrificii eruenti.*

*Notabilia de applicatione fructus sacrificii Eucharistici.*

**T**amen si ergo constat, per Missæ sacrificium, 822 sacrificii eruenti nobis applicari fructum, sine dubio infinitum quoad sufficientiam (ed quod infiniti pretii sit, Deoque infinite placens hostia, quæ æterno Patri, imò toti SS. Trinitati offertur, cum sit Christus ipse, simul victima & offerens; infinitum quoque meritum mortis Christi, quod per idem Missæ sacrificium nobis applicatur;) disputant nihilominus Doctores Scholastici circa modum quo fit applicatio ista, & circa personas quibus fit ista applicatio; nec aliquid circa hoc cum omnimoda certitudine possumus asserere: cum enim hoc non inveniamus à Patribus examinatum, ex traditione colligere non possumus aliquid omnino certum.

823 **U**t tamen statuamus aliquid, quod nobis apparet verum, distinguendi sunt varii Missæ sacrificii offerentes. Offert enim illud Christus, offert Ecclesia, Sacerdos offert, & cum Sacerdote fideles, præsertim circumstantes, plerumque offerunt. Quantum ad Christum & Ecclesiam, offerunt illud pro tota Ecclesia, & subinde Ecclesia aliquos specialiter commendat, v. g. neophytos tempore Paschali. Tamen verò oblatio ista Christi & Ecclesiæ Deo haud dubiè gratissima sit; nihilominus determinatio fructus inde in Ecclesiam redundantis, & modus quo redundat, soli Deo cognitum sunt.

824 **D**e fidelibus illud cum Sacerdote offerentibus non est dubium, tantò plus & facilius participare de fructu, quantò sanctius & devotius illud Deo offerunt.

825 **D**ifficultas proinde vel tota, vel præcipua est de Sacerdote offerente, & fructu quem recipiunt illi, pro quibus offert. Circa quod duo certa sunt. Primum posse Sacerdotem pro aliquibus specialiter offerre; sive sacrificii fructum applicare, prout traditio, Ecclesiæque sententia & usus ostendit. Secundò, abique comparatione majoris efficaciam esse Sacerdotem ad aliquid à Deo obtinendum, dum mediante hoc sacrificio illud rogat, quam dum extra altare rogat. Quia sacrificium quod offert, & per quod inter Deum & hominem intercedit, valet ex opere operato, id est ratione dignitatis, tum rei oblatae, tum principalis offerentis, ultra valorem & meritum orationum & bonorum operum Sacerdotis, quamlibet iusti & sancti.

826 **Q**uotidiana nihilominus experientia docet, à Sacerdote non semper obtineri quod per huius sacrificii oblationem postulat, tamen res Deo gratissima sit quam postulat, ut conversio huius vel illius peccatoris, liberatio ab his vel istis vitis, impetratio huius vel illius virtutis: sive id contingat propter obicem, inventum in eo pro quo postulat (ut dum postulat liberationem animæ Purgatorii, quæ in vita non meruit, ut oblatum pro se sacrificium post mortem sibi prodesset) sive quia pro se postulat hanc v. g. vel illam virtutem, sed non tantum, nec tali modo, quantum & quomodo rem tantam Deus vult postulari; sive ob alias rationes Deo notas, v. g. quia expedit bono ejus pro quo postulat non liberari à tali vel tali tentatione, vel vitio, ut demissè semper de se sentiat, & non incidat in periculosissimum elationis vitium, &c. Neque enim sacrificium hoc, ut impetratorium, operatur insalubriter, sed prout voluerit Deus, qui licet non semper requirat pium motum & devotionem ex parte specialis offerentis, vel ejus pro quo offertur, sed aliquando respi-



ciat merè in faciem Christi sui, & in preces Ecclesie; sæpè tamen pium illum motum & devotionem requirit, & vir sanctus, offerens sacrificium, sæpè impetrat, quod non impetrat alius.

827 Probabile tamen est (quod Doctores communis asserunt) hoc sacrificium (cujus oblatione placatus Dominus, gratiam & donum penitentiae concedens, crimina & peccata dimittit, ut Trident. sess. 22. c. 2.) ex opere operato infallibiliter præstare vivis & defunctis remissionem poenae temporalis pro peccatis adhuc debitæ, si in eo cui applicatur non inveniatur obicem; tamen quoad defunctos aliqui dissentiant. Cùm hoc sacrificium sit propitiatorium pro vivis & defunctis, nec ulla appareat ratio, cur illius pro vivis propitiatio sit potius infallibilis, quam pro defunctis. Probabile itaque est, sic à Christo institutum hoc sacrificium, ut portionem aliquam sacrificii crucis infallibili lege semper applicet illi, vel illis, pro quo, vel pro quibus offertur, si in illo vel in illis non inveniatur obicem, tamen in infallibilitate illa non omnes Doctores conveniunt. In eo tamen communiter conveniunt, quod quod pro pluribus offertur, cæteris paribus eò minus profit singulari. Quia sacrificii fructus ex præmissis est finitus. Finitus verò effectus quò in plures distribuitur, eò magis in singulis diminuitur. Idque S. Thomas confirmat in 4. d. 45. q. 2. a. 4. in argumento *Sed contra*: quia cum melius sit plures juvare, quam unum, si suffragium pro multis factum, tantum valetet singulis, ac si pro uno factum foret, videtur quòd Ecclesia non debuit instituisse, ut pro aliquo singulariter Missa & oratio fieret, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis. Quod patet esse falsum.

828 Illud etiam certum, multiplicique experientia comprobatur, quòd licet hoc sacrificium valeat ex opere operato, nec valor intrinsecus ipsius videtur per Ministrum malum; Sacerdos tamen bonus efficacius obtineat ea quae per hujus sacrificii oblationem à Deo postulat, quam quae postulat Sacerdos malus, vel etiam bonus extra sacrificium. Unde consilium semper est adhibere Sacerdotes bonos & probatos ad celebrandum, sive in ordine ad impetranda beneficia, sive in ordine ad satisfaciendum pro poenis debitæ, quam alios, qui non sunt integri & probata vitae. Quamvis enim ille, qui pro se curat sacrificium offerri, nunquam ex toto priverit fructu satisfactionis, propter indignitatem offerentis: uberius tamen fructum recipit ex oblatione Sacerdotis melioris. Et hoc idè, quia Deus ut plurimum requirit pium motum & devotionem offerentis ad uberius fructum conferendum. Unde experientia sæpè demonstravit, plus ad obtinendum uberem fructum valere sacrificium unius Sancti, v. g. Bernardi, quam multa sacrificia plurium Sacerdotum longè minoris virtutis ac sanctitatis. Unde Alexander Papa cap. ipsi 1. q. 1. *Quanto* (inquit) *digniores sunt Sacerdotes, tanto facilius pro quibus clamant exaudiuntur.*

829 Tandem observa sextuplicem fructum sacrificii Missae, utpote quod 1.º est *latenticum*, quia per illud utque adè laudatur & honoratur Deus, ut majorem laudem, seu honorem ipsi exhibere nequeamus, quam immolando ipsi unigenitum Filium suum. 2.º est *Eucharisticum*, in quantum per illud Deo reddimus dignissimam gratiarum actionem, tum pro aliis beneficiis, tum maxime pro beneficio redemptionis. 3.º est *commemorative* Dominicæ Passionis, incurtaque renovatio sacrificii crucis. 4.º est *propitiatorium*, quatenus peccata, etiam mortalia, remittit quoad culpam: hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum penitentiae concedens, crimina & peccata dimittit. Tridentinum sess. 22. c. 2.

5.º est *satisfactorium*, in quantum remittit poenas peccatis debitæ, applicando satisfactionem crucis sacrificii in cruce oblato. 6.º est *impetratorium*, quatenus valet ad impetrandum bona spiritalia, & gratia auxilia, quibus iusti à tentationibus præservantur, vel contra eas roborantur. Valet quoque ad impetranda vitæ temporalis subsidia, eisque incommoda avertenda.

Fructus porò propitiatoris, satisfactionis, & impetrationis est triplex; generalis, specialis, & medius. *Generalis* est, qui ex intentione Christi & Ecclesie ad omnes fideles extenditur. *Specialis*, qui provenit ipsi celebranti. *Medius*, qui ex applicatione, seu intentione & donatione Sacerdotis provenit illi, pro quo Sacerdos offert sacrificium.

Fructus illos sæpè reipsa ab invicem separari, sive unum sine alio obvenire, nemo est qui dubitet. Si enim ille pro quo offertur, sit in peccato mortali, prodest illi quoad vim impetrandi, non quoad vim satisfaciendi: quia, nondum remissa culpa, non fit remissio poenae. Possè etiam separari per intentionem celebrantis, negat quidem Vasquez; sed Henriquez, Coninck, Cardinalis de Lugo, & alii communiter docent. Cùm enim separabiles sint ex natura rei, non est cur separari nequeant ex intentione Sacerdotis: neque enim ostendi potest Christum aliter disposuisse, vel instituisse.

Non licet tamen Sacerdoti fructus illos separare, & unum uni, alterum alteri applicare, dum ex obligatione iustitiæ, v. g. accipere stipendio celebrat pro aliquo. Quia hoc ipso quòd Sacram alicui debitum est ex iustitia, debiti sunt omnes fructus, quorum est capax. Vasquez to. 2. in 3. p. disp. 171. n. 36. Bonacina de Sacram. d. 4. q. ult. p. 7. §. 7. n. 5.

At (inquis) cur obligatus ex stipendio vel beneficio, celebrare pro defunctis, non satisfacet ipsis applicando fructum satisfactionis, reservando sibi fructum impetrationis, cujus capaces non sunt defuncti?

Respondeo, quia verum non est animas defunctorum non esse capaces fructus impetrationis. Cùm sacrificium pro ipsis oblato valeat ipsis impetrare gratiam, quæ Deus exciet vivos, ut suis precibus & operibus satisfactoriis ipsis opem ferant. Gobat tr. 3. n. 154. contra Dianam p. 9. tr. 2. resol. 8.

Obligatum tamen ex sola obedientia ad celebrandum ad certum finem, v. g. propter successum alicujus negotii, vel in gratiarum actionem, Gobat n. 155. censet posse (v. g. ad liberandum animam à Purgatorio) applicare fructus, qui non cadunt sub finem intantum à Superiore, testaturque S. Franciscum Borgiam, Generalem Societatis, id rescriptisse anno 1564. Et rationem hanc affert, quia obligatio præcepti non extenditur ultra finem illius.

Et quia liberalis promissio sic interpretanda est, ut sit promittenti quam minime onerosa, n. 156. addit obligatum ex liberali promissione ad celebrandum pro duobus, uno Sacro satisfacere posse utrique, saltem si finis, ob quem promissit uni, differat à fine, ob quem promissit alteri. Sed per hoc non videtur sincerè satisfacere promissioni, sed promissarium utrumque decipere, qui fortè petierunt à te singuli fructum integrum, uti sacrificium integrum.

## CAPUT LXX.

Ostenditur pro quibus se vel non se licitum offerre sacrificium.

Imprimis in Concilio Bracarenensi secundo can. 16. prohibetur, ne pro iis qui violentam sibi



mortem intulerunt, ulla profus in oblatione commemoratio fiat. Refertur cap. placuit 23. q. 5.

837 Hoc tamen sic intelligitur, ut prohibita sit commemoratio publicè facta in aliqua Collecta. Neque enim videtur prohiberi in privato *Memento* commendare aliquem ex illis sub conditione, si foris ex inculpata amentia id fecerit, vel ante mortem verè poeniterit.

838 Secundò pro excommunicatis non toleratis Missam celebrare prohibitum est cap. à nobis 2. de sent. excom.

839 Tertio pro excommunicatis toleratis, Sotus, Avila, Petrus Ledesma, Covarruvias, Montefinus, Suarez, &c. negant sacrificium offerri posse. Sed Navarrus, alique plures contra sentiunt, fundantes se in praxi Ecclesiæ, quæ publicè pro illis orat in Parasceve. Saltem privato nomine suo Sacerdotem pro illorum conversione in *Memento* suo orare, & sacrificium, sicut alias orationes, privatim offerri posse, ex communi sententia Palao docet disp. un. p. 5.

840 Quarto pro infidelibus non excommunicatis, videlicet Paganis, Judæis, Turcis, aliisque infidelibus non baptizatis, licitum est sacrificium offerri, seu illis applicare vim impetrativam, quam habet, nomine Christi, ut ad fidem convertantur. Ita Bellarminus, Sylvius, Cardinalis de Lugo, Gonet, Wiggers, & alii communis, contra Sotum, Azorium, Vasquez, Palaum, &c. Cum id de se licitum & laudabile sit, nec ullibi ab Ecclesia veritum. Imò Judæi in lege veteri pro Gentilibus sacrificare soliti sunt, ut videre est l. 1. Eldra c. 6. pro salute Darii & filiorum ejus. L. 1. Machab. c. 12. pro Spartiatis. Ibidem l. 2. c. 3. pro Heliodoro. In nova verò lege 1. Timoth. 2. *Oportet* (inquit Apostolus) fieri obsecrationes... pro omnibus hominibus, pro Regibus, & qui in sublimitate sunt. Qui tunc Gentiles erant. Quod de obsecrationibus in Missa, & oblatione sacrificii quoad fructum impetratorum, plures Patres Græci & Latini interpretantur, ut videre est apud Suarez disp. 78. sect. 2. conclus. 3. & Bellarminum lib. 2. de Missa c. 6.

841 Si objicias Augustinum l. 1. de anima & ejus origine c. 9. dicentem: *Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis qui sunt membra Christi?*

Respondeo 1<sup>o</sup>. cum S. Thoma in 4. dist. 12. q. 2. a. 2. quæstione. 2. ad 4. offerri pro membris Christi, quando offeritur pro aliquibus, ut sunt membra Christi. Sic enim habet: *Eucharistia, in quantum est sacrificium, habet effectum etiam in aliis pro quibus offertur, in quibus non præexistit vitam spirituales in actu, sed in potentia tantum. Et ideo si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificii, à quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens peccata mortalia in eis delet; non sicut causa proxima (quomodo ea delent Sacramenta) sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat. Et quod in contrarium dicitur ex D. Augustino, "quis offerat corpus Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi?" intelligendum est pro membris Christi offerri, quando offeritur pro aliquibus, ut sunt membra.*

842 Respondeo 2<sup>o</sup>. Augustinum ibi loqui de infidelibus defunctis in infidelitate, & verum est generaliter de omnibus defunctis in peccato mortali, & de parvulis defunctis sine Baptismo, ut patet ex contextu: *Noli credere, nec docere, sacrificium Christianorum pro his qui non baptizati de corpore exierunt offerendum.*

## CAPUT LXXI.

*Intentio, quæ sacrificii Missæ fructum applicat Sacerdos, non debet necessario esse actualis,*

*vel virtualis, dum celebrat, sed sufficit habitualis.*

Id est sufficit quòd heri, vel ante aliquot dies, 843 etiam multos, Sacerdos statuerit celebrare tot vel tales Missas pro tali vel tali v. g. ad intentionem Sacrifiæ, etiam si de eo postea amplius non cogitet, dummodò intentionem illam non revocaverit. Ita Suarez, Coninck, Bonacina, Card. de Lugo, & Doctores communiter apud Dianam p. 11. tr. 6. resol. 39. contra Vasquez & Granadum. Quia ad fructum sacrificii applicandum non requiritur intentio respiciens sacrificium, vel sacrificii fructum, ut effectum in quem humano modo debeat influere (prout requiritur ad Sacramentum, vel sacrificium conficiendum) sed respiciens fructum sacrificii ut purum objectum, quod volò cedere in utilitatem talis vel talis, hocipso quo sacrificaverò. Non est autem ratio cur ejusmodi voluntas, ante aliquot dies concepta, nec revocata, non moveat sufficienter Deum ad fructum sacrificii suo tempore concedendum ei cui per istam voluntatem fructum illum donavi. Reverà enim talis voluntas habet rationem donationis. Certum est autem valere donationem, hoc modo factam: *Dono tibi, Petre, fructus, quos fundus meus producat anno sequenti.* Vel hoc modo: *Volo ut lucrum proveniaturum ex futuris negotiationibus meis, cedat in utilitatem tali persone, vel Ecclesiæ.* Certum est (inquam) talem voluntatem, etiam ante annum, vel annos conceptam, esse validam, fortisque effectum determinato tempore, tametsi renovata non fuerit, dummodò non fuerit revocata. Quod cum certum sit, certa quoque videtur assertio nostra, utpote certo fundamento innixa. Nec certitudo ipsius eliditur per auctoritatem Vasquez & Granadi in contrarium. Quia solidum pro se non habent fundamentum.

Non eliditur etiam ex hoc quòd talis intentio 844 non sufficiat ad conficiendum Sacramentum, vel sacrificium, sed actualis vel virtualis necessaria sit. Est enim manifesta disparitas, quòd intentio, quæ conficitur Sacramentum, vel sacrificium, debeat humano modo in illud influere, atque aded humano modo exiltere. Intentio verò, quæ sacrificii fructus applicatur, cum non sit operativa sacrificii, nec fructus illius uti non debet humano modo influere in sacrificium, nec in fructum illius, humano modo exiltere non debet, sed sufficit quòd humano modo existerit, per eamque, dum existeret, donatio fructus sacrificii facta fuerit, nec donatio, seu voluntas quæ donatio facta est, revocata fuerit, prout constat exemplo donationis fructuum fundi, vel lucri futurarum negotiationum mearum, de quo proxime.

Hinc sequitur pro tota vita valere intentionem 845 Religiosi, qui semel pro semper dixit, *volo, ut quotiescumque imposuerim celebraverò, nec contrariam intentionem specialem expressè apposuerò, Missa à me celebranda ex nunc usque ad mortem sint ad intentionem Sacrifiæ, tametsi de nova applicatione, vel intentionis renovatione postea non cogitet, modo non retractaverit.* Nec reverà est cur aliquis hoc facto se inquietet, vel scrupulizet. Certum est enim applicationem habere rationem donationis. Hæc autem semel facta vim retinet, donec revocetur. Videri potest Card. de Lugo disp. 8. de Euchar. n. 93. Gobat tr. 3. de Euchar. n. 166. 167. Quamvis autem Lugo eadem disp. 8. censcat sufficere, quòd intentio applicativa, seu donativa fructus sacrificii formetur ante sumptionem; communis tamen & recepta sententia est, formandam esse ante consecrationem.



## CAPUT LXXII.

*Exhibentur Decreta S. Congregationis, auctoritate Urbani VIII. edita, circa celebrationem Missarum.*

- 846 **C**um sæpè contingat, in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum esse celebrandum, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova Missarum onera in dies suscipi: S. Congregatio Card. Conc. Trid. interpretum, animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, si pro viribus satageret hunc teterrimum abusum à Christiana Republica convellere, Sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributâ infrascripta Decreta edidit.
- 847 **A**c primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, aut aliàs quomodocumque reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspectâ, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioqui reductiones, moderaciones, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas atque inanes decernit.
- 848 **D**einde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam secularibus quàm regularibus, sacra Congregatio sub obstaculo divini iudicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut aliquotii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisficiant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.
- 849 **I**d verò ut deinceps observetur exactius, sacra Congregatio, eadem auctoritate, revocat privilegia, & indulta omnia, quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam secularibus quàm regularibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.
- 850 **A**c similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat.
- 851 **P**ræterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis, eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam secularibus quàm regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinent, sub pena interdicti ab ingressu Ecclesie, ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant pe-

nes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum investendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem bona deinceps auctoritate Apostolica alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pena, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

Ad hæc sacra Congregatio, quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam secularium quàm regularium, Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, secularis quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentiâ in scriptis, & gratis concedendâ: alioquin secularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesie interdictus sit eo ipso; regularis verò penam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ & passivæ abique alia declaratione incurrat.

Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum idem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam ipse oblati, in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa: *Eleemosyna pro Missis, vel aliâ simili, sub eadem penâ, ipso facto incurrendis, nisi fideles hæc ratione frustrentur.*

Episcopus verò, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentiâ pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirent de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesie, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea assensum hujusmodi, aut licentiâ præbeant, quàm eis legitime consulerit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse; præcipuumque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, aut locis piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus ad junctis, secundum morem cujuscumque Civitatis, vel Provincie: intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros, &c.

Postremò, Superiores existentes intra fines litarum, & Insularum adjacentium, computent in primo congregando Capitulo redditus Conventuum, eorumque summam ad sacram Congregationem mittant, ut, &c.

*Declarationes aliquot sacre Congregationis Concilii, S. D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate editæ, super Decretis ejusdem Congregationis de celebratione Missarum.*

**S**uper primo sacre Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concil. Trid. imposita, aut in limine fundationis. Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderamine oneris, totum, sive ferè totum infundendum sit pro expensis ad id necessariis.

Secundò



857 Secundò, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tribuuntur eleemosynarum præscripta fuerint, an intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario.

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum, teneantur Missas ab offerente præscriptas celebrare.

858 Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellanæ, legati, aut salarii, possint etiam manualement eleemosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere.

Quintò, posito quòd testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ absque ulla præscriptione eleemosynarum: Quæritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi bene visam præscribere, an verò eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario.

859 Sextò, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurimum Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. Quæritur an verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de suscipiendis post privilegium.

Septimò, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam, cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat. Quæritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium, inservientium, paramentorum, vini, luminum, hostiæ, & similibus.

860 Octavò, an hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii.

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebranda Missa, dare debeant eandem integram eleemosynam illis, quibus Missas celebrandas committunt.

861 Decimò, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: *eleemosynas, & oblationes manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demùm idem accipere possint, si omnibus antea impostis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: alioquin omnimò abstinere ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant.* Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolutè, quominus accipiant novæ eleemosynas illi, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si longo tempore possint omnibus satisfacere?

862 Undecimò, quid si offerentes eleemosynas, audito impedimento, consentiant, ut Sacerdos Missas celebret, cum primum poterit?

Duodecimò, an pena interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præscribitur.

Decimò tertio, an in hoc Decreto comprehendantur ipsæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium defunctorum, & vulgò dicuntur: *Cassæ de mortis.*

Decimò quarto, an Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si istdem

Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio ac concursus fidelium, ut aiunt, minuatur.

Decimò quinto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directâ solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum tam secularium, quam regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tantum comprehenduntur sub clausula generali (*& alios ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum autoritate sibi à Sanctissimo D. N. attributâ, ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit.

Ad primum, etiam legatum fit adeò tenue, nihilominus pro dicta reductione oneris, ut supra, impositi ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse ad eundem, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit; verumtamen si in ipsa beneficii creatione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc foundationis, quam Decreta hæc de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligendum de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario; quòd si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem suæ Patriæ, seu Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellanæ, legati, seu salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eandem Missam utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligendum.

Ad septimum respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, vel loca pia, aut illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utenque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas habent in Missarum celebratione, nisi eum Ecclesiæ, vel loca pia alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licet possint; ac tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus valere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet Missarum sacrificio necessario sunt subeunda; nihilominus, eo etiam casu, curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ut supra, deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt ab offerentibus eleemosynam.

Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit.

Ad nonum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad decimum respondit, non prohibere absolutè, & propterea, etiam oneribus jam susceptis non satisfecerunt, posse tamen denud etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, modò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad undecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen



tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat, ut illæ tunc celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna suscipiatur, pro iisdem Missis, juxta Benefactoris consensum celebrandis.

872 Ad duodecimum, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum, sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis, aut Provincialis.

Ad decimum tertium, comprehendi.

Ad decimum quartum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad undecimum.

873 Ad decimum quintum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini,

874 Episcopus Tragurienfis literis petit... decisionem ad infra scripta dubia....

875 Primò dubitat, an Sacerdotes habentes annum stipendium, vel qui ex quotidianis eleemosynis celebrant, possint duo stipendia recipere pro singulis Missis, ex quo singula stipendia non ascendunt ad quinque bajocos. *Unus bajocus valet unum crucigerum.*

Secundò, an habentes annum stipendium pro celebratione Missarum, possint in die obitus alicujus fidelis novam pitantiam recipere, ex quo inveniri non possint Sacerdotes, qui non habeant annua stipendia, & videatur tacitus consensus dantis.

876 Tertio, an Sacrifista, qui tenetur alio celebrare titulo, & ex usu solet Missas anniversarias cantare, satisfaciat duobus titulis, attentâ tenuitate pitantiae bajocorum duorum cum dimidio.

Quarto, an Sacerdotes, qui nullâ aliâ obligatione in Confraternitatibus, vel in Monasteriis Monialium celebrant, quàm pro ornatu Ecclesiæ, vel ut Confratres, vel Moniales satisfaciunt præcepto audiendi Missam, possint ultra stipendium quod recipiant à Confraternitate, vel Monialibus, aliud stipendium recipere.

877 Quintò, an habens onus celebrandi certum Missarum numerum, juxta valorem fructuum, quos ex legatis piis percipit, teneatur statim post receptionem fructuum celebrare, an verò habeat totum annum ad satisfaciendum.

Sextò, an recipiens stipendium pro Missis S. Gregorii singulis annis ad exequendas defunctorum dispositiones, satisfacere teneatur statim atque receperit stipendium, an differre, quousque non labatur tempus à defuncto præfinitum.

Septimò, an recipiens stipendium celebrandi, quando ei visum fuerit, possit novam eleemosynam recipere, etiam si non satisfecerit priori obligationi.

878 Die nonâ Januarii, & sextâ Februarii 1627. sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, reductionem supra petitam remittendam esse Episcopo, pro suo arbitrio & conscientia. Respondit autem ad primum, secundum, tertium & quartum non posse.

Ad quintum, teneri quamprimum celebrare.

Ad sextum, posse differre ad tempus à testatore præscriptum.

879 Ad septimum denique censuit, etiam si Sacerdotes oneribus susceptis non satisfecerint, posse nova onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

## CAPUT LXXIII.

*Varis casus resolvuntur circa Capellanias & Missas ex fundatione.*

## CASUS PRIMUS.

Titius Capellaniam habens satis pinguem, ob amissas literas fundationis, non habet clarâ & distinctam scientiam suæ obligationis, sed tantum confusè scit se obligatum ad Missam perpetuam, idè quod aliquot Sacra negligit. Quæritur 1<sup>o</sup>. an teneatur ad Missam quotidianam? 2<sup>o</sup>. an obligatus ad Missam quotidianam, possit tutâ conscientia unam in hebdomada Missam omittere? 3<sup>o</sup>. an Capellanus, de quo in casu, teneatur ad compensationem Sacrorum neglectorum?

Ad 1. & 3. respondeo primò videndum quid egerint prædecessores Titii: si fuerint probi viri (quales in dubio præsumuntur cap. fin. de præsumpt.) si enim factum præsumitur ab eo qui erat obligatus facere. Mascardus de probat. conclus. 734.) præsumendi sunt obligationi satisfecisse.

Quia tamen potius judicandum secundum consuetudinem, quæ commune est exemplum, quàm secundum particulare exemplum unius alteriusve, videndum quæ in illo loco & regione vigeat consuetudo circa pingues ejusmodi Capellanias, & secundum consuetudinem istam Titius procedere debet. L. semper 34. ff. de reg. jur. ubi: *Id sequatur quod in regione, in qua aliquid factum est, frequentatur.*

Si nec exemplum decessorum, nec loci consuetudo solvit dubium, Titius censere debet se obligatum ad Sacrum quotidianum, juxta regulam inspicimus de regulis juris in 6. *Inspicimus in obsequis quod plerumque fieri solet.* Siquidem in particularibus Ecclesiis Christiani Orbis pingues Capellanias ut plurimum habent annexum onus Sacri quotidiani. Et ratio particularis est in casu presenti, quia per Missam perpetuam communis fidelium sensus intelligit non mensuram, nec septimanariam, sed quotidianam. Nec certè perpetuò celebrare dicitur, qui non quotidie.

Teneatur proinde Titius ad compensationem per alia utique Sacra, quæ curare debet per alium celebrari, pro numero Sacrorum neglectorum. Ad ea quippe obligatus ex justitia, manet obligatus, donec satisfecerit. Bonacina de Euchar. disp. 4. q. ult. p. 7. §. 1. & 2. & Doctores communiter.

Ad 2. respondeo, si in literis fundationis non specificetur quòd Capellanus quotidie celebrare debeat, *per se, vel per alium, sed præcisè ut quotidie celebret*, Bonacina puncto 7. §. 2. n. 16. dicit usu receptum, ut Capellano (fundationem intelligendo *salvâ honestate*) liceat, non ob ambulationem, aliove fines profanos, sed ob honestatem & meliorem preparationem, semel in quolibet hebdomada abstinere à Sacro celebrando. Ita tamen ut, si uti nolit hoc beneficio, celebrare debeat in Capella sua, pro fundatione, non pro alio, etiam gratis. Imò nec pro seipso, nec pro cognatis suis & benefactoribus. Ita Doctores communiter, qui tamen hoc ultimum ipsi permittunt quinque vel sexies in anno. Fundatoris intentionem benignè interpretando. Bonacina ibidem. Nihil verò larga est opinio permittens Capellano (cui ex honestate permittitur semel in hebdomada vacare, ut supra) pro alio celebrare accepto stipendio. Cui certè opinioni (quam Thomas Hurtadus probabilem non bene putat, casu quo Sacerdos sit pauper) contrarius est communis sensus omnium



omnium penè Doctorem, ut videre est apud Dianam p. 10. tr. . . resol. 37.

## CASUS SECUNDUS.

886 **S** Empronius, ex beneficio obligatus ad quotidie, vel aliquoties in hebdomada celebrandum, laborat febrî, vel aliâ ægritudine, ob quam nequit per se celebrare. Teneturne alium constituere, qui pro se celebret, vel ipse postea ex non debitis supplere?

Respondeo non teneri, si infirmitas brevi tempore duret, nisi Fundator aliter explicitè, vel implicitè statuerit (v. g. dicendo: *quater in hebdomada celebrabit, per se vel per alium.*) Bonacina ibidem q. ult. p. 1. n. 4. Gavantus in rubric. Missal. p. 3. tit. 12. n. 18. Layman tr. 5. c. 3. n. 7. Pax Jordanus, Episcopus Tragurienis, volum. 1. elucubrat. lib. 4. n. 537. Quia licet herus in rigore juris detrahere possit de mercede famuli, ob brevem infirmitatem aliquandiu non infervientis; pius tamen & benignus herus non solet.

887 **P**er breve verò tempus laudati Authores intelligunt unum mensem, si cæteroque diligens fuerit in officio suo. Favetque Concilium Mediolanense VII. tit. de Missis: *Si Capellanus saltem per annum integrum sanctus sit munere celebrandi in aliquo loco, si etiam per mensem ægroret, adhuc integram elemosinam iudicio Episcopi accipere potest.* Cardinalis verò de Lugo disp. 21. sect. 2. unum vel duos menses. Si tamen suâ culpâ, v. g. intemperantiâ, illam ægritudinem contraxerit, Pax Jordanus n. 537. ipsum obligat ad compensationem, ne ex culpa sua ferat hoc commodum.

888 **I**n casu verò longioris infirmitatis, alium substituere debet. Doctores communiter. Nisi (inquit Gobat) infirmo illi obviasset tam tenue beneficium, ut omnes redius expendendi forent in ejus sustentationem. Quia nec Fundatoris, nec Ecclesiæ voluntas est, panem subtrahere Ministro, cæteroque in fidei.

889 **I**n casu etiam omissionis Sacrorum, non ex infirmitate, sed alia ex causa voluntaria, quamlibet iusta, v. g. quia patrem, multum distantem, agonizantem invisit, compensare tenetur, nisi Episcopus dispensaverit. Bonacina, & Pax Jordanus ibidem contra Leandrum à compensatione excusantem eum qui omittit causâ timoris ad oblationem suscepti. Secus si ex causa involuntaria, v. g. quia iniuste à militibus eiectus è Parochia. Layman loco citato. Quia rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit C. de contlit.

## CASUS TERTIUS.

890 **T**Orquatus tenetur singulis hebdomadis, ex fundatione, legere quinque Missas in tali Capella; sed ex fundatione non constat teneri applicare Missas illas Fundatori. Teneturne ei applicare?

Negat Marchinus apud Dianam p. 6. tr. 6. resol. 13. quia juxta L. *quidquid astringitur ff. de verb. obligat. obligatio non debet imponi, nisi palam verbis exprimat.* Et quod expressum non fuit, omissionem esse intelligendum est: quia stipulatori liberum fuit verba clarè concipere. Et contra eum qui legem dicere potuit aperiè, est interpretatio faciendâ. Sibi proinde Fundator imputare debet, si non explicaverit. Et, in dubio, præsumitur non voluisse. Si enim voluisset, utique expressisset.

891 **A**firmandum nihilominus cum Cardinale de Lugo disp. 21. n. 23. Barbosa de Paroch. p. 1. c. 11. Gavanto, Homobono apud Dianam p. 6. tr. 6. resol. 13. Bonacina q. ult. p. 7. §. 2. n. 13. & Tom. 111,

Doctoribus communiter, ipso teste. Quia ubi aliud non constat, præsumptio est pro Fundatore. Quisque enim in dubio præsumitur sibi optimè consulere voluisse. Atque ita habet praxis communis (inquit Gobat n. 496.) quæ profectò optima est fundationum, uti legum interpres. Unde Vasquez disput. 234. c. 4. n. 23. ait indubitatum esse, quòd Capellanas obtinentes teneantur pro Fundatoribus sacrificare. Et Alphonsus de Leone (apud Dianam p. 2. tr. 14. resol. 80.) cum Fraxinello & Homobono, tradit, quòd ubi ex claris verbis Fundatoris, aut circumstantiis personarum aliud non constat, præsumendum sit, quòd Sacrum fundatum non sit pro solo cultu Ecclesiæ, vel Capellæ, aut commoditate audiendi Sacrum, sed pro anima Fundatoris.

892 **C**aveat proinde Capellanus ejusmodi pro alio celebrare, accepto stipendio. Maxime cum id illicitum declaret S. Congregatio, approbante Urbano VIII. in Bulla *Cum contingat*, his verbis: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu Capellania, legati, seu salarii, si elemosinas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missâ atriq; obligationi satisficere.*

## CASUS QUARTUS.

893 **R**edericus tenuem nactus Capellaniam, olim quidem pro ratione istius temporis satis bonam, sed nunc in valore diminutam, potestne pro ratione istius diminutionis, diminuere onera Sacrorum, &c.?

Respondeo cum Bonacina non posse, donec Superior, ad quem spectat, debite provideat. Quia magni abusus committerentur, si diminutio onerum arbitrio privatorum permitteretur: cum esse soleamus cæci & nimis partialis in propria causa. Unde S. Congregatio supra n. 847. ipsam Episcopis diminutionem illam seu reductionem interdicit, sed ad Sedem Apostolicam recurri præcipit. Quod tamen (quoad Episcopos) extra Italiam usu receptum non esse Palao ex Garcia testatur tr. 22. p. 15.

## CAPUT LXXIV.

*Casus circa stipendia Missarum, & Missas ex stipendio.*

## CASUS PRIMUS.

894 **C**Ajus, Sacerdos scrupulosus, non modicum canxius est, sitne licitum pro Missa celebranda stipendium accipere: cum hoc videatur simoniacum; eò quòd stipendium esse videatur Missæ pretium.

894 **R**espondeo tamen esse licitum, non simoniacum, pro Missa celebranda stipendium accipere, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ. Ita S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. quæstionc. 1. ad 4. ubi sic: *Dicendum quòd facere pactionem de Missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen Sacerdos non habet alios jumptus, & non tenetur ex officio cantare Missam, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ. Cum enim nullus militet stipendiis suis unquam (inquit Apostolus proxime referendus) qui spiritualia ministrat, jus habet exigendi temporalia, unde vitam sustentet, juxta illud Salvatoris Apostolos ad prædicandum mittentis Luc. 10. *In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercedo sua.* Et 1. Cor. 9. *Qui in sacrario operantur, quæ**



de sacratio sunt edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participans. Et ita traditur in Concilio Agathensi c. 36. Et ratio est quia sicut dari, accipi & in pactum deduci potest quod iustum est, ad comparandum necessaria ad sacrum ministerium exequendum, v. g. panem, vinum, luminaria, &c. ita & ad comparandum necessaria ad sustentationem Ministrum; qui sicut celebrare nequit absque pane, vino, luminariis, vestibus sacris, &c. ita nec absque seipso sustentato.

895 Nec à solo Sacerdote paupere, sed & à divite stipendium pro Missa accipi posse, plerique docent Recentiores, pro se allegantes S. Thomam. Alii tamen contra sentiunt, ipsique favet S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. ad 4. id solum permittens, si Sacerdos non habet alios sumptus.

896 Non potest tamen Sacerdos illà intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam consequatur. Quia peccaret mortaliter. Verba sunt S. Thomæ Opusc. de Offic. Sacerd. Peccatum illud plurimorum Sacerdotum S. Bernardus in Psal. 90. deplorat his verbis: Ipsa quoque Ecclesiastica dignitatis Officia, in turpem quantum, & tenebrarum negotium transiere; nec in his salus animarum, sed luxuria quaeritur divitiarum. Propter hoc conduntur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant.

897 Nec potest Sacerdos exigere nisi iustum stipendium, id est non plusquam illud quod Episcopi determinatione, vel communi priorum, prudentumque virorum consuetudine taxatum est. Unde S. Congregatio anno 1625. sub obligatione peccati gravis & restitutionis onere prohibuit pro uno sacrificio integrum unius diei victum exigere, ut testatur Card. de Lugo disp. 21. n. 27.

## CASUS SECUNDUS.

898 Simeon, Sacerdos aded egenus, ut non habeat quo vitam sustentet, nisi vivat de altari, accipit à pluribus diversa stipendia, usque satisfacit unico sacrificio, nixus probabilitate sententiæ Cajetani, Melchioris Cani, Vasquez, Petri Navarrae, & aliorum, sacrificium Missæ esse infiniti valoris, tam extensivè, quam intensivè, adedque pluribus applicatum, æquè prodesse omnibus, ac singulis. 2<sup>o</sup>. alià adhuc vià acceptis stipendiis duobus, à duabus personis, unicum quidem Sacrum pro utraque persona persolvit, sed sic ut uni applicaverit fructum specialem, alteri fructum medium. 3<sup>o</sup>. quando accipere non potuit pro singulis Sacris singula stipendia congrua, paupertate coactus, accepit incongrua, sed diminuit numerum Sacrorum ad rationem stipendii ordinarii. 4<sup>o</sup>. illis diebus, quibus non habebat stipendium pro Sacro suo, celebravit pro illo qui primus erat stipendium oblaturus; quo deinde accepto, anticipatà illà solutione credidit se satisfacisse. 5<sup>o</sup>. subinde etiam, ultra stipendium quod accepit, more solito applicando fructum ordinarium, aliud accepit, applicando indulgentiam, eoque sine celebrando in altari privilegiato. Queritur an rectè?

899 Ad primum respondeo id prorsus illicitum. Tum quia datà probabilitate istius opinionis, eadem opinio ista valde incerta est, & contraria, uti longè communior, ita & longè probabilior est. Ob ea quæ dixi n. 819. Atqui debito certo non satisfacit solutione incertà. Tum quia stipendium non conceditur in pretium fructus sacrificii (sive ille finitus sit, sive infinitus, & æquè omnibus ac singulis proficiuus) sed in sustentationem Sacerdotis; si ergo iustum pro sua sustentatione stipendium ab uno accepit, immeritò ab alio pro eodem sacrificio sustentationem expostulat. Tum denique quia id omninò prohibet, & contrafacien-

tes ad restitutionem obligat S. Congregatio suprà n. 848.

Ad 2. respondeo id etiam prorsus illicitum esse. Ita Navarrae, Bonacina, Card. de Lugo, cum Doctoribus communiter, contra Thomam Hurtadum, Molfesum, Bordonum, Bartholomæum à S. Paulo, Peyrinum. Tum quia S. Congregatio n. 848. absolūtè præcipit, tot Missas celebrari, quot stipendia sunt accepta. Tum quia nefarius quantus, & qualis sit fructus ille specialis, dubiumque & incertum est, an sit applicabilis. Cum Sotus, Gabriel, Suarez, Bonacina, Posselinus eum censent personale, nec ullo argumento consistat applicationem illius à Christo restitutam esse Sacerdotis arbitrio. Incertà verò solutione, ut antè dixi, non satisfacit debito certo. Tum tertio, quia hic etiam recurrit altera ratio num. præcedenti allegata, quòd utique stipendium accipere non licet pro applicatione fructus, sed pro sustentatione, pro qua Sacerdos, unum dumtaxat Sacrum celebrans, iustè non accipit plusquam unum stipendium iustum. Tum quarto, quia dans tibi stipendium, ut pro ipso celebres, iustè à te deposcit omnem fructum inde provenientem, cuius est capax. Salvà saltem honestate, quæ permittit alios etiam non accepto stipendio commendari. Pro qua commendatione stipendium accipere, turpis questus est avaritiam sapiens, si non simoniam. Cùmque hoc alienum sit ab Ecclesiæ consuetudine, cenferi debet prohibitum per Tridentinum sess. 22. de Sacrif. Missæ Episcopis præcipiens, ut *cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Missis novis celebrandis datur; necnon importunas atque iliberales elemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliasque huiusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi questu non longè abjunctæ, omnino prohibeant.* Tum denique quia Alexander VII. damnavit opinionem illam Thomæ Hurtadi, & cum sequentem propositionem in terminis prænavit: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsius celebranti correspondentem.*

Ad 3. respondeo nec id esse licitum, uti etiam S. Congregatio declaravit, dum declaravit Sacerdotes, accipientes stipendium minus congruum, teneri Missas ab offerente præscriptas celebrare. E ratio est, quia eo ipso quòd Sacerdos stipendium incongruum acceptavit, in se suscepit obligationem onerosam promissionis celebrandi iuxta mentem dantis, quæ est ut pro quoquo stipendio integra dicatur Missa, & ubi plura dantur, tot Missæ dicantur, quot dantur stipendia. Ideò enim plura stipendia dant, alias non datur.

Nequis verò existimet, in casu acceptationis (quæ haud dubiè rationem habet tacitæ promissionis) solum esse obligationem fidelitatis ad tot Missas dicendas, quot stipendia (licet incongrua) accepit. Obstat quòd obligatio, de qua in præsentem, non oriatur ex simplici promissione, sed ex onerosa, ex qua oritur obligatio iustitiæ. Cui promissio non satisfaciens, manent obligati donec satisfecerint. Unde eadem S. Congregatio suprà n. 848. decernit, quòd ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab uno, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferantur in futurum, Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam secularibus quam regularibus, S. Congregatio, sub oblatione divini iudicii, mandat, ac præcipit, ut absint et tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ elemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut aliquo



ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciunt; quinimo graviter peccent, & ad restitutionem tenentur. Apertè ergo declarat graviter peccare contra iustitiam.

903 Et quia nonnulli sibi licitum existimabant, saltem in vim privilegiorum Mendicantibus concessorum, v. g. ex privilegio Julii II. quo Minimis concesserat, ut ob multitudinem Missarum in Conventibus repertam, Generalis ipsorum dispensare posset cum ipsis, ut dicendo septem vel novem Collectas, satisfacerent pro tot Missis, istam etiam viam S. Congregatio praelulit, addendo: *Id verò ut deinceps observetur exactius, S. Congregatio eadem auctoritate (utique Urbani VIII. sibi specialiter attributa) revocat privilegia, & indulgentia omnia, quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam secularibus quam regularibus, cujuscvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, quancumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu orationibus, plurimum Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

904 Unde audiendus non est Peyrinus de privilegio. 3. c. 1. n. 26. adhuc post illud Decretum ausus sustinere, quòd Sacerdos, qui pro pluribus Missis plura stipendia, sed incongrua, accepit, si aliud expressè non promiserit, omninò voluntariè, & non coactus paupertate (quia utique congruentia stipendia non poterat invenire) possit Missas reducere ad rationem justì stipendii, ut se indemnem servet. Laudatum verò Decretum restringit ad casum, quo expressè & omninò voluntariè, non coactus paupertate, Sacerdos promississet se tot Missas dicturum, & integrè applicaturum, quot stipendia accepisset. Quod etiam post idem Decretum Marcus Vidal docere non dubitavit de Justitia Inquisit. 2. citans Suarez, Tamburinum & alios, quorum sententiam Palao p. 14. n. 6. probabilè censet. Sed nec probabilis est, nec in praxi secuta, ut ex Decreto illo constat. Quod Auctores illi perperam intelligunt restrictè, cum sub oblatione divini iudicii, & restitutionis onere, sine ulla restrictione præcipiat, ut absolute tot Missae celebrentur, &c. Non dicit: tot celebrentur, si quis expressè & sine cogente paupertate promiserit tot celebrare, sed absolute, id est sine ulla restrictione, tot celebrentur, &c. quot ad rationem attributa elemosyna præscripta fuerint, utique ab eo qui elemosynam tribuit, prout infra explicat.

905 At (inquis) qui non facit id ad quod tenetur (quod profectò non facit dans incongruum stipendium) non debet consequi id ad quod ei aliquis tenetur. L. quæro §. interlocutorium ff. de locat.

Respondet: non deberet id consequi, nisi sub eo onere incongruum stipendium ipsis acceptasset. Sed obligationem tibi voluntariè imposuisti, dum acceptasti. Tibi proinde imputare debes quòd tenearis. Neque enim involuntariè acceptasti; neque enim ad acceptandum ipse te coegit; sed paupertas tua, in quam ipse te non coegit, sed Deus. Igitur nihil tibi ipse fecit, quo te cogeret, sed liberum tibi reliquit acceptare vel non acceptare. Liberè ergo & voluntariè promissisti Sacrum sub isto onere, licet incongruo. Quod si non acceptasset, forte alii non defuissent qui eo stipendio contenti Sacrum libenter celebrassent. Quidquid sit, jus divinum & humanum violare non debes, ut habeas unde vivas. Violando verò promissionem tuam onerosam, violas iustitiam, atque aded jus divinum. Violas item jus humanum, dum facis contra allatum Urbani VIII. Decretum.

906 Nec magis audiendus est Vidal loco citato, aicus (cum Averfa & Bordonno à se relatis) quòd etiam hodie quilibet Superior Regularis Missarum

Tom. III.

numerum minuire possit ad rationem stipendii ordinarii, modò voluntariè & spontè non acceptarit numerum illum cum incongruo stipendio. Decretum enim S. Congregationis solum procedere dicit pro casu voluntariè & spontanea acceptationis istius numeri cum incongruo illo stipendio. Extra quem casum nullus præsumitur habuisse intentionem obligandi se ad tantum numerum, nisi iusto stipendio perfoluto.

Neque enim id probabiliter asseritur post Decretum, utpote quòd procedere in casu, quem Vidal excipit, inde perspicuum est, quòd potestatem minuendi onera Missarum, inconstatà Sede Apostolica, vel ipsis Episcopis & Generalibus sustulit, etiam si legatum sit ita tenue, ut nullus sit qui velit onus illi injunctum subire. Quia equidem noluit ut quilibet Sacerdos vel Superior Missarum reductionem ad iustum stipendium facere posset, inconstatà Sede Apostolica, ob rationem n. 890. allatam. Vel itaque elemosyna pro tanto Missarum numero præscripta est de novo, vel legata ab antiquo? Si præscripta de novo, & nolis tantum Missarum numerum acceptare pro elemosyna incongrua, noli elemosynam acceptare, si nolis numerum præscriptum implere. Si legata ab antiquo, & olim acceptata: igitur minuire non potes proprià auctoritate. Si nondum acceptata, recusa legatum, si adimplere nolis conditionem legato præscriptam. Ita optime sapientissimus P. noster Lezana verbo *Missæ*.

Ad 4. respondeo hanc praxim à Clemente VIII. 903 & Paulo V. damnatam esse, ut periculosam, fidelium scandalis & offensionibus obnoxiam, &c. prout testatur Gavantus citat. p. 3. tit. 12. n. 16. Ascarius, Tamburinus de jure Abbatum to. 2. disp. 4. q. 9. n. 21. Leander q. 19. Ubi propterea meritiò dicit praxim illam certissime esse illicitam. Opinionem verò ci patrocinantem ab Authoribus eam docentibus expurgari iussit S. Inquisitio in expurgatorio generali.

Ad 5. respondeo improbabilem esse opinionem 903 Gordonii, id permittentis apud Lezanam. Non solum quia est contra Decretum S. Congregationis sæpè relatum; verum & quia est contra communem sensum fidelium, & quia vel ipse Diana p. 11. tr. 8. resol. 77. (licet in tot aliis tam benignus) hinc tamen rectè monet, absolute eliminandas esse ab Ecclesia Dei nundinationes illas cum sanguine Christi. Quid est enim nundinare cum sanguine Christi, si hoc non est? Cum sit accipere aliud & aliud stipendium, non secundum Ecclesie consuetudinem pro sustentatione, sed ultra id quod secundum Ecclesie consuetudinem debetur pro sustentatione, pro alia & alia hinc fructus sacrificii, inde indulgentiæ applicatione. Quasi hoc non sit accipere quasi pretium duplicis istius applicationis, palliatum solo colore sustentationis, cujus certè portio duplex ipsi non debetur titulo duplicis illius applicationis, nisi tot Missas celebret, quot stipendia accipit.

#### CASUS TERTIUS.

910 Quintilianus Sacerdos, ex stipendio, vel beneficium obligatus celebrare Missam in altari privilegiato, cum sibi non vacaret ibi celebrare, celebravit alibi cum numismate, vel calculo privilegiato. Quæritur an satisfecerit?

Affirmant Patqualigus de cl. mor. decif. 427. & Marchinus apud Dianam p. 6. tr. 6. resol. 12. Quia licet materialiter non impleat voluntatem testatoris, implet formaliter per æquipollens. Nihil autem refert quid ex æquipollentibus fiat L. fin. §. fin. ff. mandati. Sed vidi Bullam Urbani VIII. in contrarium datam anno....

Respondet ergo negativè cum Gavanto, Fra. 911

Bb 2



xinello, Bonacina, Navarro, Azorio, Cardinali de Lugo, & Doctoribus communiter, teste Pelizzario de Miss. stipend. c. 9. sect. 3. n. 80. & ita determinatum fuit in calibus Bononiæ discussis anno 1634. casu 1. fol. 9. Et ratio est quia indulgentia applicata altari privilegiato, regulariter esse solet magis authentica & secura, quam quæ applicantur alicui calculo vel numismati benedicto. Et sic indulgentia numismatis non est æquipollens quoad certitudinem & securitatem. Maxime cum abusus & deceptiones frequenter irrepant in usu istorum numismatum, idque tum quia frequenter transeunt de manu in manum, sive per donationem, sive per commodationem; cum tamen indulgentia ex declaratione Alexandri VII. sic transire nequeat. Tum quia Officium Romani, ob postulantium Rompetarum importunitatem, non raro facilitate sunt in similibus indulgentiis concedendis, seu applicandis, absque sufficienti examine, num applicandi causa sit sufficiens, prout Romæ expertus sum, dum ipsemet unus aliquando fuit ex illis importunis.

## CASUS QUARTUS.

912 **R**odericus, accepto pinguiore stipendio, pro centum Missis celebrandis, illas alteri Sacerdoti exonerandas committit, dato illi stipendio ordinario, retenta sibi parte excedente. Queritur an licite?

Affirmant Palao puncto 14. n. 9. referens Suarez, Vasquez, & alios.

913 Sed omnino negandum. Quia id fieri non potest S. Congregatio sub Urbano VIII. declaravit, & laudatorum Authorum opinionem Alexander VII. damnavit, dum damnavit hanc propositionem nonnam: *Post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Quam cum Alexander VII. damnaverit relative ad dictam declarationem, damnavit eam intellectam in sensu illius, ac proinde etiam pro casu quo alteri daretur stipendium iustum.

914 Altaram tamen S. Congregationis declarationem Card. de Lugo, noster Lezana, alique gravissimi Doctores censent non procedere, dum alter, in quem transfertur onus pro te legendi illa Sacra, omnino spontaneè condonat excessum stipendii, non verò coactus necessitate vel metu. Quemadmodum enim S. Congregatio non prohibet ne unus pro alio omnino spontaneè celebret, relicto ipsi amicabiliter toto stipendio; ita nec prohibet ne omnino spontaneè pro ipso celebret, relicta ipsi amicabiliter parte stipendii.

915 Dicta etiam declaratio non habet locum in beneficiatis: neque enim Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, tenetur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii; sed satis est ut tribuat Sacerdoti celebranti elemosinam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciae, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit, prout eadem S. Congregatio hęc formalibus terminis declaravit.

## CASUS QUINTUS.

916 **C**osmus, ex stipendio vel beneficio solum obligatus celebrare tali die, vel tali loco pro cultu Ecclesiæ, vel populi, seu perentium commoditate, aliud stipendium accipit à petente sibi applicari fructum sacrificii. Queritur an recte? Negat Gavantus ubi supra n. 5. & Gavanto subscribitur Barbosa, Bonacina, & alii propter Decretum S. Congregationis sæpe relatum.

917 Sed Decretum istud procedere non videtur in

casu quo constat Cosmum non teneri ad Missam applicandam seu fundatori beneficii, seu datori stipendii. In eo proinde casu posse aliud stipendium accipere à petente sibi applicari Missam, docent Suarez, Vasquez, Card. de Lugo, Lezana, Neesen, &c. Tum quia cum Sacerdos unam Missam tunc diversis diversis præstet servitia disparata, atque in se disparatas suscipiat obligationes, non est cur aliquid à singulis pro sustentatione sua accipere nequeat. Tum quia sic consuetudine receptum est in Belgio, & in Germania. Tum quia S. Congregatio anno 1630. censuit, quod quando in fundatione Capellæ expressè cautum est, celebrantem non teneri ad Missam fundatori applicandam, Capellanus novum stipendium accipere possit ab eo qui petit eam sibi applicari, tuncque unam Missam utrique satisfaciat obligationi.

## CASUS SEXTUS.

**D**amianus ex stipendio vel beneficio obligatus legere Missam, v. g. de Spiritu sancto, de beata, &c. legit Missam currentem; vel obligatus legere Missam in tali loco, Ecclesiâ, vel Capellâ, legit alibi; vel obligatus legere Missam certo die, legit alio die. An licite?

Ad 1. respondeo affirmative cum Navarro, Azorio, Suarez, Barbosa, Miranda, &c. contra Zerolam, Thomam Hurtadum, &c. Nisi specialis promissio intevererit (quæ servanda est, cum non obstant rubricæ Missalis) vel nisi celebrandum sit in altari privilegiato, à Sacerdote non habente indultum Missæ privilegiate, nisi celebret Missam defunctorum in altari specialiter privilegiato. Quamvis enim Mendo apud Dianam p. 11. tr. 8. reiol. 20. censet per Missam defunctorum à Pontificibus intelligi Missam applicatam defunctis, aliud sonant voces istæ, *Missæ defunctorum*: Bulla autem tantum valet quantum sonat. Et S. Congregatio Rituum in una... 1. Junii 1601. & in una Toletana 13. Junii 1601. declaravit quod *Missæ celebrata in altari privilegiato pro defunctis non suffragatur, neque indulto satisfiat, nisi sit de requiem, licet in indulto non exprimat.* Denique saltem glossa ista incerta est. Incerta proinde solutio in ea fundata. Incerta verò solutio minime satisfiat debito certo.

Extra hos & similes casus, probatur responsio nostra: quia dum fundator, vel dans stipendium, requirit Missam specialem, id intelligendum est civili modo, nisi Ecclesiæ ritus aliud postulet, maxime cum nulla Missa salubrior sit, quam ritui Ecclesiæ conformis. Per consequens hoc non est contra veram intentionem fundatoris, vel stipendium dansis, sed contra erroneam ad summum, quæ purat Missam currentem minus proficua. Unde in rei veritate non censetur invitus.

Ad 2. respondeo cum Navarro & Doctoribus communiter, graviter peccare, si absque iusta causa, vel dispensatione sæpius id faciat. Quia in re gravi defraudat fundatorem, qui suâ illâ ordinatione intendit specialem alicujus imaginis, Ecclesiæ, vel Capellæ cultum, populi devotionem, vel commoditatem, vel memoriam familiæ suæ, ad quam Capellâ illa pertinet, &c.

Si tamen iusta causa non permittat ibi celebrare, quia v. g. Ecclesiæ violatæ, vel aquarum inundatio non permittit, potest alibi celebrare, nec tenetur supplere.

Et idem est si Episcopus iusta de causa dispensaverit, v. g. ratione studii academici, itaque permiserit sibi satisfacere (non est enim dubium quin Episcopus id possit.) Quia tunc voluntas fundatoris, solum in aliquo accidente omittitur, & alicui bono compensatur. Barbosa 2. p. de post. Episc. allegat. 24. n. 36.



923 Si etiam raro alibi celebret, absque iusta causa & dispensatione, solum venialiter peccabit, ob materia parvitatem. Imò ne venialiter quidem, si raro id faciat cum causa rationabili. Quia voluntas fundatoris patitur hanc rationabilem episcopiam. Card. de Lugo disp. 21. sect. 2. n. 36.

924 Ad 3. respondeo id non esse licitum, si fundator certum diem designaverit, ratione festivitatis, vel mysterii. Secus si sine mysterio. Ita Card. de Lugo, Dicalillo, & nosse Franciscus à Jesu Maria tr. 5. de Miss. c. 5. p. 2. n. 30. addentes non facit quemquam peccati mortalis arguendum in istius designationis omissione. Cum materia de se sit parva, præsertim si cum causa & non sæpè fiat.

## CASUS SEPTIMUS.

925 **D**andinus unum dumtaxat Sacrum omittit, ad quod tenetur ex stipendio, peccatne mortaliter?

Negant Sanchez, Palao, Fagundez, Pellizarius, Herinx, & nosse Franciscus à Jesu Maria ubi supra n. 19.

926 Respondeo tamen affirmativè cum Magistro meo Bonæ spei, nostro Stephano à S. Paulo, Bonacina, Mastrio disp. 19. de ordine q. 5. n. 80. & (ipso teste) Doctores communiter. Quia fraudare proximum re notabili, ipsi ex iustitia debita, grave peccatum est, si interim ipsi debita sit pro magno, si pro parvo stipendio; tametsi enim pecunie damnum non sit grave, in genere damni temporalis; privato fructus sacrificii sine dubio grave damnum est, in genere damni spiritualis.

## CASUS OCTAVUS

927 **F**abianus, honestus Sacerdos, veritus ne, si oblatam negliget occasione, sibi in futurum decessant stipendia Sacrorum, ex quibus vivit, tanto se Sacrorum numero oneravit, ut iis modico tempore satisfacere nequeat. Graviterne peccavit?

Respondeo cum omnibus Doctores certum esse quod sic. Quia graviter peccat qui est notabiliter in mora satisfaciendi debito iustitiæ, cui tenebatur intra modicum tempus satisfacere. Atqui ad hoc tenebatur Fabianus. Hoc enim regulariter intendunt, hocque postulant qui stipendium dant. Et ideo S. Congregatio in laudato Decreto decernit & prohibet, ne accipiantur elemosynæ pro Missis, nisi satisfactum sit oneribus antè susceptis, vel (ut in declarationibus ejusdem Decreti S. Congregatio explicat) nisi infra modicum tempus omnibus satisfieri possit. Nisi dans elemosynam, scieus non posse citò satisfieri, in longiorum procrastinationem consentiat. Neque enim dubium ex consensu partis, Missas quantumcumque differri posse: quia scienti & consentienti non fit injuria.

928 Quodnam autem modicum tempus in hac materia censetur, variant opiniones. Rota in una Bononiensi assignat unum mensem. Ledesma, Villalobos, nosse Lecana, Card. de Lugo, Garcia 50. vel 60. dies, Joannes Pontius 70. dies, Leander q. 8. tres menses, Arriaga sex menses, ita ut quilibet Sacerdos simul se onerare posset tot Missis, quot tanto tempore dicere posset. Longè exorbitantior est opinio Peyrini ad Constitut. 9. Urbani VIII. ubi modicum tempus esse censet spatium trium annorum. Quam opinionem, tamquam improbabilem, merito rejiciunt Diana p. 9. tr. 6. resol. 55. atque e. n. tris Gabriel à sancto Vincentio, Antonius à sancto Spiritu, & ipsos referens Franciscus à Jesu Maria loco citato n. 57. in fine.

Melius ergo id prudentis arbitrio judicandum 929 relinquatur, inspecto fine, ad quem impetrandum Missa postulantur. Ut enim sapienter advertit Mastrius ubi supra n. 81. (post Averfam) finis potest quandoque esse ita urgens, ut etiam unius diei dilatio sit mortalis, ut siquis hoc manè Missam petat pro lite eadem die decidenda, pro infirmo agonizante, vel periclitante, & similibus, ita ut (præter gravem culpam) Sacerdos ob nimiam dilationem, teneretur restituere stipendium, transacta jam indigentia Missæ. Si verò in solatium & liberationem animarum Purgatorii Missæ fuerint petite, videat Peyrinus an in mediis ignibus tam terribilibus existens ad annos tres differri vellet Missas, quibus fortè citò liberaretur. Videat Arriaga, an ad medium annum, &c. At (inquis) Sacerdos est pauper. At (inquam ego) longè pauperior anima seipsam juvare non valens in tanta miseria.

## CASUS NONUS.

**L**ampridius, Prior Monasterii Regularis, per 930 se, vel per Sacristam, applicavit Missam Maxentii Sacerdotis, subditi sui, Titio: sed Maxentius applicavit Cajo. Valetne applicatio subditi, an Superioris?

Leander disp. 4. q. 18. valere dicit applicationem Superioris, non subditi, in illo casu. Quia Superior irritas reddere potest voluntates inferiorum suorum, circa Missæ applicationem; sicut irrita reddere potest vota & juramenta ipsorum, præter substantialia. Ita ille, referens Scotum, Gabrielem, Cordubam, Rodriguez, Martinum Ledesmam, Gavantum, aliosque non paucos.

Respondeo nihilominus valere applicationem 931 inferioris, non Superioris; tametsi inferior peccet, agendo contra præceptum Superioris. Ita Sylvestre, Angelus, Vasquez, Suarez, Coninck, Layman, Villalobos, Bonæ spei, Card. de Lugo, Franciscus de Lugo, Portellus, &c. Quia applicatio Missæ est actus sacerdotalis Ordinis (ut colligitur ex forma ordinationis sacerdotalis: *Accipio potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis*.) Actus verò sacerdotalis Ordinis irritari nequit à Superiore: cum facultas ad istos actus sit immediatè à Christo, ita ut ne Papa quidem impedire queat, ne Sacerdos v. g. validè consecret.

## CAPUT LXXXV.

*Episcopi in Synodo Diocesana, Abbates & Generales Ordinum in suis Capitulis generalibus (secundum Tridentinum sess. 25. c. 4. de reform.) ad minorem numerum reducere poterant Missas, quarum elemosyna ad id tenus est, ut non facile inveniantur, qui velis huic se muneri subicere. Verum hanc ipsi facultatem sustulit S. Congregatio Concilii sepius citata, quoad onera Missarum post Tridentinum, vel in limine foundationis imposita.*

**P**atet ex verbis S. Congregationis n. 847. & 932 864. relatis. Quæ quia nihil innovant circa legata ante Tridentinum relicta, & onera in limine foundationis imposita, circa hæc manet Episcopis & Generalibus potestas ipsi à Tridentino concessa. Imò plures contestantur, Decretum illud S. Congregationis, quoad Episcopos, non esse in viridi observantia; auctoritatem namque sibi à jure communi concessam, nec per Tridentinum sublatam, Episcopi retinuerunt, nec Decretum illud usu receperunt, ut ex Garcia Palao testatur tr. 22. p. 15. n. 4. Nec solum reducant ad



minorem numerum Missas ante Tridentinum, sed & post illud impositas, sive in ipsa fundatione beneficii praescriptae fuerint, sive non; nec solum in Synodo Dioecessana, uti Tridentinum concedit, sed & extra illam. Sic enim habet usus in Belgio, Germania, &c. Videri possunt Naldus in Summa verbo *Missae* n. 9. Possivinus de offic. Curat. c. 2. q. 9. n. 25. Garcias de benefic. to. 2. p. 7. c. n. 131. Gobat n. 589. & 591.

## CAPUT LXXXVI.

*Quilibet Sacerdos, etiam curam animarum non habens, neque ex stipendio obligatus, ratione muneris sacerdotalis per se loquendo tenetur sub gravi culpa aliquoties in anno Missam celebrare.*

933 **I**Ta S. Thomas q. 82. a. 10. Durandus, D. Antoninus, Major, Sylvester, Angelus, Toletus, Vivaldus, & Doctores communiter. Christus namque his verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, teste Tridentino sess. 22. c. 1. *Apostolis eorumque successoribus in Sacerdotio, ut offerrent praecipit, uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit.* Et juxta Apostolum Sacerdoti ex vi sui muneris incumbit onus intercedendi apud Deum pro populo, & offerendi dona & sacrificia pro peccatis. Unde Innocentius III. inter alia vitia Ecclesiasticorum cap. *dolentes* de celebr. Miss. hoc recenset, *sunt & alii, qui Missarum solemniam vix celebrant quater in anno.* In fine autem addit: *haec igitur & similia sub poena suspensionis inhihemus.* Enimvero Sacerdos (ut Venerabilis Beda ait in c. 2. Act. Apost.) non legitime impeditur celebrare omitens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude & gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio. Ecclesiam speciali Christi beneficio, & seipsum medicina & remedio.

934 Denique Tridentinum sess. 23. c. 14. *Curet* (inquit) *Episcopus ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & festis solemnioribus; si autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut suo muneri satisficiant, Missas celebrent.* Cui Decreto inherens Concilium Mediolanense I. sic habet: *Tridentini Concilii auctoritatem secuti, praecipimus Sacerdotibus cujuscumque gradus, conditionis & dignitatis illi sint, ut Dominicis & festis diebus Missam celebrare non omitant.* Porro dum ipsis praecipitur, sive singulis Dominicis ac festis, sive quotidie celebrare, eo ipso praecipitur dispositionem ad id necessariam procurare, ne corpus & sanguinem Christi otiosus & absque debita praeparatione edentes, iudicium sibi manducent.

935 Quoad Parochos, curam animarum habentes, non est dubium teneri per se, vel per alium, celebrare omnibus diebus, quibus subditi tenentur audire Sacram. Id enim constat ex Trid. sess. 23. c. 14. necnon ex eo quod ad id teneantur ex officio.

936 Ipsos etiam teneri ad quandoque celebrandum pro ovibus, ipsisque applicandum fructum sacrificii sui, Tridentinum declarat ibidem c. 1. aicens, quod praecipit divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c. Quia tamen nec divino, nec Ecclesiastico praecipit determinatum est, quoties & quibus diebus ad id teneantur, prudentis arbitrio id determinandum relinquatur. Ad id solemnioribus saltem diebus teneri valde probabile est.

## CAPUT LXXXVII.

*Omni die, praequam Parasceves, celebrare licet, sed non omni hora. Nec plquam semel in die, excepto die Nativitatis Domini.*

**D**ie Parasceves celebrare prohibetur can. *sub- bato* de Consecr. dist. 3. qui canon idipsum etiam vetat in sabbato sancto. Sed quoad hunc diem Sotus, Suarez, Granadus, Palao & alii contraria consuetudine ei derogatum putant, ab eo tempore, quo Missa solemnis, olim nocte Resurrectionis celebrari solita, coepit ipso sabbato celebrari ante meridiem. Alii tamen cum Gavanto, Navarro & Azorio existimant non esse licitum sabbato sancto Missas privatas celebrare.

Laicis etiam in die Parasceves communicare 938 non permittunt Missalis rubricae, nec usus Ecclesiae Romanae, ut recte Gavantus & Barbosa. Non bene proinde Leander q. 24. cum aliis negat id Laicis vetitum. Siquidem Innocentius XI. in Decreto circa Communionem quotidianam, jubet, ut Episcopi, Parochi, & Confessarii curent ut circa Communionem inferia sexta Parasceves, Missalis rubricae, & Ecclesiae Romanae usus serventur, Leandrique opinionem improbat S. Congregatio Rituum 19. Februarii 1622.

Fas autem non esse regulariter celebrare plusquam semel in die, excepto die Natalis Domini, constat ex cap. *sufficit* de Consecr. dist. 1. & cap. *consuluit* de celebr. Miss. In die vero Natalis Domini cuique Sacerdoti permittitur, sed non praecipitur tres Missas facere, nec praecipitur tres audire. Doctores communiter contra Henriquez. Eo die etiam tres Missas ante auroram dicere usus permittit, pluresque Doctores probant apud Leandrum q. 38. licet alii improbent.

Dixi regulariter non esse licitum celebrare plusquam semel in die. Quia Innocentius III. citato capite *consuluit* excipit casum necessitatis. Ut primo, si aeger aliqui moriturus sit absque Viatico. Doctores communiter contra Vasquez. Secundo, si Parochus duabus Parochiis satisfacere debeat, & non sit alius qui in alia Parochia suppleat vices ipsius. Ita omnes. Est enim aperta necessitas. Idem posse alium Sacerdotem, absente vel infirmante Parocho, cum aliis docet Dica- stillus hic dub. 3. n. 39.

Quia tamen ob solam necessitatem id permittitur, & necessitas non urget, nisi die Dominico vel festo, diebus ferialibus id licitum non esse censet cum Nugno, contra Suarez, Card. de Lugo, Dianam & alios. Et ita consuetudo observat in Belgio nostro. Sicubi tamen ferialibus diebus id facere consuetudo permittat, illi standum, ut bene Petrus Ledesma de Sacram. Euchar. cap. 19. conclus. 6. In locis etiam ubi licentiam Episcopi consuetudo requirit, ad binandum, ratione duarum Parochiarum, consuetudo servanda est. Tametsi Diana p. 11. tr. 5. resol. 33. censet hoc ipso quod quis duabus Parochiis est a Superiore praefectus, approbati necessitatem bis in die celebrandi; imò celebrandi ter, si tribus Parochiis praefectus esset.

Nec ista liberalitate contentus Gobat n. 189. 944 censet, Parochum, qui duabus Parochiis praefectus consuevit, cum Episcopi facultate, singulis Dominicis ac festis semel in quaque Parochia celebrare, posse in die Natalis Domini celebrare bis, imò ter, licetque sexties una die. Sed hoc consuetudo non admittit: cum ipsemet fateatur hoc inauditum hac aetate.

Tertium casum necessitatis assignant nonnulli, 945 cum advenientes peregrini aliqui non possent die festo



festo Sacrum audire. Et quartum, dum Episcopus, vel aliquis generis illustris superveniens, Sacrum audire desiderat. Et quintum, dum repente post dictam Missam corpus defuncti occurrit sepeliendum. Sed tres hocce casus, utpote moribus nostris, hodiernaque consuetudini repugnantes, merito refellit Vasquez disp. 232.

## CAPUT LXXVIII.

*Secusâ particulari consuetudine, vel privilegio, regulariter celebrare non licet ante auroram, nec post meridiem.*

944 **I**Ta S. Thomas q. 83. a. 2. D. Antoninus, Gabriel, Sylvester & Doctores communiter. Quia id non permittit Ecclesiæ consuetudo, nec rubrica Missalis, utpote quæ §. 15. n. 1. dicit, quâcumque horâ post auroram, & ante meridiem, posse Missam privatam dici. Ubi per auroram communis Doctorum sensus intelligit primum dici crepusculum, seu primum vespertium adventantis dici: neque aurora hic accipienda est mathematicè, sed moraliter, ita ut parum ante auroram pro nihilo reputetur. Unde Suarez disp. 80. sect. 6. Dicastillo disp. 4. dub. 4. n. 55. nullum scrupulum movendum aiunt, si quis Sacrum finiat duabus horis ante ortum solis. Verùm quoad familia attendenda est cuiusque regionis consuetudo. Quæ in Belgio, aliisque partibus Septentrionalibus (in quibus dies hyemales brevissimi sunt) permittit, etiam secularibus, hyeme celebrare multis horis ante ortum solis. Necfen tr. 4. dub. 14. Coninck q. 83. a. 2. dub. 4.

945 Regulares etiam ex variis privilegiis ante Tridentinum celebrare poterant ante auroram, imò duabus horis post mediam noctem. Sed hæc revocata videntur per Tridentinum sess. 22. & per Pium V. in Bulla quam refert Naldus verbo *Missæ* n. 30. Unde S. Congregatio apud nostrum Lezanam to. 1. c. 21. n. 2. sic habet: *Ante diem, & horis indebitis, celebrare non licet, etiam vigore privilegiorum ante Tridentinum concessorum.*

946 Diana quidem p. 10. tr. 12. resol. 25. & apud ipsum Cardinalem de Lugo, Caspensis, Dicastillus, Leander, & alii dicta privilegia negant revocata per Tridentinum, ac per consequens per Pium V. quia Tridentinum solum revocavit privilegia celebrandi horis indebitis, quales non sunt horæ per privilegia Apostolica concessæ. Sed contra est, quòd eo ipso revocet privilegia celebrandi horâ jure communi non permittâ, quæ revocat privilegia à Sede Apostolica concessa. Neque enim per horam indebitam Tridentinum intelligit horam à Sede Apostolica per privilegia non concessam: cum privilegia id concedentia revocet. Et aliâs frustranea esset illa privilegiorum revocatio, ut bene vidit laudata S. Congregatio. Gregorius tamen XIII. anno 1678. adcoque post Tridentinum, & Pium V. Presbyteris Societatis (aliorumque consequenter Ordinum communicantium) Bullâ *quanta* 22. apud Rodericum concessit privilegium celebrandi unâ horâ ante auroram, & infra horam post meridiem, *istineris, vel alterius legitimi impedimenti causâ.* Et istud privilegium non est revocatum.

947 Quoad Missas post meridiem, cum etiam merides moraliter consideranda sit, angustia non debet, qui paulò post meridiem celebrat. Quia parum pro nihilo reputatur. Imò in festis, & exequiis solemnioribus, sicut Belgii nostri consuetudo permittit Sacrum solemne prorogari ferè usque ad primam; similiter permittit Missas privatas inchoari post duodecimam, quoadiù durat solemne Sacrum. Necfen ibid.

Ante Missam parochialem, eâque durante, Regulares in Ecclesiis suis celebrare posse, Pius V. & S. Congregatio declaraverunt, ut alibi demonstramus.

Ante lectum Matutinum & Laudes Missam celebrare, causâ legitimâ non excusante, non licet, ut merito docent S. Raymundus, S. Antoninus, Sylvester, Navarrus, Bellarminus, Azorius, Gavantus, Binsfeldius, Reginaldus, Bassæus, Tannerus, & (ipso teste) Doctores communiter. Quia licet inter Matutinum & Missam nulla sit connectio ex natura rei; secus ex jure positivo, seu Ecclesiæ consuetudine, vim legis habente, ut constat ex cap. *in his* dist. 11. Neque audiendi sunt nonnulli novaturientes in contrarium.

1<sup>o</sup>. quia Innocentius IV. in responso ad articulos quosdam, inter Archiepiscopum Nicolsensem, Suffraganeosque Latinos ipsius, & Episcopos Græcos Regni Cypri controversos (quos ad Sedem Apostolicam retulerat Otto Cardinalis, Episcopus Tusculanus) epist. 10. ad eundem Cardinalem sic pronuntiavit: *Sacerdotes autem dicant Horas Canonicas more suo; sed Missam celebrare, priusquam Officium matutinale compleverint, non præsumant.*

2<sup>o</sup>. Julius III. Bullâ *sacra* in Litteris Apostolicis Societatis pag. 75. sic habet: *Facilitatem anteposendi, & postponendi Officium divinum, aliâs vobis concessam, ad hoc ut tu, & pro tempore existentes Religiosi Societatis, ex legitimis & iustis causis (in quo tuam & successorum tuorum... conscientiam oneramus) Officium ipsum celebrationi Missæ liberè, & absque conscientia scrupulo postponere possitis, auctoritate & senore prædictis extendimus & ampliamus.* Igitur aperte insinuat, si ne legitima causa non licere Matutinum Missam postponere: cum conscientiam ipsorum oneret, si id faciant aliter quàm ex legitimis ac iustis causis.

3<sup>o</sup>. in Missali, tam Romano, quàm Carmelitano nostro, inter defectus Missæ §. *de defectibus in ministerio* ponitur, quòd celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit, &c. Defectus autem in ministerio ibi intelliguntur defectus in eo positi, quòd aliquid ex requisitis ad illud desit, prout explicatur ibidem.

4<sup>o</sup>. Præmissis accedit generalis Ecclesiæ consuetudo, ut testantur Jacobus Bajus Institut. Relig. Christ. l. 4. c. 13. & nosser Franciscus à Jesu Maria tr. 5. c. 4. n. 47. Accedunt & isti consuetudini eponencia Statuta Synodalia plurium Ecclesiarum, Nemaufensis anni circiter 1284. tit. de celebrat. Missar. Lingonensis anni 1404. Senonensis anni 1524. Parisiensis 1557. Sifridi Archiepiscopi Colonienlis, Odonis Episcopi Parisiensis, &c.

Quia tamen ordinis inversio inter horas ipsas (ut dum horæ parvæ leguntur ante Matutinum) in privata horarum recitatione, communi Doctorum iudicio non censetur nisi peccatum veniale, de inversione ordinis inter Matutinum & Missam idem sentiunt Sylvester, Toletus, Bellarminus, Suarez, & alii communis. Barbosa tamen de potest. Episc. p. 2. quindecim profert Doctores, atque inter eos S. Raymundum, & S. Antoninum 3. p. tit. 13. cap. 6. qui censent esse mortale. Gavantus quoque affirmat Innocentium IV. & Pium V. hunc defectum censere gravem.

## CAPUT LXXIX.

*Regulariter, & secusâ privilegio, celebrare non licet nisi in Ecclesia consecrata, vel saltem benedicta, vel in Oratorio ad Dei cultum dedicato, per Episcopum designando, & ab ipso visitando.*

**I**Ta statuitur in Tridentino sess. 22. cap. de evitandis in celebr. Miss. ubi in reverentiam &



- honorem SS. Sacrificii; atque ad excitandam fidelium erga illud devotionem, *Ne patiantur* (inquit) *Episcopi privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab isdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium à secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.* Ubi cum in fine subdat, ut non obstantibus privilegiis Episcopi compellant Regulares, ne hujusmodi facultatibus utantur, saltem eatenus ea revocet, ut Episcopo contradicente eis uti non possint, ut sapienter advertit Magister meus Bonæspei de Euchar. disp. 9. n. 106. Cavendum proinde ne contrarium fiat: agitur enim de re gravi. Ideoque idem Author rectè etiam cum aliis communiter observat, quòd celebrare extra Ecclesiam, vel Oratorium ut supra, absque gravi causa, esse mortale peccatum, licet contradicant Sotus & Sa-
- 956 *Dixi absque gravi causa, per quam intelligitur causam necessariam.* Nam cæ interveniente, licitum est extra dictam Ecclesiam vel Oratorium celebrare cap. *sicut* de Consecrat. dist. 1. Et ibi quidem Pontifex id declarat illicitum, nisi summa eogeris necessitas. Sed consuetudo obtinuit ut id liceat, etiam non summâ exigente necessitate, in casibus sequentibus.
- 957 Primò, dum Sacerdos longam per loca infidelium peregrinationem peragit, ubi Ecclesia non occurrit, nec Oratorium. Tunc enim in altari portatili celebrare potest, ne diù Missa amittenda sit. Ita Paludanus, Sylvester, Sotus, Suarez, Card. de Lugo, Palao, Layman, &c.
- 958 Secundò, dum Ecclesiæ sunt dirutæ, fas est extra locum sacrum celebrare, ne populus sacrificio careat, cap. *concedimus* de consecr. dist. 1.
- 959 Tertio, in magno populi concursu ad solemnitatem, dum tantam multitudinem Ecclesia non capit, fas est extra illam in altari portatili juxta Ecclesiam collocato Missam facere, ne plures Missæ careant. Ita Navarrus, Vasquez, Suarez, Card. de Lugo, Coninck, Palao, &c.
- 960 Quarto, idipsum licitum est in castris pro militibus, ne diebus festis Sacro priventur. Sicut & in litore maris, ut navigantes non valentes in terram descendere, festo die Missam audiant. Vasquez, Layman, Palao, Dicastillo, Card. de Lugo, benè monens, in his & similibus casibus petendam ab Ordinario licentiam, si fieri possit. Sin minus, id sine licentia expressa fieri posse, in vim consuetudinis.
- 961 An autem extra dictos casus idem licitum sit, cum Episcopi dispensatione? omnino, si Episcopus dispensare possit: Non est autem dubium Episcopum posse concedere licentiam celebrandi in domo privata, in Oratorio ibidem divino cultui permanenter dedicato. Sed controversia est, an Episcopus concedere possit licentiam in domo privata celebrandi extra hujusmodi Oratorium, pro certo tempore, v. g. durante mordo viri nobilis, &c. id enim videri potest contra Tridentinum citatum.
- 962 Respondeo tamen id in Belgio usu receptum, ut in casu necessitatis ejusmodi licentiam Episcopi pro tempore concedant. Nec hoc est contra Tridentinum: cum scopus ordinationis ipsius solum sit tollere abusus, ortos ex continuis licentiis, absque necessitate datis, celebrandi in domibus privatis. Et eodem sensu intelligenda sunt Brevia Pauli V. & Urbani VIII. quæ à nonnullis obijciuntur. De quibus videri potest Diana p. 9. tr. 1. resol. 44.
- 963 Eadem consuetudo declarat, necessitatem quoad hoc non debere esse absolutam, sed sufficere moralem, puta quia attentis attendendis fidelium devotio, vel salus animarum hoc requirit. Neesen ubi supra dub. 4.
- Duo supersunt dubia: Primum, an in mari celebrare liceat, in altari portatili. Secundum, an Episcopo contradicente id liceat in cellis seu cameris privatis Religiosorum, qui morbo impediti inde discedere non valent ad Sacrum audiendum.
- Ad primum respondeo id, secluso periculo effusionis Dominici sanguinis, nullo jure esse prohibitum. Idedque, ubi morale periculum non imminet, id affirmant Card. de Lugo, alique plures, contra Navarrum, & alios. In eo se fundantes, quòd regulariter sit morale periculum propter continuam navis agitationem, ventorumque variabilitatem.
- Sed quia usus & experientia multorum annorum ostendit sine periculo id fieri posse; ab Hispanis & Lusitanis, in loco navis reverenter & decenter ornato, id modò deducitur in praxim. Nam adeste solet alter Sacerdos, qui, post consecrationem, calicem manu tenet, ne cadat, aut moveatur; quo periculum effusionis omnino caveatur.
- Deinde non ita subito furere solet tempestas, ut prius Missa finiri non possit: solet enim à peritis Navarchis prævideri. Et in omnem eventum periculo modo dicto poterit occurrere. Videri potest noster Franciscus à Jesu Maria n. 63. ubi ex Philiberto refert Clementem VIII. & Paulum V. concessisse navigantibus in Indiam, ut sereno caelo, & tranquillo mari celebrare possint.
- Ad secundum respondeo affirmativè cum sapientissimo Patre nostro Lezana, Hieronymo Garcia, nostro Gabriele à S. Vincentio, Dicastillo, Diana, quos citatos sequitur noster Franciscus à Jesu Maria ibidem n. 62. Hoc enim Canonice Regularibus sancti Salvatoris Lateranensis, & consequenter aliis Regularibus, cum ipsis communicantibus, 18. Maii 1565. (post Tridentinum, & cum derogatione ipsius) concessit Pius IV. ut videre est apud Peregrinum in compend. privileg. Congreg. Regular. tit. *infirmi* §. 2. & apud Peyrinis to. 1. privileg. Minor. in Constitut. Iyrini n. 34. Sed & post Pium IV. Gregorius XIII. in Bulla *deces Romanum Pontificem*, Religiosis Societatis Jesu concessit, ut in Oratoriis & Capellis, quæ Provinciales Societatis pro scriptis in domibus, Collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis residebant, approbaverint, & ad divinum cultum dumtaxat deputaverint, Missæ, & alia divina Officia celebrari possint, nullius alterius ad id requisita licentiâ. In quo etiam privilegio alii Regulares communicant.

## CAPUT LXXX.

*Celebrare in Ecclesia violata, seu polluta, per se gravis est culpa.*

Ex modis Ecclesia violatur. Primò per voluntarium homicidium injustum, in Ecclesia commissum, cap. *si motum* de Consecr. Eccles.

Dixi 1.º *voluntarium.* Neque enim violatur per homicidium casuale. 2.º *injustum.* Si enim in defensionem propria vite, cum debito moderamine, Ecclesia, juxta plerisque Doctores, non violatur. Verùm Doctores illi supponunt, injustum vite invidiam justè occidi posse, dum in vasus aliter vitam suam non potest servare. Cuius oppositum probavimus to. 2. ad quintum Decalpræcept. 3.º *in Ecclesia commissum.* Neque enim violatur per solam mortem in Ecclesia subsecutam, si causa mortis, licet injusta, extra Ecclesiam posita fuerit.

Secundò violatur per sanguinis effusionem in Ecclesia injuriosè factam, can. *Ecclesia* de Consecr. dist. 1. Imò & per grave vulnus in Ecclesia injuriosè acceptum, quamvis extra Ecclesiam sanguinem



guinem emittat. Sumitur ex can. *si Ecclesia de Consecrat. dist. 1.*

970 Tertio per humani seminis effusionem mortalem, intra Ecclesiam, sive cum complice, sive sine complice, cap. *si qui de sent. excom. in 6.* & cap. *unico de Consecrat.* Violatur itaque per pollutionem voluntariam. An etiam per copulam conjugalem, si habita sit causa necessitatis, ad vitandam incontinentiam à conjugibus in Ecclesia diu morari compulsi? Negant Sylvester, Covarruvias, Suarez, Coninck, Lessius, Sanchez. Sed hoc pendet à resolutione questionis, quæ quaeritur, an copula illa, in Ecclesia eo prætèxto à conjugibus exercita, sit, vel non sit mortale peccatum. Si enim sit mortale peccatum, per eam Ecclesia violatur. De ista questione nos ubi de matrimonio.

971 Quarto per sepulturam excommunicati in Ecclesia, cap. *consulaisi de consecr. Eccles.* Post Concilium tamen Constantiense, debet talis excommunicatus esse vitandus, id est nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor. Aliàs Ecclesia non violatur. Videtur, Navarrus, Suarez, Coninck, noster Gabriel à S. Vincentio, Bonapreci, Franciscus à Jesu Maria.

972 Quinto per sepulturam non baptizati in Ecclesia, cap. *Ecclesia de Consecr. dist. 1.*

973 Sexto per simultaneam (non successivam) destructionem majoris partis parietum Ecclesiæ, cap. *igness de Consecr. Eccles.*

974 Nullo tamen ex sex illis modis Ecclesia violatur, nisi de facto ita publicè constet, ut notorium sit. Franciscus à Jesu Maria n. 67. & Doctores communitur. Non itaque per pollutionem v. g. vel copulam non publicam. Tunc namque Ecclesia non indiget purificatione, quæ est actus publicus.

975 Per aliquem autem ex sex allatis modis non solum violatur Ecclesiæ consecratio, sed & benedictio. Quorum consecratio ab Episcopo fit, adhibito chrismate. Benedictio verò sine chrismate, etiam à Sacerdote simpliciter, ex concessione Episcopi, vel Papæ.

976 Porro violatâ Ecclesiâ aliquo ex sex illis modis, etiam cæmeterium ceterum violatum, non e contra, cap. *unico de Consecr.*

977 Quòd si Ecclesia consecrata violata fuerit, reconciliari debet per Episcopum, vel alium de ejus licentia, cum aqua cinerum immixta, quam Episcopus benedixit, cap. *aqua de Consecr. Eccles.* Tamen si simplex Sacerdos, ut habet Rituale Romanum, ex privilegio Pontificis, Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare possit, ritu in Pontificali præscripto, cum aqua ad hunc usum ab Episcopo benedicta.

978 Si autem Ecclesia, solum benedicta, violata fuerit, reconciliari potest per simplicem Sacerdotem, cum aqua benedicta communi, cap. *si Ecclesia de Consecr. cum aspergillo de herba hyssopo. Rituale Rom.* Simplex tamen Sacerdos ad hoc habere debet licentiam Episcopi, vel ejus Vicarii. Neelen dub. 15.

979 Igitur quòd in Ecclesia violata celebrare gravis sit culpa, Doctores probant ex eo quòd in ea celebrans in re gravi faciat contra justam Ecclesiæ prohibitionem, quæ jubet divina Officia suspendi in Ecclesiis profanatis extra. de Consecr. cap. *si in Ecclesia. Et idèd si Ecclesia violatur, Sacerdote celebrante* (ait S. Thomas q. 84. a. 3. ad 2.) *dimittatur Missa, si ante Canonem. Perficiatur, si is est inceperit. Propter necessitatem tamen* (addit S. Doctor) *potest hoc Sacramentum peragi in domibus non consecratis, vel violatis, sed tamen de consensu Episcopi.*

980 Per Missam verò celebrationem in Ecclesia violata, bonâ fide factam (ut in casu proximè dicto)

Tom. III.

etiam) illam reconciliari docent quidem Recentiores nonnulli: eò quòd Missa sacrarum actionum sit sacratissima. Sed contrarium est verum. Quia ex eo quòd Missa sacrarum actionum sacratissima sit, non magis est consequens quòd per eam Ecclesia reconcilietur, quàm quòd per eam Ecclesia consecratur. Sicut igitur Ecclesia nondum consecrata, nec benedicta, non consecratur per Missam in ea celebrationem; ita nec reconciliatur. Et ratio à priori est, quia sicut consecratio & benedictio, sic reconciliatio Ecclesiæ non fit nisi per sacros ritus ad id ab Ecclesia institutos & designatos. Hæc enim omnia, utpote Canonico jure introducta, secundùm Canones sunt perficienda. Nullus verò Canon Missæ celebrationem instituit vel designavit ad Ecclesiæ consecrationem, benedictionem, reconciliationem. Unde opinionem illam Recentiorum (utique Diana, Tamburini, Bordonii, &c.) merito rejiciant omnes alii passim, ut Navarrus, Azorius, Layman, Card. de Lugo disp. 20. sect. 4. &c.

## CAPUT LXXXI.

*Ad celebrandum sub mortali requiritur Altare ab Episcopo consecratum, saltem portatile. Requiritur item ornatus Altaris ab Ecclesiâ præscriptus.*

981 **C**onstat ex cap. *altare de Consecr. dist. 1.* Tunc verò altare portatile perdit suam consecrationem, quando in nulla parte fracti lapidis calix & hostia commodè potest collocari. Quia altare istud tantæ magnitudinis esse oportet, ut pedem calicis & patenam commodè absque cadendi periculo capere queat. Quam magnitudinem si reineat post fractionem, suam retinebit consecrationem.

982 Altare verò fixum consecrationem suam amittit, non solum per fractionem, verum etiam per separationem à reliqua structura altaris, seu lapidis, vel mensæ superioris ab inferiori structura. Quia consecratio ex usu & sensu Ecclesiæ pendet à conjunctione lapidis, seu mensæ superioris cum structura inferiori.

983 Porro ornatus altaris pro Missæ celebratione requirit tres mappas præter corporale, ut præscribit Pius V. in suo Missali, & Clemens VIII. in rubricis Missalis. Debent autem mappæ illæ esse benedictæ, uti Missale præscribit. Tamen in necessitate, dum benedictæ non habentur, adhiberi possunt mappæ Laicorum, quæ tamen profanis usibus non possint amplius deservire.

984 Præterea requiritur corporale (consecratum ab Episcopo, vel alio potestatem habente cap. *consulaisi de Consecr. dist. 1.*) per quod representatur sydon, quæ Christi corpus in sepulchro fuit involutum. Palla etiam, quæ parte respicit calicem, debet esse benedicta, & quamvis esse possit ex serico & auro quoad superiorem partem, linea esse debet quoad inferiorem, uti habetur in eodem Missali.

985 Tertio requiritur purificatorium, similiter benedictum. Nec corporalia verò cap. *sacris dist. 23.* nec purificatoria (ob reverentiam Dominici sanguinis quo imbuta sunt) à Laicis, imò ne à sacris quidem virginibus attingi possunt, nisi postquam à Sacerdote, vel Diacono, leviter lota fuerint.

986 Quarto sub mortali requiritur in altari lumen cap. *ult. de celebrat. Miss.* Et quamvis ibi non jubeatur duas candelas accendi, nec alio canone legatur præceptum, consuetudo tamen obtinet ut accendantur duæ, & quidem cæcæ, ut Missalis rubrica præscribit; ita ut Suarez mortale putet celebrare cum solis candelis ex sevo.

C c



- 937 Quinto requiritur crux in altari ex universalis Ecclesie consuetudine, quam Doctores obligare censent sub mortali; licet hoc ab aliquibus in dubium revocetur.
- 938 Sexto requiritur Missale. Etiam sub mortali, secundum communem sententiam. Quia in re tam gravi nemo fidere debet memoriae suae; quamvis enim Missam memoriam teneat, posset tamen facile labi, & aliquid omittere, etiam in Canone.

## CAPUT LXXXII.

*Sub mortali etiam requiruntur vasa sacra, & vestes benedictae, amictus scilicet, alba, cingulum, manipulus, stola, patena.*

- 939 **R**equiritur (inquam) calix cum patena can. *vasa* de Consecr. dist. 1. Debet autem calix esse ex auro, vel ut minus ex stanno can. *us calix*. Cum calice ex plumbo, ligno, aere, aurichalco, prohibet Ecclesia celebrare. Potest tamen pes calicis esse ex aere, plumbo, &c. modò cuppa sit ex auro, argento, vel stanno.
- 990 Debet item calix esse christianis unctione consecratus cap. unico de Sacr. unct. Quae consecratio amittitur primò quando calix addò notabiliter frangitur, ut amittat formam convenientem ad usum sacri ministerii. Non autem quando aliquot dumtaxat istus accipit à fabro inflictos.
- 991 Secundò quando calix de novo interius deauratur, quâ parte Christi sanguinem tangit. Cum ob contactum Domini corporis & sanguinis consecratio præcipue fiat.
- 992 Tertio quando cuppa calicis fixi à calice separatur per fractionem. Aliud est in calice tornatili, cuius cuppa à pede separatur sine fractione; quo casu consecratio cadit in solam euppam; ubi in prior casu consecratio cadit in totum calicem per modum unitis, eo ferè modo quo n. 982. diximus de consecratione altaris, quae amittitur per separationem lapidis à reliqua structura.
- 993 Quod si Sacerdos per inculpam inadvertentiam, vel ignorantiam celebret in calice & patena non consecratis, illa eo ipso non manent consecrata (quidquid aliqui Recentiores dixerint) si eut ex dictis n. 980. Ecclesia non manet consecrata per similem celebrationem in ea. Et idem est proportionaliter de vestibus non benedictis, si quis in eis celebret. Tametsi enim & calix & vestes per Missae celebrationem acquirant aliquam moralem sanctificationem; non eam tamen quam Ecclesia requirit ad sacrum ministerium.

## CAPUT LXXXIII.

*Nonnulla alia requisita ad debite celebrandum.*

- 994 **U**T presenti materiae finem imponamus, pro illis ad Missale remittimus, ubi passim obvia sunt. Ibi specialiter videat Lector quomodo occurrendum sit defectibus in Missa occurrentibus. Paucis hæc observationibus contenti erimus.
- 995 Observandum igitur 1<sup>o</sup>. Sacerdotem celebrare non posse absque ministro. Quamvis enim Anachoretæ olim in auribus suis soli celebraverint; modò ex universalis Ecclesie consuetudine, & sacris Canonibus; minister requiritur cap. *propositus* de fil. Presbyt. In casu tamen extraordinariae necessitatis, v. g. ad dandum Viaticum, videri potest licitum absque ministro celebrare, dum haberi non potest.
- 996 Debet autem minister esse masculus, non femina cap. 1. de cohabit. Cleric. & mulier. ubi: *Nulla femina ad altare presumat accedere, aut Presbytero ministrare.* Idèò graves Authores aiunt,

in necessitate, potius sine ministro celebrandum, quam cum ministro. Corrigitur proinde est abusus quibusdam in locis, ubi Beguinae & Moniales Sacerdoti ad altare ministrant. Doctores communiter.

Ubi tamen masculus haberi nequit, tolerari potest quòd mulier præsertim velata, ex loco remotiore Sacerdoti respondeat, sed non ut altari appropinquet, vinum & aquam præferat, libram circumferat, &c.

Observandum 2<sup>o</sup>. ob nullam causam, etiam vitandam mortis, licitum esse Sacerdoti ex directa intentione consecrare unam speciem sine alia, vel post utriusque speciei consecrationem omittit Communionem. Effet enim facere contra Christi institutionem in re gravissima, ut Doctores passim omnes docent. Si tamen Sacerdos unam speciem consecrasset ex intentione essentialiter integraliterque perficiendi sacrificium; & interim fidei hostes intrarent Ecclesiam, ad occidendum Sacerdotem; statim sumere posset hostiam consecratam, vel secum auferre, si calicem absque evidenti periculo vitæ consecrare non posset. Quia præceptum affirmativum perficiendi sacrificium in extremo illo periculo non videtur obligare. Ita Franciscus Arango 3. p. q. 74. a. 2. dub. 1. n. 14. Garcia, Layman, Bonacina, Chapeville & Doctores communiter.

Observandum 3<sup>o</sup>. quòd Missam inchoatam continuò usque ad finem Sacerdos absque interruptione profecti tenetur cap. *illud*, cap. *nihil* 7. q. 1. Excipe nisi iusta adit relinquendi vel interruptendi causa, ut

1<sup>o</sup>. si Sacerdos recordetur se non esse jejunum, vel excommunicatum, vel irregularem. Tunc enim desistere tenetur, si Canon nondum inceptus fuerit, & sine gravi nota & scandalo desistere possit. Doctores communiter cum S. Thoma.

2<sup>o</sup>. si ante inceptum Canonem superveniat interdictionum speciale, vel cessatio à divinis, neque habeas privilegium januis clausis celebrandi; vel si superveniente interdictione generali, non permittaris claudere januas, & interdictos excludere; vel si interveniat excommunicatus vitandus, nec possit expelli: tunc à Missa inchoata desistere tenetur. Doctores communiter.

3<sup>o</sup>. si gravis infirmitas superveniat, vel gravis corporis necessitas, quae profecti non permittat; potest (etiam post consecrationem) interrompere, & paulò post perficere, si infirmitas vel necessitas permiserit absolvere. Si minus & consecratio facta sit, debet alius perficere, etiam non jejunus. Franciscus à Jesu Maria alios referens n. 109.

4<sup>o</sup>. si infans citissime sit baptizandus, aliàs sine Baptismo moriturus; vel adultus sine Sacramento ad salutem moraliter necessario moriturus. Isto tamen casu sacrificium tunc quam citissime potest perficiendum est.

5<sup>o</sup>. interrompi potest ob prædicationem, vel Ordinum collationem, ut praxis ostendit.

6<sup>o</sup>. ob adventum Episcopi, vel Ducis, aut processionis populi, cupientium Missam audire integram. Tunc enim, si oblatio nondum facta fuerit, potest relinqui, & iterum à principio inchoari. Navarrus, Garcia, Layman, & Doctores passim. Quos inter Navarrus testatur id ulu receptum esse.

Observandum 4<sup>o</sup>. quòd Sacerdos, in ipsa assumptione deprehendens se loco vini consecrassè aquam, secundum rubricas Missalis consecrare debeat novam hostiam, & postea vinum, incipiendo à verbis illis: *qui pridè quam pateretur*. Secundum communem tamen sententiam Modernorum, necessario consecranda non est nova ho-



ita, sed vinum dumtaxat, incipiendo à verbis istis: *simil modo*, &c. statimque à consecratione fumendo. Cùm enim hostiæ consecratio sit adhuc moraliter præfens; sacrificium manet adhuc moraliter unum modo dicto.

1007 Observandum 5<sup>o</sup>. quòd in casu proximè dicto ex ore projicienda non sit aqua (foret enim indecens, nec sine periculo simul projiciendi particulam Dominici corporis) sed deglutienda absque scrupulo super defectu jejunii. Ita Doctores communiter.

1008 Observandum 6<sup>o</sup>. non videri satis fundatam opinionem Navarri, Sylvij, & quorundam aliorum, existimantium Sacerdotem teneri sub mortali recitare orationes in Missali positas, dum facris se vestibus induit. Multi enim apud Leandrum disp. 7. q. 57. probabiliter existimant orationes illas in Missali non esse positas per modum præcepti, sed per modum instructionis dumtaxat.

1009 Observandum 7<sup>o</sup>. quòd si Sacerdos oblitus fuerit recitare *Gloria*, vel *Credo*, vel commemorationem aliquam, &c. dum in Missa pro-


gressu illius recordatur, non debeat, nec deceat omissum repetere, ne perturbet ordinem Missæ. Quòd si voluntariè id prætermiserit, venialiter peccat, non mortaliter, ob materiæ parvitatem. Neque enim fundatum est quòd Nugnus nimis scrupulosè putat, omissionem unius Sancti in Canone esse grave peccatum. Doctores communiter. Mortalem etiam non esse voluntariam omissionem *communicantes*, vel *hanc igitur*, in festis Nativitatis, Paschæ, & Pentecostes, docet Leander q. 61. Et consentiunt Dicastillus, Filiutius & alii apud Dianam p. 10. tr. 15. resol. 42. Voluntariam tamen omissionem Epistolæ, vel Evangelij, mortalem esse docent idem Diana, Palao, Garcia, Dicastillus. Non ratione quantitatis (quia Epistola subinde brevis est, sicut & Evangelium) sed ratione formæ. Quia sine alterutro Missa non habet confectam formam. Quæ ratio an sit efficax, non est necesse disputare, nec lubet determinare sine, an non sit mortalis omisio *communicantes*, &c. cùm facile non sit determinare.

## LIBER QUINTUS.

### AMOR RECONCILIANS PER POENITENTIAM.

*Sive*

#### DE VIRTUTE ET SACRAMENTO POENITENTIÆ.

 Agna procul dubio fuit Dei erga homines misericordia & charitas, quòd humanum genus, in Protoparente lapsum, reparare dignatus est per Unigenitum suum, ipsique per sacri Baptismatis institutionem providere de remedio contra originale peccatum. Sed ibi non fixit metas bonitatis & charitatis suæ misericors & miserator Dominus. Cognoscens enim figmentum nostrum, & diabolica prævidens venena, clausa licet innocentia janua, & intentionis serà obducta, aliud remedium patere voluit; secundam utique post naufragium tabulam. His namque, qui sese post Baptismum in peccati servitium, & diaboli potestatem tradidissent, Poenitentia Sacramentum providit, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur, non semel, nec secundo, sed quoties ad Deum toto corde reversi fuerint. Neque enim hoc semel præstisse satis fuit infinitæ bonitati benignitæque ipsius. Nam licet vel semel hoc accipiendo habeat peccator quod jam non merebatur: amisit enim quod in baptismo accepit, & non leviter in Dominum peccavit, qui cùm æmulo ejus diabolo poenitentia renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subiecisset, rursus eundem regressu suo erigit, & exultationem ejus seipsum facit; ut denuò malus, recuperatâ prædâ suâ, adversus Dominum gaudeat. Deo tamen, cujus natura bonitas, cujus opus misericordia est, non satis fuit, vel secundo misereri illius, quem diabolica malignitas veneno suæ rursus mortificasset invidia; sed dives in misericordia, toties misereri voluit, quoties peccator toto corde contritus & humiliatus fuerit. Sic utique Deus dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et quis non redamabit taliter amantem, servosque refugas & ingratos non abjicientem, nec ipsorum cor contritum & humiliatum despicientem? Quis anathema cum Apostolo non dicat non amanti Do-

*Tomo. III.*

minum? *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit.* 1. Cor. 16.

#### CAPUT I.

*Summi momenti est, in administratione vel usu hujus Sacramenti non errare.*

**A**stertionis veritas perspicua est ex eo quòd Poenitentia Sacramentum sit, & à sanctis Patribus vocetur secunda post naufragium tabula, per quam ad beatæ eternitatis portum pervenire oportet omnes, qui per peccatum ejecti sunt ab innocentia navis, quam per baptismum conscenderant. A recta igitur administratione, à recto item usu hujus Sacramenti pendet æterna salus lapsorum post baptismum; sive enim bene administratum malè suscipiatur, sive malè & illegitimè administretur, esse nequit causa salutis eorum, qui aliàs per secundam hanc tabulam à naufragio liberarentur. Et idèò Sancti tam priorum, quàm posteriorum sæculorum, vehementissimè semper conquesti sunt de abusibus, quos suo tempore deprehenderunt, tam circa usum, quàm circa ministerium tam necessarij Sacramenti, ut videbitur infra.

Idèò rursus (ut to. 2. dixi) invoco Sapientiam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & ruinam aliorum, pertractando materiam adèò momentosam, à plerisque non satis consideratam, qui vel in suis de ea opinionibus, vel in administratione & usu Sacramenti Poenitentia, sic materiam hanc pertractare videntur, quasi non ingens, nec laboriosum opus esset à peccato mortali, præsertim sæpè repetito, & consuetudine roborato, per veram poenitentiam resurgere, nec ad hoc magnâ curâ, attentione, sollicitudineque opus esse. Contra quem abusum Petrus Soto (qui ob eximiam peritiam & doctrinam

C c 2